
32
3 G
3

Ad simplicem usum fr. Fulgentii a Taurino.







# PHILOSOPHIÆ UNIVERSÆ INSTITUTIONES

QUAS

JUSSU MINISTRI GENERALIS TOTIUS ORDINIS MINORUM

SANCTI FRANCISCI

ELUCUBRATUS EST P. DIONYSIUS A S. JOANNE IN GALDO

SACRAE TH. LECTOR JUB. ET EX-PROVINCIALIS EJUSD. ORD.

AD USUM SCHOLARUM SERAPHICÆ FAMILIÆ

## TOMUS SECUNDUS

IDEOLOGIAM SPECULATIVAM


SEU

PSYCHOLOGIAM, COSMOLOGIAM, ET THEOLOGIAM NATURALEM

COMPLECTENS

EDITIO SECUNDA

AB AUCTORE IN MULTIS EMENDATA, AUCTA, ET PERPOLITA



ROMÆ

TYPIS CLEMENTIS PUCCINELLI

MDCCCXLVII

# PHILOSOPHIAE RATIONALIS

## PARS ALTERA

## DE IDEOLOGIA

357. Intimo admonente sensu, quisque experitur, se ad verum, quod intellectnm illuminat, atque bonum, quod voluntatem replet, naturali impulsu duci, imo perenniter urgeri. Verum sua quisque experientia etiam docetur, saepe saepius falsum pro vero, malum pro bono plenis ulnis misere amplecti, atque in errores praecipitem dejici, aerumnisque innumeris circumveniri. Ceterum quoniam illam ad verum, et bonum tendentiam omnes experiuntur homines, ideo nonnisi naturalis putanda est, ipsique oppositum naturae deviatio. Quare sicut illam sequi, et explere tendentiam, est finem assequi ab naturae auctore praestitutum, alioquin frustranea illa foret, ita a vero et bono recedere, est a fine excidere et desciscere, aut ipsum relinquere, vel omnino aspernari. Quapropter maximi momenti est viam reserare, qua recte ad verum, bonumque prosequendum ducimur, atque a falso, et malo non aegre pedes revocamus. Hoc ut conficiamus modo, qui in hisce rebus aequior aestimatur, ordinem notionum indolis, et proprietatum naturae humanae, atque illarum notionum objecta, juxta naturalem genesim, et processum, exhibebimus. Illa Philosophiae pars, in qua de his omnibus notionibus agemus, *Ideologia* a nobis dicitur (1). Ex quo patet, hanc nostram Ideologiam haud de ideis dumtaxat agere sine eorum objectis, quasi idealistarum somnia in vitam revocare vellemus; quod merito redarguit in Ideologis cl. Mastrofini (*L'anima, e suoi stati* n. 182.). Nam notiones evolvens, quae animam, mundum, Deum respiciunt, de istis, quantum ratio humana docet, et ferre possunt scholae Institutiones, disceptat. Ideologia igitur haec tota de vero, et de bono agit, relatis ad illa objecta, et quidem unius rationis

(1) Quare *Ideologiam* aliqui definierunt scientiam materiae essentialis scibilis humani.

naturalis duce. In duas proinde partes eam dispescimus, nempe in Ideologiam speculativam, quae verum, et Ideologiam practicam, quae bonum explorat, et contemplatur.

358. Ut autem, quae sequuntur, recte intelligantur, praemittimus, nos ab ipso admoneri intimo sensu, principium quoddam activum in nobis subsidere. Nam quisque experitur, aliquod in nobis esse, quod percipit, attendit, judicat, reflectit, componit, vel dividit, ratiocinatur, abstractas, et generales ideas sibi efformat, materialia et simplicia meditatur, vult et non vult, vult rursus, atque in horas suo lubitu mutatur, atque huc, illucque sua perenniter transvolat cogitatione. Haec omnia sine principio agente in homine neque intelligi, neque explicari possent (1). Hoc principium dicimus *animam*. Verum haec anima substantia sit oportet, tum quia substantia tantum activitate donatur (§. 336.); tum quia omnia, quae non sunt substantia in substantia existunt (§. 301.); tum quia actiones illae, quas diximus principium hocce activum exercere, potentiam supponunt, potentia vero substantiam, cui inhaereat (§. 334.); tum quia nonnisi substantia esse potest a corpore distincta principium illud in nobis cogitans, quod corpus ipsum pervadit, pellit, movet, suoque lubitu aut coercet, retinet, restringit, aut ipsi blanditur, indulget, assentitur. Ex quo minime inferes, omnem substantiam esse principium cogitans; nam substantiae idea hoc tantum requirit, ut nullo alio fulciatur (§. 301.), quod certe non idem est ac cogitare. Quare aliqua substantia non est cogitans.

359. Jam vero anima illa sua activitate, qua donatur (§. 358.), ad verum ac bonum tendit. Tendentia haec ad verum ad facultatem cognoscendi; tendentia ad bonum ad facoltatem volendi pertinet. Siquidem, licet verum et bonum, abstracte accepta, sint ad invicem praedicabilia (2), tamen, concrete

(1) Nam in ideis efformandis certe requiritur *subjectum*, quod sua actione eas cudat, et *objectum* ab idea repraesentatum, quod est materia, circa quam subjectum agit. Haec duo certe non sunt idem, licet utrumque requiratur pro idea cudenda. Ex quo absurdum patet systema Hegeli asserentis (§. 69. not.), actionem mentis esse idem cum objecto; idem operationem, qua cognoscitur, et objectum, quod cognoscitur; idem materiam, et formam; idem ideam, et reale; realeque esse, quidquid idea est.

(2) Nam veritas, et bonitas metaphysice spectatae (§§ 294. 296.) reponuntur in convenientia essentialium cum essentia, et consensione essentialium perfecta, quae demum idem exprimunt, cum illa convenientia nequeat sine hac consensione haberi, et vice versa.

sumpta in homine, sunt diversa. Nam plura cognoscere possumus uti vera, quin prosequamur uti bona; et plura uti bona prosequi possumus, quin uti vera intueamur. Verum supponit intuitum animae, bonum vero animae desiderium. Ceterum et nos scimus, facultatem cognoscendi adjuvare voluntatem, isti offerendo objecta prosequenda; et facultatem volendi adjuvare illam, eam impellendo ad exercitium, aut impediendo. Reapse voluntas nihil vult, vel respuit, nisi praelucente intellectu; voluntas autem influit in omnem cognoscendi facultatem, cum saepe sentiamus, quae volumus; saepe attendimus, atque reflectimus ad aliquid, quod volumus; saepe intelligimus, imaginamur, recordamur ante volitiones, non semper volumus ante ideas, uti intima demonstrat experientia. Ex quo patet, nullam esse substantiam, quae facultate volendi praedita sit, quin simul gaudeat facultate cognoscendi, quae illi praebeat objecta; et gaudeat facultate cognoscendi, quin facultate volendi, sine qua esset ens iners, et stupidum, potiatur ( *Dmowski Psych*. §. 52. ). Sed de his alibi. Constat interim, Ideologiam speculativam facultatem cognoscendi pro objecto habere, practicam vero facultatem volendi. Quare primum de Ideologia speculativa, dein de practica agemus. Sed quoniam facultas cognoscendi tria generalia objecta respicere potest, nempe animam, mundum, Deum; ideo in tres partes eam distribuemus.

# DE IDEOLOGIA SPECULATIVA

## PARS PRIMA

### DE ANIMA HUMANA

360. De anima in hac prima parte agentes, ab ejus facultatibus *chronologico* ordine exordium ducimus. Quare a prima, quae in anima exsurgere videtur, pedetentim ad alias descendemus (1).

(1) Si quodcumque universi visibilis ens idoneum est ad aliquod propriae entitatis conforme producendum ( §. 347. ); majori jure anima aliquod agere valet. Verum entia materialia leges mechanicas sequuntur, quin eas cognoscant, vel mutare, et interrumpere valeant; anima vero suorum actionum, et passionum persaepe conscia est, dominium super eas quandoque exercet,

# SECTIO I.

## DE FACULTATE COGNOSCENDI

361. Non uno modo facultatum cognoscendi ordinem *chronologicum* proposuerunt philosophi. Nam, ut de aliquibus loquar, Peripatetici (§. 26.) admittebant quinque facultates, *vegetativam*, *sensitivam*, *appetitivam*, *locomotivam*, *intellectivam*; quatuor primas homini cum brutis communes, postremam hominis propriam. Hoc systema ex eo falsum apparet, quod falsa innitatur hypothesi, tres dari *simultanee*, vel *successive* animas, *vegetativam*, *sensitivam*, *rationalem*. Cartesius quatuor cognoscendi animae facultates recenset, *intellectum*, *memoriam*, *imaginationem*, *sensibilitatem*. Hujus systematis falsitas ex eo constat, quod fulciatur ideis innatis, statuto proinde ante alias facultates intellectu (§. 45.). Condillachus multas enumerat facultates, quas dicit *transformatam sensationem*, quam proinde omnium primam ponit (§. 58.). In eo reponitur Condillachi systematis falsitas *radicalis*, quod *sensatio*, quae *passio* est in illo systemate, nequeat *transformari* in facultates, quae activitatem praeseferunt (§. 358.). Condillachianum systema longius promoverunt Helvetius, Tracyus, Cabanisius, aliique materialistae, qui repetentes omnes mentis actus ab *organizatione*, nullam fere activitatem in homine agnoverunt; atque operationes, quas animae tribuimus, dixerunt indicium vicissitudinum, quae ex causis mere mechanicis in corporis organismo locum habent (57. 60. 61.). Laromiguiere, praemissa quadruplici sensibilitatis specie, tres facultates tribuit intellectui, *attentionem*, quae ideas efformat; *comparationem*, quae idearum relationes advertit; *ratiocinium*, quod ad prin-

easque interdum mutat, vel intercipit. Jam vero in materia *proprietates*, in anima *facultates* dicuntur illae capacitates, vel aptitudines ad aliquid vel sentiendum, vel producendum. Neque praeterire debemus, nos minime *directe* cognoscere nostrae animae facultates, sed tantum *indirecte*, scilicet ab operationibus; puta a sensatione, judicio, ratiocinio, volitionibus, ex quibus ad facultates ascendimus, quas fulciri dicimus principio cogitante (§ 358. ). Neque videtur reprobanda doctrina Alphonsi Testa (*Filos. della mente. Proemio* pag. 39. *ediz Piacenza* 1836. ), dicentia, unam esse in anima facultatem cogitandi, multiplicem vero quoad varios activitatis modos, qui ex diversis internis, externisque circumstantiis exeruntur. Nos tamen claritatis gratia diversas in animo ponimus facultates.

cipia ascendit, et infert ab his consectaria (§. 64.). Videtur falsum hoc systema, quia *comparatio* supponit reflexionem, memoriam, imaginationem (V. *Salvat. Mancino Elem. di Filos. Sez.* 1. *c.* 8.). Doctissimus Galluppi (§. 80.) septem facultates hoc ordine *chronologico* statuit in anima, *sensibilitatem externam*, *sensum internum*, *imaginationem*, *analysim*, *synthesim*, *desiderium*, *voluntatem*. In hoc systemate reprehendit Aloysius Bonelli (*Psych. Sect.* 2. *c.* 3.), quod *analysis*, et *synthesis* sint media, non facultates cognoscendi, et *desiderium* referri possit ad *voluntatem*. Salvator Mancino facultates cognoscendi dumtaxat vocat *facultatem sentiendi*, *attentionem*, *memoriam*, *imaginationem*, ac *facultatem* tum *judicandi*, tum *ratiocinandi*. Hic ordo nobis non displicet; sed reflexionem inter facultates cuperemus. Doctissimus Abbas Mastrofini (*L'anima*, *e suoi stati* l. 2. c. 5. art. 5. *et alibi*) videtur omnes cognoscendi facultates, quas appellat *conditiones*, et *modos status mentis in eruendis ideis*, *et judiciis*, *istorumque serie*, reducere ad *sensibilitatem*, *attentionem*, *reflexionem*, *meditationem*, *abstractionem*, *recognitionem*, *memoriam*, *imaginationem*, *rationem*.

362. In tanta sententiarum varietate periculosum est verum proferre judicium. Sed, ut ordine in rem ingrediamur, dicimus, pro *facultate cognoscendi* nos hic intelligere illas omnes, quibus anima utitur ad verum introspiciendum. Quare facultatem cognoscendi, veluti genus; varias vero facultates sub illa positas, veluti species, considerabimus. Hanc partem Ideologiae in tria capita proinde dividimus, in quorum primo de *primariis*, seu *elementaribus* cognoscendi facultatibus loquemur; in secundo de facultatibus *secundariis*; in tertio de somno, phraenesi, magnetismo animali, quae cum mentis facultatum tractatione copulata videntur.

## CAPUT PRIMUM

### DE PRIMARIIS COGNOSCENDI FACULTATIBUS

363. Primarias cognoscendi facultates eas dicimus, quae ex activitate animae immediate prodeunt. Eas ad quinque reducimus, nempe ad *facultatem sentiendi*, *attentionem*, *reflexionem*, *intellectum*, *rationem*. Sit itaque

## ARTICULUS PRIMUS

### DE SENTIENDI FACULTATE

364. Hominem principio activo cogitante, nempe anima (§. 358), et corpore constare omnes confitentur, nemine forsan refragante. Hoc corpus quinque ornari organis sensoriis (§. 210.), unusquisque conspicit. His organis sensoriis, quae sunt mire et affabre facta, uti physiologi, et anatomistae demonstrant, totidem respondent nervi. Nervus est illa corporis pars, quae oritur ex *medulla cerebri*, *cerebellique*, *medulla oblungata*, *et spinali*, *et inde porrecta ad omnes fere corporis partes firmas*, *forma chordarum*, *vel funiculorum*; *nuspiam tensus*, *sed ubique laxus procedit*, ut ait Boerhavius (*l. de morbis nervorum*). Nervi sunt veluti fasciculi e pluribus fibris adeo tenuibus conflati, ut mille ipsorum ad lineam quadratam componendam requirantur, uti notat Sommering (*Fabbrica del corpo umano l.*5. §. 114.). Quivis ipsorum est flexibilis, et absque tensione; nam quivis *nuspiam tensus*, *sed ubique laxus procedit*, uti patet ex facilitate, qua corpus in choreis, in scriptione, in pulsatione chordarum citharae movemus. Creditur, nervos esse veluti tubos, aut canaliculos, per quos fluidum nerveum, succus nempe defaecatissimus in cerebri medulla secretus, ad omnes corporis partes derivetur; sed hoc nulla experientia fulcitur, neque ars suo examine in internum illarum partium adhuc pervenit. *Cerebrum* vero est major pars systematis nervosi, ex vasculis, canalibus, et fibrillis mirifice contexta, variisque anfractibus, sinubus, et cavitatibus instructa, necnon tunicis, et calvaria munita. Substantia cerebri, quae mollis est, replet cranium a fronte ad occiput, atque in duo dividitur haemisphaeria, quae una eademque basi *corpore* junguntur *calloso*, quod est candidum, et duriusculum. A parte postica cerebri accumbit *cerebellum*, veluti alterum cerebrum, deinde *medulla oblungata*, quae est truncus omnium nervorum, qui truncus instar equinae caudae egrediens occipitis foramen per totam *spinam ad os sacrum* usque descendit, et nomen *medullae spinalis* acquirit. Qui plura cupit, adeat anatomicos: haec enim ad nostrum systema sufficiunt.

365. Si tu hortum ingrediaris arboribus, plantisque consitum variis, venusteque dispositis, illumque perlustres, pro-

fecto in anima aliquam modificationem experieris, quam *colorem* vocabis, cum objecta oculos tuos percellunt; *odorem*, cum flores nares tuas excitant; *sonum*, cum placidi rivi murmur aures tuas demulcet; *laevem mollitudinem*, cum manibus folia attrectas; *saporem*, cum fructus recenter excerpti linguam et palatum tuum titillant (1). Igitur aliqua adest relatio inter animam nostram et organa sensoria, inter ista et objecta externa, quorum impressionis occasione anima in seipsa modificatur, objectaque ipsa sibi exprimit. Jam vero illa quaecumque mentis actio, qua ipsa, occasione impressionum ab objectis externis in organa sensoria factarum, aliquo modo modificatur, objectumque externum sibi repraesentat, et exprimit, dicitur *sensatio*, vel *sensio* (§. 211). Facultas autem illa, qua mens percipit, intuetur, attingit, detegit, capit, quae accidunt in qualibet sui corporis parte, occasione impressionum objectorum externorum, dicitur *sensibilitas* (2). *Sensibilitas* itaque in sensu particulari, et strictiori est ipsa vis, qua anima mutationes advertit, quae accidunt in suo corpore, et quidem in ea corporis parte, in qua accidunt, quasi sensu diffusivo gauderet. Nam in sensu universali *sensatio* a latinis dicitur quaecumque animae actio, et *sensibilitas* accipitur *pro vi et intelligendi, et praesentiendi, et judicandi, et acute pervidendi*, uti recte docet Genuensis (*Met. par.* 3. *nota def.* 9.) Quoniam hoc discrimen minime agnovit Condillachus (§. 361.), ideo mentis operationes cum sensibilitate confudit, illasque *transformatam sensationem* docuit, uti apposite monet Mastrofini (loco cit. §. 376.)

366. *Sensationem* vocant philosophi etiam *sensus intimi* effectum; nam sensum intimum dicunt illam animae facultatem, qua ipsa statum suum internum, et externum *sentit*,

(1) Notatum est a philosophis, in oculos fieri imagines rerum, quas oculis attingimus, nullamque imaginem gigni a rebus, quas olfacimus, gustamus audimus, tangimus. Siquidem, ut videantur res, quae sub oculos cadunt, debent esse aliquo spatio ab oculis remotae, ideoque debent oculis pingi; res vero, quas aliis sensibus habemus, ipsis sensibus debent adhaerere, ut sentiantur, ideoque vicaria specie non indigent. Quare, ad habendam objectorum materialium notitiam, in aliis sensibus sufficit impressio, in oculis requiritur objectorum species.

(2) Philosophi *sensum fundamentalem* non pauci recognoscunt, quo experimur, nos habere corpus organice vivum. Revera nos habemus sensum 1. extensionis, vel restrictionis pulmonum; 2. functionis nutritionis tempore digestionis; 3. caloris ex sanguinis circulatione; 4. famis, sitis, somni, lassitudinis; 5. membrorum, e. g. brachiorum, cum ea aliqua vi extendimus; 6. mutationum, quas patimur ex passionibus, vel morbis.

seu *sentit* seipsam, et suos existendi modos. Hinc docent, *sensu intimo sentiri* ab anima sensum doloris sive in capite, sive in visceribus internis, quae circumveniunt nervi, qui a trunco *magno sympatico* oriuntur (*Salvat. Mancino Elem. di Filos. v.* 1. *Sez.* 1. *c.* 1. *n.* 8.). Hinc sensus intimus cum *conscientia* saepe confunditur, et respicit praeteritum, et praesens, uti res actu possessas: et futurum, uti rem possidendam, licet Reid conscientiam ad statum praesentem coarctet (*Theorie sur la memoire*). Sed sensus intimus sic acceptus judicium, et ratiocinium supponit, quia cum conscientia reflexa tunc confunditur (§. 193).

367. De *sensu* etiam *morali* aliqui loquuti sunt philosophi, qui illum vocarunt sextum sensum, quo honestatem, vel turpitudinem actionum attingere valemus. Sed perperam prorsus *sensus moralis*, in modo explicato acceptus, statuitur; nam 1. honestas, et turpitudo actionum in convenientia, vel repugnantia cum morum regulis consistit: haec vero convenientia, et repugnantia ab intellectu humano tantum cognosci potest; 2. honestas, et turpitudo sunt affectiones actionum liberarum, quae certe rationis calculum supponunt; 3. si hic existeret honestatis, et turpitudinis sensus, ecquis dehortari valeret aliquem *a sensu suo privato et morali*? Ecquis proinde consectaria non videt inde deducenda Religioni, moribusque exitialia? Videatur Mastrofini, qui opus, *Fisiologia delle passioni di M. Alibert*, paucis aggreditur (*l.* 4. *c.* 1. *art.* 6.)

368. Ex data definitione (§. 365.) sensationis patet, animam esse, quae *sentit*, non vero corpus. Quare male aliqui tum physiologi, tum metaphysici dicunt, cerebrum esse *sedem* omnium sensationum, et *sensorium commune*: nam confundunt illum, qui *sentit*, cum loco, in quo *sentit* (1). Ex quo etiam eruitur, perperam omnino aliquos ex magnitudine capitis, aut cranii, aut cerebri deducere acumen intelligentiae, uti optime notarunt Sommering, et Esquirol, laudati a Mastrofini (§. 491. 492). Falsi proinde sunt tum Genuensis, qui (*Elem. met. t.* 3. *sch. prop.* 47. *et prop.* 55) ex magnitudine molis cerebri illam mentis deducit, et Gall (§. 61.) qui ex cerebro, et quibusdam protuberantiis hominum inclinationes

(1) Neque in solo cerebro ponendus est locus, in quo anima nostra sentit. Si enim in cerebro tantum sentiret: 1. in cerebro nos experiremur e. g. dolorem ex ictu accepto in pede; imo in ipsum cerebrum deberet omnium membrorum gravitas premere, atque totius corporis calor vitalis in ipso restringi, quae tamen experientiae adversantur; 2. nullum haberemus sensum corporis nostri organice vivi ( nota ad 365. 2. ), sed solius cerebri; 3. debere-

infert. Narrant enim Valisnerius, et Bartolinius, se in aliquibus cerebra invenisse petrificata sine jactura facultatum mentis, et Haller in puero, ex jactu lapidis dimidio cerebri deperdito, alterum dimidium invenit. quin in mente pateretur. Ast si sensorium commune vocamus cerebrum, quatenus ab ipso praecipue oriuntur nervi (§. 364), per quos impressionem ab objecto externo factam anima animadvertit, tunc concedimus Caldano cerebrum esse *sensationum omnium sedem*, seu in eo commune quoddam sensorium residere (*Physiol.* §. 197.), uti notat Mastrofini (§. 297.)

369. In sensatione duo distinguere possumus, et debemus, impressionem nempe factam in organum sensorium, aut aliquam corporis partem, et usque ad animam delatam; atque animae ipsius intuitionem, perceptionem, advertentiam. In primo casu anima omnino passiva est. Et haec est ratio, cur, excitata in organo sensorio motione, non sit in animae potestate aut nullam, aut aliquam dumtaxat habere objecti sensationem. Hinc, si apertis oculis solem intuearis, cogeris illum videre, licet excitando aliam vividiorem sensationem, aut alio convertendo oculos, aut attentionem in aliud figendo objectum, primam sensationem retundere, aut omnino impedire valeas. Sed anima activa est in secundo casu. Nam 1. sensatio quaevis voluptate, aut dolore comitatur, uti videbimus (§. 375). Anima vero nec gaudium capit, nec dolorem aversatur, nisi ipsa agat, quia in gaudio agit, ut bono acquisito fruatur: in dolore agit, ut ipsum repellat. 2. Anima saepe resistit corporis impressionibus, et corpus ipsum sibi copulatum habet vi quadam uniente, uti putat Mastrofini (§. 420). Hoc vero intelligi nequit *sine vi sentiendi in anima*. 3. Corpus certe sine animo non ageret. Ergo, *si agit in sensatione*, actio est animae, quae sentit. 4. Anima *sentiendo* etiam vim *sentiendi sentit*, et *sentit* se *sentire* tum in seipsa, tum in parte illa corporis, in quam agit objectum externum. 5. Si

mus dolorem ex vulnere accepto e. g. in manu, per totum nervum usque ad cerebrum sentire, ut demum in cerebro sisteret, quod et falsum demonstrat experientia; 4. non deberemus oculis *videre*, naribus *olfacere*, auribus *audire*, ore *gustare*, quia haec omnia in solo cerebro evenirent; 5 deberent omnes nervi e solo egredi cerebro, cum tamen etiam ex cerebello, aliisque sortiantur partibus (§. 364.). Neque dicas, ideo in solo cerebro esse locum sensus, quia in parte membri vinculo constricti inferiore nullus habetur sensus; hoc enim fit ex eo, quod pars inferior orbata motibus vitalibus, et organicis remaneat, et veluti paralysi obnoxia. Vide Melillo (*Catechis. Psicol. sez.* 1. *c.* 1. *a.* 2. *n.* 2 *et sez.* 2. *c.* 2. *n.* 1).

intuitus, et perceptio objecti non foret actio in mente; neque actionem ipsa certe exerceret, cum attendit, reflectit, judicat, aut alia hujusmodi operatur; quod certe repugnat; nam ipsa est, quae percipit et attendit; ipsa vi sua objecta sibi exprimit, et objectis attendit; ipsa sua energia objecta percipiendo veluti pervadit, subit, illabitur, uti permeat attentione. 6. Si oculus meus corporeus ab anima in motum excitatus objecta multa, et longinqua attingat; eccur non attinget anima vi sua objectum, quod sibi exprimit, et cujus sibi creat ideam? Quare anima passiva est antequam percipiat, intueatur, capiat, sibique exprimat objectum; sed dum haec *agit*, *activa* omnino est. Hoc sensu certe Storchenau dicit (Psych. p. 2. §. 207): *anima vi propria ideas omnes efficit*, et Capocasale (Psych. c. 7. §. 406) docet: *anima a cerebri motionibus . . . veluti admonita, et determinata, suam percipiendi actionem exerit*. Quare non recte se gessit Condillachus facultates animae *sensationem transformatam* statuens, praesertim quia sensatio in suo systemate accipitur pro impressione usque ad animam delata sine animae intuitu. Hinc neque probamus Laromiguiére (*Leçon di Philos*. 1. *p. quart. leç.*), qui *sensibilitatem* capacitatem, et non facultatem vocat, quasi *sensibilitas* semper *passivitatem*, numquam vero *activitatem* innueret. Facultas enim est ob illam vim insitam, qua anima internas, externasque affectiones recipit, habeturque perceptionis actua, quo objectum subjecto manifestatur. Contra Condillachum, Helvetium, Tracyum scripserunt ex nostra Italia Gerdillius, Franciscus Soavius, Galluppi (*Lez. di log.* e *met. lez.* 70.), Mancino, Mastrofini; ex Scotia Reid, et Stewart; ex Germania Kantius, et Fichteus; ex Gallia ipse Laromiguiere, Degerandus, Cousinus, necnon omnes *supernaturalistae*.

370. Cum anima *sentiat*, recte intelliguntur, quae hic sequuntur: 1. quodcumque ens *sentit*, animam habet; 2. anima copulat corpus sibi vi sua, et sentit in se; sentit extra se; sentit in corpore: sentit se sentire; sentit, corpus occasionem esse suarum sensationum; sentit, se harum esse principium agens; 3. ideoque jure corpus sine anima est gravius corpore vivo, in quo anima agit, ac sua energia corporis gravitati resistit, ejusque minuit pondus; praecipue si etiam vis *unitiva* Mastrofini supponatur; 4. sensatio est veluti id omne, quod anima ab exteruis recipit objectis cum responsione in illa corporis parte, ex qua proficiscitur id, quod sensatio refert; 5. anima itaque sentit in se, et in parte corporis, in

qua impressio facta est, quasi ibi sedem haberet; 6. et proinde sensatio constituit animae modificationem, repositam in notitia ictus in aliqua corporis parte facti, et objecti tangentis; 7. anima non sentit, cum alio attendat, quia non percipit, nec proinde intuetur; 8. sensationes gratissimae diutius protractae saepe fastidium creant, delassant, vel etiam dolore afficiunt, uti contigit in longioribus musicis, academiis, theatris, commessationibus; vis enim activa animae defatigatur illis rebus diu defixa (1).

371. Quoniam sensatio supponit objecti externi impressionem in organum sensorium (§. 369.); ideo ejus diversitas et varietas a varietate derivari potest, et diversitate actionis objecti in organum sensorium, et proinde ab omnibus iis, quae hanc actionem impedire, minuere, augere, aut quocumque modo modificare possunt. Quare diversa oritur sensatio; 1. a diversa objecti constitutione, ob quam ex. gr. diversi luminis radii diverse agunt in eumdem oculum; 2. a diverso ipsius objecti situ comparate ad organum; aliter enim proximum, aliter remotum corpus agit; 3. a diversa perfectione instrumenti, quod adhibetur, cujusque causa fit, ut objectum in organum sensorium diverse agat (*Storch*. §. 18.). Quapropter; 1. impressiones debent respondere statui organi sensorii, atque definito modo fieri super ipsum organum, ut anima sentiat; 2. potest fieri, ut nullum reale objectum, sed ejus imago operetur super organum sensorium, et tamen sensatio objecti in anima sistat; uti videt amicum, qui videt amici imaginem; videt objecta, qui eorum videt imagines suis oculis efformatas; uti ad carpendam uvam avis in picturam Apellis, et alter avis ad insidendum super arborem depictam volavit, uti narrat Mastrofini ( *n*. 448. ); 3. idem objectum saepius super eumdem sensum agens eodem fere tempore non eamdem sensationem excitat in anima; uti primus liquoris haustus non est ejusdem sensationis occasio, ac est haustus secundus, et tertius; et ratio est quia primus haustus non fuit simillimus secundo, et palatus, et lingua irritati, vel stupefacti sunt primo haustu; 4. ratio cur aliquis duobus ex. gr. oculis videns, ac duabus audiens auribus unam sensationem experiatur coloris, vel soni, est, quia simillimae sunt im-

(1) Videtur tamen homo ita a natura comparatus, ut aptior sit ad percipienda ea, quae eum circumstant, quam ea, quae ipsi adherent. Sic oculos conspicit, auris audit, nares olfaciunt objecta externa, quin hi sensus seipsos sentiant.

pressiones contemporaneae, unaque super aliam posita, et *identificata*; 5. mutationes in ramusculis arteriarum, in quibus sanguis decurrit; et etiam mutationes, quae fiunt in stomacho, et intestinis, dum digestio peragitur; necnon mutationes tenues, quas in nobis sine advertentia efficimus stando, aut sedendo; demum mutationes, quae in nobis ex fluido electrico contingunt, anima non sentit, quia parvae et remissae sunt; 6. si tenuissima sit impressio in organum sensorium, et proinde nulla quasi mutatio in ipso organo, nulla erit motus communicatio in tota parte organi, nulla in anima notitia, nulla sensatio; 7. si objectum externum sit minutum, sensatio nulla habetur, nisi organum sensorium illi appropinquetur; uti si granum frumenti intueri cupiam; 8. anima magis a totius materialis impressione, quam ab impressione partium trahitur, et allicitur, uti magis a ruris, quam a singularum ejus partium inspectione, quia vehementior est totius impressio, et ideo sensatio; 9. si impressio duplex fiat in organum sensorium, vehementior, et velocior debiliorem, et tardiorem hebetat; ideoque *sensatio* habetur objecti, quod fortius egit; sic intelligitur ratio, cur gravis odor, incensis suffimentis, dispellatur, atque, excitato fragore, pulsatae citharae sonos non distinguamus; 10. saepe evenit, ut, impressione aequo intensiore facta super organum, confusa habeatur in mente sensatio, quia intensior impressio obtundit, opprimit, destruit organum sensorium.

372. Ut anima sentiat, impressio facienda est in aliquod organum sensorium, per quod ad cerebrum illa transferri debeat ( §. 369. ). Quare haec sunt notanda: 1. omnia animantia habent aliquod organum sensorium, alioquin *sentire* nequirent; 2. ita disposita sint organa sensoria, ut unum alterius functiones non turbet; neque sensatio habita uno organo cum alia alio organo habita confundatur, ceteris omnibus paribus ex parte attentionis mentis ( §§. 369. 370. n. 7. ); sic sensatio coloris illa soni non turbatur, neque cum ipsa confunditur; 3. nos linguam, nares, oculos, manus movemus, non item aures, ni exteriori exciteutur impulsu, quacumque sit causa; 4. quaevis sensatio suum supponit organum sensorium, uti sensatio coloris oculos; 5. non omnia organa sensoria eadem claritate objecta exhibent, neque eumdem objectorum numerum; nam majore claritate, omnibus paribus, majoremque numerum primum oculi, deinde aures, postea nares, demum gustus, et tactus pertingunt; 6. diversa est sensatio ob diversam educationem; nam intensiorem sensationem nobilis puel-

la, remissiorem vero agrestis experitur ex aliquo cibo; 7. organa sensoria non ad omnia objecta extendi possunt, uti quisque sibi judex est; 8. tenuissima est sensatio in senibus, in quibus organa sensoria hebetata, et vitiata sunt, praesertim si eorum corpora sint incommodis, morbisque attrita; 9. ex abusu organi sensorii segnior fit sensatio, quia stupefactum, aut obstructum, aut hebetatum factum est; 10. diversa est sensatio, ex eo, quod omnia habeantur, vel deficiant organa sensoria; quia, uno deficiente, alterius vis augetur, uti docet experientia; 11. sensatio non eadem est in omnibus animantibus, quia in ipsorum organis specifica datur differentia; ex quo ratio redditur, cur quadrupedes, et pulli gallinacei motum terrae, et volatiles frigus et calorem ante homines praesentiant; 12. imo nec eadem est sensatio in individuis ejusdem speciei, cum differentiae aliquae etiam sint in ejusdem speciei individuorum organis; ex quo intelligitur, quare idem odor ab uno vix, ab alio autem usque ad deliquium sentiatur; 13. nec eadem est sensatio in eodem individuo variis temporibus inspecto, et in vario statu, quia non eadem semper est organi dispositio; unde ipsi individuo idem cibus modo sapit, modo insipidus est; 14. et propterea diversa est sensatio, si modo organo sensorio sano, modo vitiato objecta percipiantur; quapropter flava videntur objecta laborantibus morbo regio.

373. Putat Mastrofini, animam vi *unitiva* habere sibi corpus, ejusque partes conjunctas, non exceptis nervis, quos vi sua motrice excitat, quando, et quomodo sibi placet, eodem ferme modo, quo corpus humanum in motu vestem totam in quolibet membro movet; hoc explicat exemplo illius, qui corpus, et partes, et nervos, et arterias, et musculos adhibet, ut rupem, aut arborem conscendat ( n. 307. ad 310. ).

374. Ceterum, quoniam nervi requiruntur, ut impressio in organum sensorium facta ab externo objecto ad cerebrum deferatur, et ita anima sentiat ( §. 369. ); ideo haec veluti certa habenda sunt; 1. motus ex organo in nervum delatus successive communicatur, ideoque non illico desinit; uti videre est, cum oculos palpebris saepissime tegimus, quin in tenebris versemur; 2. nervi motu tremulo communicare non possunt impressionem usque ad cerebrum, quia tensi non sunt ( §. 364. ); forsan hoc fit fluido nerveo; 3. nulla erit sensatio in anima, si nervus organo sensorio respondens secetur, aut intercipiatur; 4. sentit quandoque anima in parte resecta dolorem, si nervi extremum afficiatur eo modo, quo antea.

375. *Quamcumque sensationem semper voluptas, aut dolor comitatur*; nam 1. quaevis sensatio aut est conformis, aut opposita statui nostrae conservationis verae, aut apparentis. 2. Motus in organis sensoriis excitati aut cum activitate animae in corpus congruunt, et levamen experitur anima, aut illi activitati adversantur, et difficultatem experitur. 3. Sensationes omnes diversae esse solent ex diversitate aut objectorum, aut organorum sensoriorum (§. 371,372. ). Prout igitur objecta congruunt cum animae vel corporis vero, vel apparenti commodo, et organa sana sunt, vel vitiata, objecta ipsa blandius taugunt, et titillant, vel inclementius premuut, et hostiliter irritant; ideoque causae sunt, cur voluptate, vel dolore anima afficiatur. Quare sensationes indifferentes in individuo dari nequeunt, licet oppositum putaverit Gioja (*Esercizio logico p.* 1. *a.* 3. *c.* 1. ); et indifferentes videntur, aut quia familiares factae sunt, aut quia in aliud objectum anima defixa est, uti advertit Mancino ( *vol.* 1. *sez.* 1. *c.* 1. *n.* 9. )
„ Ceterum, apposite ait Storchenau ( *Psych.* §. 16. *sch.* ), a
„ dolorum sensu potissimum conservatio corporis nostri pen-
„ det; nisi enim ingrata sensatio ex laesione cujusdam in eo
„ partis oriretur, destructio ipsius saepe citius, quam mens
„ advertere possit, eveniret. Infantes certe, puerique vel ex
„ ignorantia, vel ex temeritate maximum corpori damnum
„ frequentius inferrent, nisi dolore admoniti a noxiorum
„ corporum contrectatione absterrerentur. Sapientissime igi-
„ tur, beneficentissimeque supremus naturae auctor consti-
„ tuit, ut anima nostra jucundis, molestisque sensationibus
„ de corporis statu admoneatur; quo pro muneris sui ratio-
„ ne ipsius saluti prospiciat... Quantas igitur Conditori
„ optimo gratias debemus, qui nobis tot subsidia conservan-
„ do corpori suppeditavit! Utinam in grati animi testifica-
„ tionem iisdem saltem semper bene uteremur! „

## ARTICULUS SECUNDUS

### DE ATTENTIONE

376. Postquam anima sentit, expressitque sibi aliquod objectum, veluti admonita ab ipso objecto, sponte, et libere in ipsum, concrete sumptum, figitur, aut in aliquam ipsius partem, ut videat, et intelligat, quidnam in ipso, aut in ipsius parte sit. Si tu hortum ingrediens, in rosam totus contemplaris, aut in aliquam rosae proprietatem, certe activitatem

animae tuae in exercitium ponis, quae, quid rosa sit, vel aliqua ejus proprietas, nititur intueri. Illa facultas mentis nostrae, qua ipsa dirigit suam activitatem in aliquod objectum jam perceptum, aut in aliquam ejus partem, totaque in illo objecto, aut ejus parte contemplanda se colligit et exercet, dicitur *attentio*, a verbo *tendere ad*, uti apposite notat Laromiguiere (*Leçon de Philosophie* t. 1. leç. 14. ). Alii alio pacto *attentionem* definiunt, eamque ab *idea* distinguunt in eo, quod attentio sit causa, et idea effectus. atque putant, attentionem esse vividiorem perceptionem. Nimis arctum officium attentioni haec opinio tribuit.

377. Quare 1. *attentio* est omnino animae facultas, non corporis proprietas, uti fabulati sunt prae aliis Bonnetus (*Essai analytiq: sur les facul. de l'âme*), et Robinetus (*De la nat. l. 1. p. 4. chap. 1.*); quorum primus attentionem explicat per animi reactionem in fibras ab extrinseco commotas; alter vero per duplicem reactionem, animi nempe in suam modificationem, et fibrae in suum motum, quasi actio, et reactio animi non foret ipsius animi operatio, et quasi reactio fibrillae non esset hujus operationis effectus (*V. Dmowski Psych.* §. 75). 2. Attentio includit semper animae actionem, quia attentione anima praecipue in objectum figitur, in ipsoque sistit, veluti quaerens diligenter aliquid. 3. Attentio tamen veluti necessario trahitur in objecta, quorum impressiones in organa sensoria non erant praevisae, et ideo nec praevisae sensationes; quia tunc anima protinus illuc accurrit, ut sensationis objectum intueatur: uti si ex improviso manum meam caedis, aut aliquid mihi triste narras. 4. Verum ab animae voluntate tota dirigitur attentio, cum agitur de sensationibus ultro perquisitis, et ideo volitis, uti voluptatis, caloris, saporis, quae habentur a scenica repraesentatione, a pictura, a potu (1). 5. Attentio supponit sensationem, a qua attentio excitatur ad actum, quaeque attentionem ad se trahit, secumque veluti tenet, accepta sensatione pro mentis perceptione et intuitu (§. 365). Sensatio proinde est objectum in anima expressum, attentio vero est ipsius animae ad ipsum objectum

(1) Quare attentio potest esse *spontanea*, sive *directa*, si ipsa voluntatis imperium antevertat; *voluntaria*, seu *reflexa*, si obtemperet voluntati imperanti.

directio (1). 6. Et haec est ratio, cur quando ad aliquid attendere velimus, organa sensoria ita disponimus, ut melius valeant objectorum externorum impressiones recipere: uti si aliquid videre cupiamus, oculos erga objectum et directe et meliori, quo possumus, modo, convertimus. 7. Sensationes provocant animae activitatem ad attendendum pro majori, minorive efficacia impressionum; ideoque pro ipsarum majori, minorive intensitate. 8. Hinc patet quare remissa sit in senibus attentio ad ea, quae legunt, vel audiunt; nam sensationes sunt debiles, et fere attritae (§. 372. n. 8.). 9. Non omnes sensationes ad attentionem vocant animam, cum aliquae sint omnino subjectivae mutationes, ac in pura animae subjectivitatis mutatione remaneant. 10. Et ideo sensatio, antequam attentionem excitet, non includit objecti cognitionem; nam saepe fit, ut de re *sentita* ne nobis quidem rationem reddere possimus. 11. Attentio admittit gradus, nam vividior, aut remissior erit tum pro majori, minorive sensationum efficacia; tum pro majori, minorive animae activitate; majori, minorive voluptate ab illa re haurienda; majori, minorive exercitatione ipsius attentionis (2). 12. Ex his intelligitur, cur attentionem rapiant vehementiores sensationes, spretis ceteris; cur major attentio reperiatur in illis, qui sunt propositi tenaces, vel intellectu perspicaces; cur vitia, quae sensus titillant, trahant animum; cur demum majori utantur attentione, qui affectibus non blandiuntur, ac vitiis non indulgent, sed virtuti omne studium impendunt. 13. Inde quoque patet, attentionem praecipue promptiorem fieri ob intellectus acumen, ob exercitium, ob convenientiam rei cum nostro statu, et nostris desideriis, et nostris ideis (3). 14. Attentio fere semper cum *abstractione* copulatur, nequit enim anima in idea contemplanda tota defigi, quin avocetur ab aliis. 15. Et ideo quo major est attentio, eo perfectior est abstractio. 16. Quare, si

(1) Quare, ut attentio vividior evadat, saepe requiritur, ut objecta sint praesentia; sic geometrae attentionem augent figurae, geographi chartae geographicae, ipsaeque litterae scriptae cujusque attentionem adjuvant.

(2) Hinc et patet ratio, cur ex attentione nascatur *meditatio*, quae propriae mentis acumen, ac deinde scientiam gignit; *meditatio* enim est profunda quaedam, et iterata mentis attentio.

(3) Quare eo educatores, et praeceptores suas debent intendere vires, ut reperiant, quae adolescentium acumen, et attentionem alant. Hinc perperam se gerunt, qui aut metu, aut quadam ferocia, aut verberibus in pueris discendi curiositatem, quae potius regenda est, extinguunt. Vide Genuensem ( *Log. Crit. l. 5. c. 5.* )

abstractione uti non valeret anima, in omnes res distraheretur, nosque veluti somno dediti sopore perpetuo occuparemur, quia semper unicae velut ideae defixa foret anima, aut semper ideis singularibus instar belluarum. 17. Non recte Galluppi (*Psyc. c.* 3. *n.* 25. 26.) *analysim* vocat attentionem, utpote quia analysi fit abstractio; nam analysis hoc casu est potius iter, et modus, quo mens attendere debet, non autem ipsa attentio (§. 179). 18. Pluribus attendere nequit anima nostra eodem temporis momento, quia uni rei nequit simul figi, quin ab alia avocetur, in qua fixa est; ideoque de una in aliam rem successive, et velocissime transit anima, cum videtur pluribus simul attendere, uti optime notat Salvator Mancino (*c.* 2. *n.* 14). 19. Attentio numquam uti mera potentia concipi potest, quia est activitas animae in aliquid actu defixa. 20. Ex attentione oritur *sensus intimus* (§. 193), qui est actus directus attentionis super animam ipsam, seu actus, quo anima in seipsam veluti *reflectitur*. 21. Saepe tamen sensus ille intimus a nobis non advertitur, quia perenniter nos afficit, neque semper illum interrogamus, seu illi non attendimus. 22. Attentio respicere potest materialia, et spiritualia, ideas, et judicia, finitum, et etiam infinitum, sed respectum finito modo, quia finitae substantiae est facultas attentio, de qua loquimur (1). 23. Attentionem tamen voluntas subtrahere potest ab objecto, quod fortiter agit in organa sensoria, animumque voluptate perfundit; uti videre est in illo, qui aliquem quaerit in theatro, in quo aliqua vehemens, aut pulchra fit repraesentatio. 24. Recte monet Storchenau, nullum in disciplinis sublimioribus progressum facturos, qui attentione longo etiam tempore in aliqua re expendenda retinere non condiscunt (*Psych: sect.* 1. §. 51. *sch.*)

(1) Imo *attentio* ipsam sensationem potest vividiorem reddere, clarioremque efficere ideam objecti, ad quod dirigitur, aliis veluti evanescentibus vel languescentibus, uti notat Costa (*Modo di comporre le idee c.* 8. §. 3.). Notetur tamen discrimen attentionis animae super seipsam, et super objecta materialia. In primo casu in seipsam veluti *reflectitur*, silentibus omnibus sensibus externis; in secundo casu *observat* unum saltem sensum adhibendo in objectum, ad quod attendit. Cum attendit ad spiritualia vel idealia, sensus externi etiam silent.

## ARTICULUS TERTIUS

### DE REFLEXIONE.

378. Saepe usuvenit, ut anima humana haud veritatem, quam inhiat, assequatur, si in sola attentione consistens, ulterius non progrediatur. Nam quandoque opus ei est, ut unum cum altero objecto, aut unam objecti partem cum altera comparet, et sic ad verum quaesitum perveniat. Hoc casu anima modo ad unum, modo ad alterum objectum, vel ad varias objecti partes suam dirigit attentionem, sicque, comparatione facta, suum efformat judicium. Si tu, quid rosa sit, cupis noscere, mentis aciem profecto vertis modo ad folia, modo ad calamum, modo ad calicem, modo ad colorem, modo ad odorem, modo ad semen. Illa facultas mentis, qua anima successive, et deliberate attentione sua modo unum, modo alterum lustrat objectum, vel varias objecti partes, aut proprietates, ut aliquid concludat, dicitur *reflexio*, quae vox derivatur a corporis motu, qui *reflexus* dicitur, cum corpus, quod in aliud incurrit, regreditur. Igitur reflexio est replicata attentio.

379. Ex quo patet, non recte Lockium dixisse reflexionem actum, quo anima ad seipsam attentionem vertit, quasi non foret reflexio, si anima attenderet ad alia objecta. Neque proinde recte docuit Condillachus, qui reflexionem dixit actum, quo anima suam defigit attentionem modo rebus externis, modo ideis sibi internis; nam reflexio potest tota evolvi tum in solis objectis externis, tum in solis ideis. Demum perperam aestimarunt Condillachus, et Bonnetus sine signis, quibus ideas exprimimus, non haberi reflexionem; siquidem anima reflectere potest in objecto, quod nescit nomine vocare (*V. Soave Psic. sez.* 2. *c.* 2. *a.* 2.) (1). Ceterum in abstractissimis ideis, in efformandis complexissimis, et universalissimis ratiociniis signa omnino requiruntur in praesenti hominis statu (§. 117.)

(1) Gioberti in *Introductione*, et in aliis suis operibus duplicem statuit *reflexionem*, nempe *ontologicam*, cujus terminum dixit Ens reale absolutum et externum, quatenus est ab homine perceptum; et *psycologicam*, cujus objectum dixit spiritum reflectentem super se, sicque ratione objecti percepti divisit reflexionem. Imo saepe docuit, nullo modo posse spiritum humanum *reflectere* sine verbo, atque ne cogitare quidem.

380. Circa reflexionem plura sunt notanda. 1. *Reflexio abstractionem* supponit, quia qualitates objecti, vel objectorum anima reflexione complectitur, et quia reflexio est replicata attentio, quae nequit sine abstractione intelligi (§. 377. n. 14.). 2. Quare, si *distracta* anima est, nempe si transit a re contemplanda ad aliud impertinens, *reflexio* minuitur, aut destruitur, quia plura illa, ad quae attendit, consociari nequeunt. 3. Distractio proinde major est in illo, qui minus reflexione utitur, quia ad objecta determinata minus animae activitatem defigit. 4. Et ideo *abstractio*, qua mens ab objecto separatum considerat, quod separatum non est, a *distractione*, qua mens rapitur extra rem propositam, toto caelo differt. 5. Anima reflexione comparat res, ac judicium conficit; et propterea non rem attingit cl. Mastrofini (§. 803), qui negat judicium esse reflexionis effectum; nam saltem, posita reflexione, judicium sequitur, ne dicamus frustra, animam suam attentionem modo huc, modo illuc deferre. 6. Jure *conscientiam reflexam* illam vocamus, qua nostram existentiam ad plura momenta referimus; et quidem *internam*, si ipsa moneamur de nostra existentia, aliqua re interius resistente; et *externam*, si ipsa distinguamus a nobis objecta extra nos posita (§. 377. n. 20.). 7. Hujusmodi porro *conscientia reflexa* etiam judicium, uti et *reflexae cognitiones*, complectitur: sicuti cum ex. gr. identitatem nostrae personae ex praesenti cum praeteritis nostrae existentiae statibus comparamus (§. 317.), et existentiam inferimus ex comparatione entis existentis ad plura momenta. 8. *Reflexio* suos admittit gradus, uti vidimus de attentione (§. 377 n. 11.), nempe pro majori, vel minori commoditate corporis, intensitate attentionis, naturali animae activitate, influxu voluntatis, relatione ad statum nostrum, nostrasque ideas, exercitio ejusdem facultatis. 9. Ex his certe fit, ut aliqui ad minimum rumorem turbentur, dum alii in reflexione persistant, etiamsi pueri defleant, ludant canes, magna vocentur voce. 10. Saepe nos reflectimus, quin reflectere advertamus; uti qui fert suam attentionem ad verba et ideas, ad attributum et subjectum judicii, dum aliquid scribae dictat. 11. Saepe etiam intra nos ad plura reflectimus in animo nostro, dum tamen externe videmur ad alia reflectere, uti qui mente plura intense revolvens, currum per viam devitare nititur. 12. Ad omnia objecta exporrigitur reflexio, uti de attentione diximus (§. 377. n. 22). 13. Qui magna scit *reflexione* uti, mentis acumine potitur, si promptus sit ad plura facile detegenda in objecto; mentis vero *profun-*



*ditate*, si majori ordine ad simpliciores, et adaequatas objecti ideas facilis descendat. 14. Quare reflexione ideae efficiuntur clarae, distinctae, adaequatae, quantum nobis datum est.

## ARTICULUS QUARTUS

### DE INTELLECTU

381. Postquam anima res percepit, ipsis suam fixit attentionem, atque attentione sua se huc, illucqe convertit, relationes rerum certe *intellexit*; ideoque de rebus ipsis, atque earum notis, quantum homini datum est, sibi ideas efformavit. Sic profecto procedit anima tua si, postquam rosam ex. gr. perceperit, in ipsam se convertit; atque in varias reflectens rosae proprietates, *intelligere* cupit, quid rosa sit, et in quo ab aliis distinguatur floribus. Facultas illa, qua anima sua activitate naturali ideas rerum distinctas sibi efformat, atque in idearum proinde notas percurrit, relationesque attingit, *intellectus* dicitur. (1)

362. Nos non latet, intellectum apud veteres, et etiam aliquos recentes, totam indicare cognoscendi facultatem, uti voluntatem totam facultatem volendi. Juxta ipsos enim tres sunt animae facultates, intellectus, voluntas, memoria. Verum cum nobis propositum sit de facultatibus animae disserere ordine *chronologico*, quo videntur in ipsa evolvi; intellectum indicavimus, uti facultatem, quae tardius, quam ceterae hucusque laudatae, evolvitur. Ceterum tenendum pro certo est, unam animam esse, quae cognoscit, ideoque percipit, attendit, reflectit, intelligit; atque haec omnia in operando saepe consociari. Sed anima primum percipit, dein attendit, postea reflectit, demum intelligit. Ex quo patet, nos intellectum respicere uti animae activitatem; non enim *intellectum patientem* Peripateticorum admittimus, quia intellectus ex natura sua *agens* est. De hoc vide Genuensem (*Elem. met.* 3. *par. prop.* 32).

383. De intellectu agentes haec notare oportet 1. Ad intellectum pertinet praecipue operatio animae, quae judicium et ratiocinium dicitur (§§. 122. 143); quia tunc praecipue anima *intelligit*, cum recte judicat, atque ratiocina-

(1) Aliqui considerant *intellectum* veluti potentiam sine actibus, *intellectionem* potentiam in exercitio, *intelligentiam* complexum acquisitarum cognitionum.

tur, et veritatem hac via assequitur. 2. Intellectus quoque operatio est *analysis*, qua rem dividit, et in partes scrutatur, et lustrat; nec non *synthesis*, qua rem componit, totumque unum efformat; siquidem hac via praecipue ideae distinctae efformantur. 3. Imo etiam *abstractionem* includit haec facultas, cum separatim res a rebus, et proprietates rerum considerat, ut relationem rite introspiciat: ideoque ideae abstractae ad intellectum pertinent. 4. Ideae universales praecipue ad intellectus operationem spectant, tum quia abstractio, qua ideae universales efformantur, ad intellectum praecipue pertinent; tum quia sine ideis universalibus ratiocinia nequiret intellectus perficere (§. 153); tum quia intellectus nil praestaret reflexionem, si tantum in singularibus sisteret. 5. Quare ens quod intellectu caret, ideas universales et abstractas nequit conficere. 6. Ad intellectum proinde quoque pertinet cognitio *symbolica* vel *figurata*, seu cognitio ope signorum habita, uti est *scriptura*, in qua, accepta uti est, non aliud anima percipere potest, nisi ideas signorum; ast intellectus ope etiam ideas rerum sibi efformat, quae illis signis conteguntur. 7. Ex hoc vero haud sequitur, uti Condillacho placuit post Gollingium, adeo niti vocabulis, aliisque signis distinctam universalium cognitionem, ut sine ipsis illa omnino evanesceret (§. 117.). 8. Intellectus perfectio potest considerari tum relate ad idearum quantitatem, tum relate ad earum distinctionem; quod etiam cum proportione ad alias facultates applicandum est, uti optime notat Storchenau (*Psych.* §. 57. *sch.*). 9. Quare infinitus est intellectus, qui omnes cognitiones distinctissime complectitur, quod miraculum uni Deo est tribuendum, non vero intellectui humano, qui lente ad verum progreditur, quin umquam metam verae sapientiae pertingat, uti recte advertit Paulus Costa (*Del modo di comporre le idee vol.* 1. *c.* 61. §. 5.). 10. Homo proinde ad aliquam partem scientiarum suum intellectum debet vertere, et quidem ad illam, quam suae animae non recusant vires; nam quaevis scientia suum requirit intellectum, uti idem Costa monet. 11. Intellectus nonnisi *impurus* in homine haberi potest, quia in ideis suis semper aliquid obscuri, et confusi deprehenditur, licet analysim promoveret, quantum fieri potest; *purus* enim intellectus, qui omnia clare et distincte videt, unius Dei est. 12. Intellectus augetur, vel minuitur pro majori, vel minori corporis sanitate; pro majori minorive animae activitate; pro majori minorive exercitio, quod postremum magna peperit

miracula. 13 Intellectus, qui acumine, et profunditate (§. 380. n. 13.) potitur, *pulchrum ingenium* dicitur, quod recte diceres *sublime*, ut inde intelligantur illa ingenia, dicta *beaux esprits* qui ingenia prodigiosa gestiunt vocari, sed sunt *effaeminata*, utpote fucata sermonis elegantia, quidquid sanctum est, ore temerario arrodunt, inquit apposite Storchenau (*ibid.* §. 60. *sch.*). 14. Ingenium vero dicitur *genium*, et a Gallis *genie*, quod exprimit excellentiam, et raritatem ingenii in aliquo feliciter perficiendo opere, uti notat Mastrofini (§. 801.), vel perfectionem in aliquo opere, uti addit Paulus Costa(*ib.*), quasi nempe ingenium hujusmodi sit caelestis spiritus, qui mira patrat. *Vide* Riedelium, Mejerum, Dugaldum Stewartum, Bettinellium, ubi de *ingenio*, *et genio* agunt. (1)

384. Verum unde haec ingeniorum discrimina oriuntur? Helvetio et Beccariae hoc ex educatione, et circumstantiis placuit derivare. Ast perperam. Sicut enim sunt aliqui homines veluti a natura constituti truces vel mites, elati vel humiles, callidi vel aperti, indociles vel patientes, solertes vel hebetes, avari vel liberales: ita et a natura alii sunt comparati ad unam, vel alteram scientiam, aut artem. Hinc aliqui recto sensu donantur, alii ingenio, sed aut sagaci, aut acuto, aut profundo, aut lucido, aut lato, aut arguto, aut subtili; et alii etiam genia vocantur et sunt, quia nova *gignunt*, uti Demosthenes, Homerus, Tullius, Virgilius, Dantes, Areostus, Tassus, Galilaeus, Newtonus, Buonarota, Raphael, Vicus, et multi e contra alii in quavis scientia, et arte sunt, qui habent ingenium

(1) De *ingenio* disserens Ginberti (*Introd. allo stud. della Filos. t.* 1. *c.* 2. *p.* 202. *ad* 250.) notat, esse facultatem, quae verum, pulchrumque intuetur, et exprimit, quaeque suis utitur viribus, inveniendique virtute donatur. Dotes deinde recensens, quibus ingenium *speculativum*, quod in philosophia rationali habet locum, potitur, animadvertit, ingenium hujusmodi esse 1. *inventorem*, quatenus inter res intelligibiles, et sensibiles novas detegit relationes, clarasque reddit ideas obscuras; 2. *penetrans*, quatenus rerum veluti fundum ingreditur, nec umquam in earum apparentia sistit, 3. *potens* analysi, et synthesi, quatenus illa distinguit mundi idealis elementa intelligibilia, hac vero veluti uno intuitu maximum idearum numerum complectitur; 4. *imaginosum*, quatenus amplectitur speculativam synthesim; 5. *forte*, quatenus suffulcitur a voluntate plena vigore, et activitate, 6. *apertum*, et *simplex*, quatenus omnem affectationem devitat; 7. *sapiens*, quatenus temperantia regitur, neque in excessum ruit; 8. *animosum*, quatenus veritatem absque formidine tuetur; 9. *modestum*, quatenus sine ratione de se haud praesumit; 10. *meditans*, quatenus solitudinem quaerit, eaque delectatur, 11. *patrio amore fervens*, quatenus patriae suis viribus inservire studet; 12. *religiosum*, quatenus veram colit religionem, cujus ope ipsum praecipue perficitur.

hebes, sterile, ignobile, tardum. Quacumque educatione aliquos excolas, in quibusvis circumstantiis eos statuas, numquam genia fient. Adde, quod numquam Alferius fuisset Galilaeus, neque Miltonus in Newtonum se convertisset, licet eamdem educationem habuissent, fuissentque in iisdem circumstantiis. Neque a falso abhorruerant Leibnitius, Kantius, Hegel, aliique Transcendentalistae, qui ingeniorum discrimen repetivere ex diversa interna activitate cujusque animae, atque a formis abstractae cognitionis. Nam experientia edocemur, *praeter me existere non me*, atque plura de *non me* nos sensibus internis, externisque attingere, sicque fieri posse *ingenia*. Quid vero dicemus de sententia Hippocratis, Joannis Bodini, Montesquieu, Herder, Gioja, qui ex diversitate climatis, temporum, victique cum variam corporum conformationem, tum ingenia, mores, operationesque omnium gentium deduxere? Haec opinio vera quidem est, si de physica hominum conformatione loquamur. Ex hisce enim causis divisio repetenda videtur familiarum in albam, seu *Caucasicam*, in fulvam, seu *Mongolicam*, in nigram, seu *Aethropicam*, in *Malensem* inter primam, et tertiam, in *Americanam* inter secundam, et tertiam, in aliasque familias. Sed falsa est, si ex ipsismet causis deducantur indoles, ingenia, mores, actionesque alicujus hominis, vel gentis. Siquidem 1. anima humana suis praedita est facultatibus, quae ipsi naturales sunt, neque a causis physicis possunt enasci; ex hisce porro facultatibus indoles, ingenium, mores populorum oriuntur. 2. Omnes artes, scientiaeque ubique apud omnes alicujus famae gentis in quavis terrae regione fuerunt, ubique triumphi, victoriae, bella, foedera recensentur. 3. Saepe etiam visum est, populum, qui ignavia torpescere videbatur, a viro quodam audaci excitatum esse, atque ad magna cucurrisse. Igitur varia indoles, temperatio, mores, ingenia, actionesque populorum vel singularium hominum neque a sola educatione, neque a sola mentis activitate, neque a solo climate, aliisque hujusmodi circumstantiis sunt repetenda. Quaenam igitur est haec causa? Omnes recensitae; nempe prima causa discriminis est ipsa diversitas graduum intellectus cujusque animae, dein educatio, aliaeque adductae. Unde Horatius philosophice (*ep. ad Pison.*) cecinit:

„ Natura fieret laudabile carmen, an arte,
„ Quaesitum est: ego nec studium sine divite vena,
„ Nec rude quid possit video ingenium; alterius sic
„ Altera poscit opem res, et conjurat amice „

(Vide Salvatorem Mancino *Elem. di Filos.* v. 2. sez. 3. c. 1., Balthassarem Poli *Saggio di un corso di Filos.* v.1.p. 2., Laromiguiere *Leçon de Philos. leç.* 1., et cl. Galluppi *Lez. di Log. e Met. Lez.* 95. 96. 97.).

## ARTICULUS QUINTUS

### DE RATIONE

385. Homines ratione praeditos nasci, ac ratione gaudere, ubique clamitatur; licet pauci sint, qui reapse ratione utantur. Anaxagoras (§. 20.) docuit, rationem a sensibus non pendere, atque Kantius, Schellingius, Abrens, Rosmini (§.67.68. 77.), aliique recentiores rationalistae commenti sunt, illam aliqua in se continere principia nullimode experientia suffulta. Rationem obnoxiam sensibus esse, atque nil posse sine experientia aestimarunt Baco, Lockius, Condillachus, Gioja, Costa, sed prae ceteris Tracyus, Cabanisius, aliique, qui empiristae audiunt (§. 57. seqq.). Quidnam igitur hoc vocabulum *ratio* significat, et quaenam ipsa complectitur? Rationem aliqui idem aestimarunt ac intellectum (*Genuen. met. p.* 3. *def.* 2. *nota* (6) *n.* 1.); sed paulo aliter res se habet. Nam homo, ut „ inquit Tullius (*De off. l.* 1. *c.* 3.) per rationem consequen- „ tia cernit, causas rerum videt, earumque progressus, et qua- „ si antecessiones non ignorat, similitudines comparat, rebus- „ que praesentibus adjungit, atque adnectit futuras, facile „ totius vitae cursum videt, ad eamque regendam praeparat „ res necessarias „. Quid igitur est ratio? *Ratio* est facultas distincte percipiendi nexum veritatum universalium, inquiunt Wolfiani, quos sequuntur Storchenau, Ciampi, aliique: *ratio* est facultas perveniendi ad necessarium, et absolutum, et proinde ad omne id, quod experientia non fulcitur, dicit Kantius: *ratio* est facultas, per quam homo a brutis differt, definit Lockius: *ratio* est veritatum catena, docet Leibnitius: *ratio* est facultas deducendi a notis veritatibus alias ignotas, et quidem serie non interrupta, putat Mastrofini (n. 1039.): *ratio* est facultas judicandi et ratiocinandi, dicit Salvator Mancino (c. 4. §. 31.). Verum quid est ratio? *Ratio* est nobilior pars activitatis animae humanae, ac veluti linea, quae homines a brutis distinguit: *ratio* est facultas amplians, quae nostrae naturae infirmitatem in texendis judiciis, sine quibus veritatem non assequeremur, adjuvat; *ratio* est veluti medium, quo introspicitur in catena annulus, qui alios annulos ad se trahit.

Igitur quidnam tandem *ratio* est? Ratio est illa animae facultas, seu illa evolutio activitatis humani intellectus, qua anima ipsa, serie non interrupta, a notis ignota deducit, servatis servandis ratiocinii regulis. Hac definitione et rationem ab intellectu distinguimus, et fere omnes hucusque datas definitiones complectimur. (1).

386. Neque hac facultate caret homo. Siquidem postquam anima humana distinctas rerum ideas sibi efformavit (§. 381), earumque relationes est intuita, ratiocinii regulis usa, a notis ad ignota percurrit; uti videre est in illo, qui hortum ingrediens, flores, plantasque cernens, eorumque proprietates introspiciens, classes eorum efformat, indolem cujuscumque classis statuit, vires denotat, utilitatem indicat, aliaque innumera inde deducit. Ceterum aliud est habere *rationem*, et aliud exercitium *rationis*. Omnes homines ratione praediti sunt, accepta uti facultate; *nam est similis in omnibus natura, ac sensus, et una ac uniformis ubique natura rerum*, ait Genuensis. Sed *ratione* accepta in exercitio non omnes potiuntur, quia non omnes de consequentiis in consequentias valent, aut volunt descendere, ac ratiocinii regulis uti. Ex quo patet, quare tot vitia rationi attribuantur, quasi ipsa omnes indueret colores, neque unquam monstraret, quid reapse ratione sit tenendum. Hoc vitium hominis est, qui male utitur ratione, non ipsius facultatis; uti illius est vitium, qui pedibus ad ambulandum utitur, si in aquis, in quas praeceps ruit, pedes figere velit, uti optime notat Mastrofini (n. 1061.). Deinde cum ratio humana limitibus coarctetur, unusquisque rationem adhibere debet, suffultam regulis ratiocinii, in iis tan-

(1) Quare ad *rationis* dominium pertinent omnes ideae generum, specierum, individuorum, spiritualium, idealium, materialium, posito tamen exercitio aliarum facultatum. Quo sub respectu ratio dici potest facultas *receptiva* idearum universalium, et singularium. Non desunt tamen, qui dicunt, rationem non posse vocari instrumentum scientiarum, cum potius scientiae omnes sint instrumentum augendae, et perficiendae rationis. Sed, omissa hac sententia, ratio distinguitur ab intellectu 1. quatenus iste ideas conficiat, ratio recipiat; 2. intellectus in suis ideis mutatur, cum objecta sibi mutuo succedant, aut eorum status mutentur, uti caloris vel frigoris; ratio vero, in se quidem mutabilis, in ideis non mutatur, mutatis objectis; ex. gr. hac domo mutata, in ratione remanet idea primae non mutatae domus. 3. intellectus videt in objectis relationes contingentes, ratio videt relationes immutabiles in ideis, quia ideae rationis sunt immutabiles. Cave tamen credas, ex idearum immutabilitate posse cum Schellingio, Cousino, Leroux deduci, rationem humanam esse immutabilem, veracissimam, ipsamque Dei rationem.

tum, quae ipsius ratio attingere potest. Porro quicumque bibit, quantum satis est, dicitur bibere, licet totum non bibat fontem. Pari modo, qui ratione sua aliquas veritates attingit, rationem habere dicitur, licet non omnes capiat veritates. Quare homo ratione potitur, licet ea uti nesciat, aut nequeat, quia forsan adhuc ipse ideis, a quibus seriem judiciorum incipiat, destituitur; uti contingit in pueris, et etiam in doctissimis, qui adhuc quaedam ignota attingere nequeunt. Sed sicut puer postea suam adhibet rationem, ita ratio humana in aliis locis, et temporibus forsan intelliget, quae modo doctissimi quique ignorant.

387. Hinc perfectior est ratio, quae majorem idearum quantitatem, et quidem majore distinctione, et majore facilitate recipit, earumque intuetur nexum. Quare perfectissima illa dicenda est ratio, quae omnes veritates distinctissime intuetur.

388. Ex his facili negotio intelligitur divisio rationis in *rectam*, seu sanam, et *malam*, seu insanam. Illa procedit a principiis certis, et quidem suffultis regulis uniuscujusque evidentiae (§. 233.), et ad necessarias descendit illationes. Hoc sensu ratio est proprietas cujuscumque hominis, non vero alicujus gentis, aut scholae, aut sectae; est proprietas, quae inhaeret naturae humanae. *Mala ratio* vero non est ratio, sed umbra rationis, imo rationis spectrum. Quare ridiculam hanc divisionem, quae cum regulis logicae pugnat, reputat Storchenau (*Psych.* §. 72. *Coroll.* 2.)

389. Iam patet (§. 385.), ratiocinia, analysim, synthesim ad rationem pertinere, quatenus media suppeditant ad distincte percipiendam relationem notarum cum ignotis ideis, earumque nexum. Verum male quis deduceret, perfectiorem rationem perfectioribus uti ratiociniis; aut meliori modo analysim, et synthesim perficere. Nam si ratiocinia sunt veluti scala, qua de una in aliam descendimus veritatem; atque analysis, et synthesis sunt methodi, quibus ratio utitur ad veritatem assequendam, profecto eo minus ipsa necessaria sunt, quo perfectior est ratio. Si ratio illico videt veritatum nexum, certe illis mediis ipsa non indiget. Puer scamnum adhibet, ut fructum excerpat ab arbore, sed adultus factus manibus sine scamno illum carpit. Igitur, crescente rationis activitate, illorum mediorum necessitas minuitur. Ergo ratio gradus quoque admittit, et quidem pro activitate aliarum facultatum, quarum veluti apex est, ac pro ejusdem rationis exercitio.

390. Ex dictis sequitur, male Tracyum aestimasse, ratiocinium esse actum facultatis, qua tantum judicamus; hoc enim coarctat activitatem nostrae animae, ac rationem sua spoliat dignitate. Ast non inde inferes cum Kantio, ejusque sectatoribus, omnia judicia, et ratiocinia esse a *priori*, quasi nulla judicia, et ratiocinia ab experientia dependerent, sed omnia in ipsa sisterent ratione ante quamcumque experientiam, et essent universalia, et necessaria. Nam omnia nostra ratiocinia judiciis, judicia vero ideis, quae omnes acquiruntur, uti in sequenti sectione videbimus, fulciuntur; et certum est, nos ab individuis ad species, a speciebus ad genera assurgere. Ceterum et nos admittimus judicia, et ratiocinia a *priori*, sed quae autsupponunt judicia et ratiocinia a *posteriori*, aut inserviunt ad deducendum effectum a causa, in cujus idea ille continetur, aut attributum a substantia, in qua illud includitur, uti vidimus (§§. 126. 197.)

391. Verum quaenam sunt objecta rationis? Omnes veritates. Nam ratio humana de omnibus rebus, semper suffulta regulis ratiocinii, potest inquirere, ac ab agnitis ignotas veritates eruere. Sed nonne sunt aliqua supra, et contra rationem? Iam vidimus in nostra Logica (§. 189.), quaedam dici *supra*, quaedam *secundum*, quaedam *contra rationem*. Alias dari veritates *secundum rationem*, patet ex iis, quae hucusque disseruimus, quaeque rationi sunt conformia. Aliqua esse, quae *contra rationem* sunt, patet ex illis, quae disputavimus in Logica de principio contradictionis, et in Metaphysica de impossibilitate; nam *contra rationem* sunt, quae rationi opponuntur, contradictoria sunt, impossibilia sunt, nihil sunt. Tota igitur quaestio est, utrum dentur veritates *supra rationem*, nempe quae veritates sunt, sed nullum naturale medium habemus, quo eas aut admittere, aut respuere possemus. Ex quo patet, aliquas dici posse *supra rationem* respectu unius, non vero alterius, et aliquas respectu omnium hominum. Dari veritates supra rationem primo sensu acceptas, facile admittitur, cum multa sint, quae doctissimos tantum non latent. Verum danturne veritates secundo sensu acceptae? Nonnulli sectatores Pomponatii rationem cum fide pugnare professi sunt, damnati a Leone X. in ultimo Lateranensi Concilio. Ipsos sequuti sunt Caesar Cremonensis, Andreas Cesalpinus, Beriguardus, Baylius, Rousseau, Voltaire, contra quos tota pugnat doctorum caterva. Nam 1. certe, si illa, quae fides docet, ac proinde sunt supra rationem, non extarent, Deus esset unica errorum nostrorum causa, quod

certe esse nequit. 2. Si fides cum ratione pugnaret, ideoque non existerent veritates supra rationem, Deus secum ipso pugnaret; utpote qui auctor est et rationis, et veritatum fidei. 3. Tum ratio, tum fides amice conspirant, non enim *alio haec, alio ducit illa, quia eodem spectant ambo, et in eumdem finem referuntur*, ut ait Melchior Canus (*De Loc. Theol.* l. 22. c. 5.). 4. Nisi daretur *aliquid supra rationem*, hoc foret, quia repugnaret vel ex parte subjecti, vel ex parte objecti, vel ex parte medii. Ast non primum, quia multa sunt, experientia teste, quae fugiunt nostrae rationis efficaciam, et multa, quae scimus, veluti per speculum, et in aenigmate scimus; non alterum, quia plura sunt vera de Deo etiam lumine rationis cognita, quorum tamen relationem ratio non videt; non tertium, quia Deus omniscius est, et omnipotens, ideoque perspecta habet, quae aciem nostrae rationis fugiunt, eaque signis sensibilibus, aliove medio valet patefacere. 5. Demum multa sunt, quae sunt supra rationem agricolae, quae non latebant Newtonum; cur igitur non admittenda forent, quae vincunt cujuscumque hominis rationem, ast Dei intellectum non fugiunt? Quapropter, si aliqua videantur contradictoria rationi, quae revelatio vere divina docet; hoc est, aut quia sensus divinae revelationis non est recte intellectus, aut quia ratio claudicat, recta non est, refugit enim Deo fidem praestare, quasi Deus aut decipiat, aut deceptus sit, ipsa vero nunquam decipiatur. Hinc recte notat Gioberti (*Introduz. allo stud. della Filos. t.* 2. *c.* 8. *p.* 638. *Brusselle* 1840.), negare id, quod excedit rationem, esse idem ac constituere hominis spiritum mensuram veri, atque asserere, Dei rationem ultra humanam non extendi. Quare fides verbo Dei exhibita est actus servitutis, quo supremum Dei dominium homo cognoscit, et veneratur, et summa est sapientia subjicere nostrum intellectum summo vero. Quapropter, concludit profundus philosophus, qui Dei dictata mordet, quia ea nequit sua finita mente intelligere, reus laesae supremae Majestatis est, atque pedetentim labitur in atheismum, quod est animae suicidium.

392. Sed hic adhuc aliqua notanda sunt. Et 1. ratio dicitur *sagax*, seu tantum *sagacitas*, si prompte et facile ideas inveniat, quibus nexum attingere, et ratiocinia efformare valeat, et usque ad extrema pertingat consectaria; ratio *solida*, seu tantum *soliditas*, si prompte et facile ideas inventas ordine disponat, atque ad summam perducat evidentiam. 2. Facultates hucusque recensitae se invicem adjuvant, cum una

alias, et aliae unam in adjutorium obtineant, uti examinanti patet. 3. Quoddam *rationis analogum* aliqui probant, iu eoque constituunt, ut sit quaedam initialis ratio respiciens veritatum singularium nexum, hominibus aeque ac belluis saltem perfectis conveniens, qua ex similibus causis in similibus circumstantiis similes effectus expectantur, quod *casuum similium expectatio* vocari solet: sed haec obsoleta res videtur, quia ratio in hominibus, in belluis facultas essentialiter a ratione distincta haec omnia perficere valet, et quidem modo essentialiter diverso. 4. Sed rationis ope illa quoque efformatur et evolvitur praestantissima scientia, quae *aesthetica* dicitur, quaeque regulas docet pulchre cogitandi, cogitataque elegantibus signis exprimendi, atque omnibus studiis, ac liberalibus disciplinis principia generalia subministrat. Ratione siquidem illa patefiunt principia, quibus nituntur, et modus, quo efformantur scientiae, et artes; ratione tria illa omnis scientiae objecta, homo, mundus, Deus, ad quae omnes omnino et scientiae et artes reducuntur, expenduntur; ratione errores circa ipsa enati contra Materialistas, Fatalistas, Idealistas, Scepticos, Atheos, Formalistas exsufflantur; ratione moralis universalis, ex qua tot eruuntur principia socialia; physicae universalis, qua et artes et scientiae plurimae fulciuntur; Religionis, ex qua tot bona derivantur, principia statuuntur; ratione illud pulchrum universale, essentiale, independens, quod gratiis ubique comitatur, attingitur, cognoscitur, demonstratur: de quo pulchro pulchre disseruit P. Andres (*Saggio sul bello*) (1).

(1) Hinc non *pulchrae* sont illae res, quas tu *pulchras* dicis, alii *deformes* vocant. Tunc enim *pulchrum* confunditur cum eo, quod *placet*; quia potest uni placere, quod alii displicet, ob diversam organorum dispositionem, educationem, cultum, mores, consuetudinem, habitum, ob diversas temporis, loci, proprii commodi, vel incommodi circumstantias. Verum *pulchrum* debet esse aliquid, quod omnibus, et semper placuit, atque placebit. Quoniam vero *pulchrum* in aliquo ente inveniri debet, hocque est ideale, vel reale, ideo pulchrum est *reale*, quod existit in natura, et *ideale*, quod in hominum mente est positum. Sicut vero entia sunt corporea, vel simplicia, et spiritualia; ita pulchrum reale est *corporeum*, vel *spirituale*; ideale vero est *intellectuale*, vel *imaginarium*. Pulchrum in genere supponit 1. varietatem plurium, diversorumque elementorum; 2. unitatem istorum elementorum unum totum efformantium; 3. proportionem elementorum inter se connexorum; 4. commodum, sive utilitatem mentalem, aut corpoream. Uno verbo pulchrum debet continere pluralitatem, unitatem, veritatem, bonitatem.

# CAPUT SECUNDUM

## DE SECUNDARIIS COGNOSCENDI FACULTATIBUS

393. Eas secundarias cognoscendi facultates vocamus, quae alias hucusque laudatas omnes, aut aliquam supponunt, quaeque non primitus in anima evolvuntur. Multae eae sunt, veluti idearum *associatio*, *abstractio*, *retentio* idearum, earum *recognitio*, *imaginatio*, *memoria* (§. 361.). Nos vero ad duas tantum reducimus, nempe ad *imaginationem*, et *memoriam*. In duos articulos proinde hoc caput dividimus, in quorum primo de imaginatioue, in secundo de memoria loquemur.

## ARTICULUS PRIMUS

### DE IMAGINATIONE

394. Cum tu in horto moraris arborem respiciens (§. 365.), anima tua arboris ideam sibi efformat, ipsiusque arboris ideam sibi reproducit, quoties arborem intueris. Verum non solum, praesente arbore, illius ideam anima tua sibi creat, sed, egrediente te ab horto, si arborem illam distinxit a ceteris, valet etiam sibi producere, quin denuo oculi luce exciteutur. Imo, si alias anima tua justitiae, aliarumque rerum non materialium ideas sibi cuderit, necnon aliquam texuerit demonstrationem; has quoque revocare potest. Haec omnia experientia quotidiana docet. Illa facultas autem, qua anima sibi reproducit ideas jam habitas absque objectis earum praesentibus dicitur *imaginatio*, sive *phantasia*, licet aliqui *imaginationem* actum *phantasiae* vocent. Idea, quae ope phantasiae in anima reproducitur, *phantasma* audit: *verum*, si eodem modo: *fictum*, si diverso modo, quo fuit illa producta, reproducatur.

395. Circa *phantasiam* plura quaeri possunt. Ad quaenam extenditur *phantasia*? Quonam modo ideae olim habitae reproducuntur? Quaenam utilitas hujus facultatis? Et dico, phautasiam ad omnia alias percepta extendi, sive materialia illa sint, sive immaterialia, sive sensibus externis, sive sensu intimo, sive ratiocinio acquisita sint. Quare ideae omnium objectorum materialium, quae praeterito tempore habitae sunt, ideae virtutum, et vitiorum, imo ratiocinia, et demonstrationes alias

confectae ab anima, ope phantasiae anima ipsa sibi denuo cudit. Sed *quonam modo* hae ideae reproducuntur? Facile est animae sibi ideam reproducere, eodem objecto praesente, sed etiam ipsius est illam sibi denuo cudere, absente objecto. Hoc in confesso est. Sed quoniam anima ideam objecti corporei occasione motus organi sensorii, nervi, cerebrique sibi efformavit (§. 369), merito dubitatur, an idem motus reproducatur, cum anima sibi eamdem ideam denuo exhibeat. Si motus organum, nervum, cerebrum denuo concuteret, procul dubio motus iste dissimilis foret primo motui, quia motus primus ab organo ad cerebrum, secundus vero a cerebro ad organum propagaretur. Sed ad quid opus est ille motus secundus? Cum ideas coloris, saporis, soni, odoris acquiro, objecta agunt in organa sensoria, secus illas anima non acquireret. Sed nulla ratio est admittendi motus in cerebro, nervis, organis, cum illas ideas anima sibi reproducit. Anima agit, cum ideam sibi reproducit; idea reproducta, quies potius in cerebro esse debet. Ad summum motus excitatur, cum anima reproducit sibi ideas ex novis causis externis vel internis corpori, vel cum corpus meliori, quo credit, modo, sibi tenet aptum (1). *Verum utilisne* est hujusmodi facultas? Imo necessaria, ut homo in scientiis proficiat, atque negotia magni momenti ad finem feliciter perducat; quia sine ideis praeteritis anima nec judicare, nec ratiocinari potest. Quare *phantasia* est facultas animae inhaerens, et quidem a natura rationali requisita. Imo cum phantasia saepe accipiatur etiam pro facultate copulandi plura, licet numquam sensibus percepta; ideo hoc sub respectu mater quoque dicenda est artium liberalium, poesis, picturae, sculpturae, architecturae, imo et hypothesum, et systematum scientiarum. Ceterum alia est phantasia e. g. poetae, alia philosophi; nam ille phantasmata ficta potest, iste vera componere debet.

396. Sed nonne associatione reproducuntur ideae? Saepe accidit, ut plura simultanee, vel successive quadam ratione connexa, vel aliqua inter se relationem habentia, percipiamus. Ex hoc fieri videtur, ut ad invicem nectantur ideae, et postea, si una menti occurrat, aliae sociae praesentes sistant. Hic nexus idearum dicitur *idearum associatio*. Putat Humius (t. 1.

(1) Hinc perperam Muratori ( *Delle forze della fant. c. 1. ad 5.* ) vocat *phantasiam* potentiam corpoream, et materialem, in qua anima quaerit, reperitque imagines aliquando habitas, ibique servatas. Suntne veluti in nostro cerebro depictae tot veritates? Apage nugas.

*essai* 3), tria esse fundamenta associationis, nempe *similitudinem*, vi cujus e. gr. visa icone, revocatur in memoriam originale; *connexionem temporis, et loci*, quo fit, ut operatio quaedam aliquando facta sequentem operationem revocet, ut status meae pueritiae ludos in illa factos; aut locus revocet aliquid factum, vel visum in illo loco, ut hortus a me visus ideam alicujus arboris in illo visae; *causalitatem*, qua, visa causa, in anima effectus idea reproducitur. His aliqui addunt *relationem*, qua, cognita una idea relativa, alia reproducitur, uti viso famulo, heri idea in mentem redit (§. 314.). Hinc docent plurimi, *associationem idearum* pendere a similitudine, a connexione temporis et loci, a relatione, a causalitate; quae omnia supponunt, si superis placet, vestigia similia, connexa, simultanea in cerebro. Verum optime notat Mastrofini (n. 846. ad 850), haec omnia pro legibus tenenda non esse. Siquidem saepe accidit, ut videam e. g. equum meo *similem* relicto in stabulo, et idea mei equi non reproducatur; ut loquar cum amico in Ecclesia, et Ecclesiam bis, et ter ingrediens amici ideam denuo non habeam; ut comedam cum amicis et fratribus meis, et tamen eadem hora et loco comedens altero die cum fratribus amicorum ideae in mentem meam non redeant; ut conspiciam famulum, et de hero nil cogitem; ut alloquar patrem, et idea filii non subeat. Igitur merito dicimus, animam, vi sua, activitate sua, energia sibi naturali reproducere ideas habitas, quas vidit, percepit, cepit, intellexit. Si enim nodum in muccinio faciamus, si aliquod fragmentum in capsula ponamus, si signum in digito constituamus, ut ideam habitam recordemur; ergo non leges illae sunt adeo certae, ut sint indubia fundamenta associationis. Ad summum idea menti actu praesens potest esse occasio menti ipsi alias ideas socias vi sua quaerendi, et inveniendi, uti nubecula ad cautiones quaerendas nautam impellit.

397. Sed circa phantasiam haec conglobatim notamus. 1. Ipsa a sensatione differt, quia ista motum, et objectum praesens supponit, illa vero nec motum, nec objectum. 2. Et ideo ideae imaginatione reproductae sunt debiliores sensationibus, a quibus primum derivatae sunt; non enim parentum nostrorum jam defunctorum, uti cum in vita erant, ideas habemus. 3. Et haec est ratio, cur sensationes in anima productae, cum e somno surgimus, imagines in somno habitas deleant. 4. Ex quo patet ratio, cur nos solitudinem, et tenebras quaeramus, omniaque removeamus, quae sensationes excitare possunt, si quando ideis reproducendis operam demus. 5. Verum ideae

in somno, et delirio reproductae, uti narratur de genio Torquati Tasso, saepe sensationibus aequiparantur, quia tunc anima supponit objecta praesentia. 6. Ideae objectorum terrentium terribiliores inter tenebras fiunt, quia hoc in casu sensationes conticescunt. 7. Ideae recenter perceptae facilius reproducuntur prae vetustioribus, quia magis connexae sunt cum statu animae praesenti; et ideo *recens animi dolor consolationes refugit, ac rejicit*, ait Plinius (*l.* 5. *ep.* 16.). 8. Saepe nobis videtur phantasia producere ideas rerum, quas numquam anima percepit, uti narratur de delirantibus, et entusiastis; sed hae ideae ex infirmitate corporis oriuntur, ac sensationes verae sunt. 9. Quare non est mirum, si quando videatur phantasia monstrare veluti praesentia, quae sunt absentia; veluti diversa, quae sunt similia; veluti realia, quae sunt tantum in mente; veluti corporea, quae incorporea sunt; veluti divisa, quae sunt composita; veluti composita, quae sunt divisa; veluti associata, quae sunt disparata; anima enim sibi fingit haec objecta occasione aut alicujus externi objecti, aut status sui alias habiti. 10. Phantasia non ideam reproducit, sed actum, quo anima sibi ideam efformavit, quia reproducit ideam veluti visam, captam, intellectam. 11. Ideae, acquisitae ratiocinio, et postea reproductae sunt plerumque debiliores primis, quia animae non est praesens tota ratiociniorum series. 12. Facilitas reproducendi ideas oritur ab activitate naturali animae, a majori lumine, quo perceptae fuere, ab attentione majori, quam ipsis defiximus. 13. Et ideo non omnes eadem facilitate ideas sibi reproducunt.

398. Phantasia, de qua hucusque loquuti sumus, accepta pro facultate ideas habitas reproducendi, etiam brutis tribuitur, quia, experientia teste, recordantur loca, in quibus verberata fuere, vel cibum receperunt, aliaque faciunt, quae ostendunt reapse, ipsa ornari phantasia. Ad phantasiam quoque reducuntur, quae *antipathiae*, et *sympathiae* vocantur; quibus nostros adversarios vel amicos aversamur, vel diligimus. Imo ope phantasiae vividae aliqui explicare conati sunt illas maculas, quae saepe in foetibus videntur; nam matrum affectiones in foetorum organizationem influunt, ait Esquirol (*Les maladies ment. t.* 2. *pag.* 341). Ceterum non est negandum, uteri compressionem, vel percussionem, causam saepe esse, cur foetus manci, vel mutili fiant; uti pro certo est tenendum, turbationes, in quibus versantur matres ob inopiam, aut alias necessitates, in foetus posse influere.

## ARTICULUS SECUNDUS

### DE MEMORIA

399. Te egresso ab horto (§. 365) anima tua, dum domi fructus comedis in horto excerptos, ideam amici, cum quo loquutus es in horto, ideam arboris, ex qua fructus excerpsisti, ideam rosae, cujus odore affectus fuisti, sibi revocat, et quidem ut alias habitam. Imo saepe contingit, ut ideam ut alias habitam anima sibi producat, quin tamen habuerit. Illa facultas, qua anima ideam in mente reproductam recognoscit ut alias habitam, sive tamen fuerit, sive non habita, *memoria* dicitur (1). Actus vero, quem exerit memoria, vocatur *reminiscentia*, quae tamen aliquando exprimit actum, quo ideam unam alterius ope recordamur, uti calamitates, quibus premebatur Antiochus, occasio fuerunt, cur *reminisceretur malorum*, *quae fecit in Jerusalem*. Verum non omnes eodem modo *memoriam*, et *reminiscentiam* definiunt. Nam aliqui memoriam cum imaginatione confundunt (2); alii vero hac voce intelligunt complexive facultatem retinendi, associandi, reproducendi, recognoscendique ideas. Idem dicatur de reminiscentia. Ast in nostra definitione memoria supponit contemplationem Lockianam, vim nempe retinendi ideam alias acquisitam organis sensoriis, imaginationem, et associationem in modo explicato (§. 396); includit vero recognitionem (3).

400. Ex dictis facile intelliges, animam *memoria labi* idem esse, ac aliquam ideam in serie acquisitam deperdere; uti contingit in illo, qui sermonis memoriae mandati perio-

(1) Memoria proinde non modificationes, quibus alias affecti sumus, neque actus, quos posuimus, reproducit, sed tantum sensationum, et cognitionum repraesentationes. Quod patet exemplo illius, qui ob terrificum animal aufugit, quique postea fugae reminiscens, neque timoris affectionem experitur, neque eosdem ponit actus, uti notat Melillo ( Teorice *del me spontaneo c. 3. a. 3. §. 2.*).

(2) Sic putavit Degerando, qui facultatem reproducendi ideam rosae alias visae vocavit *imaginationem*.

(3) Errat itaque Laromiguiere, qui eb aliis facultatibus non distinguit *memoriam*, quae supponit sensationem, attentionem, aliasque facultates. Errat Condillachus, qui memoriam ad sensationem reducit; sensatio enim objectum praesens ( §. 365. ), memoria absens requirit; in sensatione anima ex parte est passiva ( ibid. ), e contra in memoria anima agit sive sponte, sive libere ideam reproducat.

dum, vel verbum obliviscitur; alicujus rei *non meminisse* idem innuere ac consciam non esse, ideam praesentem alias habuisse; *oblivisci* exprimere idem ac consciam esse, ideam praesentem alias habuisse, et advertere, se non esse potentem ad ideas socias reproducendas; in *memoriam revocare* esse idem ac praesentes efficere ideas alio tempore habitas; *memoriae mandare* denotare idem ac ideas comparare cum consilio eas reproducendi; *memoria retinere* esse idem ac ideas acquisitas integras conservare; *memoria excidere* significare idem ac amittere facilitatem ideas reproducendi.

401. *Memoria* quoad originem *naturalis* est, vel *acquisita*; illam a natura recepit, istam exercitio est adepta anima humana. Quoad ideas reproductas est *rerum*, vel *verborum*, quarum prima utilis, optabilior, nobilior est, atque est propria illius, qui mentis acumine, et robore plurimum valet; altera vero est quidem utilis, sed, utpote servilis, dominatur potissimum in iis, qui perspicacitate parum valent. Quoad modum reproducendi ideas est *voluntaria*, et *involuntaria*; illa anima utitur, quando vi sua et consulto ideas sibi reproducit; ista vero, quando ideae acquisitae sponte in mente, et sine consilio denuo apparent. Est *bona*, si consilio prompte accipiat, diu servet, et facile ideas reproducat. *Magna*, si idearum longam seriem facile arripiat, ac reproducat, uti narratur de Themistocle, de Lucullo, de Magliabecchio, de Pico Mirandulano, de Vallesio, qui memoria inter tenebras ex numero trium et quadraginta notarum radicem quadratam extraxit, de Bonneto, qui narrat, se quadraginta primos paragraphos operis sui super facultates animae cum praefatione memoria confecisse, et retinuisse, et de nostro Macedo, ac Patre Philippo a Lojano, qui repetebant, quae legebant, aut audiebant, ordine, quo legerant, aut audiverant (1). Est *sensibilis*, quae respicit ideas sensatione acceptas; et *intellectualis*, quae reproducit ideas ratiocinio praecipue acquisitas.

402. Verum notandum est *memoriae* actum, seu *reminiscentiam* judicium supponere, quia anima de ideae prae-

(1) Etiam de Seneca narratur, quod bis millia nominum ab alio semel prolata repeteret eodem ordine, atque bis centum carmina ordine inverso; de Cyro, quod sciret nomina omnium militum sui exercitus; de Carneade, quod repeteret ad verbum omnia, quae extabant in libris a se semel lectis; de Mitridate, quod sciret linguas viginti duorum populorum. Sed circa scientiam linguarum habemus miraculum in Cl. Cardinali Mezzofanti, viro noto unicuique, utpote qui supra quadraginta linguas, ipsarumque omnes dialectos, in quibus facile loquitur, et scribit, cognoscit.

sentis identitate cum praeterita judicat, uti optime notat post Stewart (*Phil: de l'esprit hum: t. 2. ch. 6. sect. 2.*), et Salvatorem Mancino (*Elem. di Filos. v. 1. c. 3. n. 17.*), cl. Mastrofini (§. 863. ad 866.). Imo reminiscentia ratiocinium includit, cum tenemus, memoria aliquando aliquam habuisse ideam, quae tamen e memoria modo lapsa est; uti si sciam, me legisse Virgilii eclogas, attamen eas relegens ideam invenio, quae nova mihi videtur. Hoc in sensu *memoria* potest definiri facultas comparandi statum praesentem animae cum statu praeterito, ac recognoscendi, illum in isto complecti; seu facultas, qua anima considerat se in statibus successivis, ac invenit posteriores in antecedentibus contineri, vel non. Memoria optima proinde illa est, qua anima status sui successivos jam cognitos sibi potest revocare, et cognoscere. Ast non inde inferes, *memoriam* cum *conscientia* confundi; nam haec statum animae praesentem comparatum cum praeteritis, et statum praesentem cum praeteritis non comparatum includit; *memoria* vero tantum primum modum considerandi conscientiam necessario complectitur (1). Memoria proinde ad intellectum, ad quem judicium pertinet, reducitur.

403. Putat Malebranchius, et post ipsum Bonnetus, Robinetus, Hartely, Priestley, aliique, esse in cerebro quasdam fibras ordine successivo positas, quarum una quacumque de causa pulsa, omnes aliae agitantur. Hoc modo idearum illi exponunt reproductionem. Verum oppido falluntur, nam 1. impossibile est tot in cerebro inveniri fibrillas, quot ideas quisque habet, praesertim si loquamur de memoria Themistoclis, et aliorum (§. 401.). 2. Hoc in systemate nequiret comprehendi, quomodo anima vim habeat ideas saepe sibi reproducendi ordine inverso, quo acquisivit. 3. Neque hac hypothesi explicari potest, quomodo motus communicetur de una in aliam cerebri fibram. Quare falsa quoque est sententia illo-

(1) Quare recte quidem Reid (*Essai* 3. *ch.* 1.) docet, objectum memoriae esse necessario *praeteritum*, uti est necessario *praesens* objectum sensationis, et conscientiae; sed erravit, cum asseruit, nos rerum praeteritarum cognitionem habere memoria *immediata*; siquidem requiritur etiam *medium* status praesentis animae. Ex quo patet etiam, objectum memoriae non esse pure *ideale*, quia aliquo modo est *aliquid* praeteritum; nec pure *reale*, quia modo non est praesens. Et hinc patet necessitas colendae memoriae, quae nostrum *ego* repraesentat veluti percipiens denuo objectum, quod tamen abest. Quoniam enim in judicio duae ideae, in ratiocinio tres requiruntur; ideo, ut judicemus, atque ratiocinemur, oportet has ideas praesentes habere; alioquin ad summum haberetur perceptio, vel attentio, neque ideae perceptae nobis prodessent.

rum, qui putant motiones ab organis sensoriis ad cerebrum usque delatas in cerebro ipso relinquere quaedam vestigia, aut signa, aut notas, aut characteres, aut cellulas. Siquidem 1. anima ideas praeteritas sibi procreando haud cerebro indiget, aut illis vestigiis, quia non cerebrum excutit, sed suam activitatem excitat, cum ideas revocare cupit. 2. Antequam illa excitentur signa, estne facultas in anima ideas revocandi? Si adest, ad quid illa signa? Si non adest, ideae et signa forent idem, quod intelligi nequit, dato magno idearum numero. 3. Excitatae ideae motibus illarum fibrarum responderent. Sed quomodo per successivos motus explicari possunt ideae innumerae, quarum illico anima recordatur? Quomodo illae ideae, quae inverso ordine, quo acquisitae sunt, in memoriam revocantur? 4. Nec motus, nec signa supponunt plurimae ideae sensibus non acquisitae. Ergo saltem ex hac parte illa signa in cerebro non existunt. 5. Signa illa temporis processu deleri deberent. Sed quomodo explicarentur ideae, quae temporia processu saepe vividiores fiunt, uti videre est in scelestissimo quoque, in quo ad senectutem pervento, conscientiae latratus fortiores redduntur? 6. Nullum in hoc casu discrimen foret inter sensationes, et ideas revocatas, quia motiones in cerebro pariter supponerent.

604. Quare nec memoriam velnti arcam, seu scrinium considerabis, quasi in ipsa repositae, et reconditae forent ideae. Nam reproductio idearum est opus activitatis animae, quae ab ideis actu sibi praesentibus agere coepit, deinde transit ad status successive praeteritos; veluti qui a geometria solida ad planam saepe redit, cum qua illa connectitur, quamque supponit.

605. Illud negari nequit, nempe animam semper ab ideis praesentibus incipere, quae proinde, ut in memoriam alias revocet, praesentes in ipsa sistere debent. Unde depressis, excussis, infirmatis, delassatis sensibus, quibus ideae actuales haberi possunt, memoria deperditur, quia deest unde incipiat; instar caeci nati, qui nullam ideam colorum sibi revocare potest. Et haec est ratio 1. Cur infirmi, valetudinarii, senes, pueri nullo, aut parvo donentur memoriae exercitio. 2. Cur memoria bonam sanitatem corporis supponat. 3. Cur morbis pressi, uti de Hermogene Grammatico, Mazzochio, Vico narratur, liquoribus, somnoque dediti, affectibus agitati vehementioribus, memoriam amittant. 4. Cur rumoribus, apparitione novi objecti, extemporanea luce, aliqua mutatione in nostro corpore superventa, memoria aut excidamus, aut saltem labemur. 5. Cur sub aere gravi, et humido, memoria debilis et infirma

sit. 6. Cur anima soluta a corpore, vi sibi ingenita, possit super se, et vicissitudines, quas cum corpore copulata vidit, vagari, prospicere, spatiari.

406. Praecipuae causae, quae memoriam augent, sunt exercitium, profunda meditatio, ordo, indices, signa artificialia. Quandoquidem *exercitium* reddit animae activitatem expeditiorem, quia reddit familiares ideas, quas assidue versamus; *meditatio* super aliquam rem, si profunda et longa sit, rem ipsam veluti in partes decomponit, istarumque inter se relationem patefacit, ideoque vegetiorem reddit idearum notitiam; *ordo*, qui est quiddam, quod voluptatem creat (§. 326. n. 6.), perfectionemque supponit, reddit connexos varios successivos status, ideoque animae viam sternit procedendi faciliorem; *indices* librorum animae laborem minuunt, quod et praestant *signa artificialia*. Est itaque memoria dos *naturae*, sed haec dos potest augeri.

407. Non omnes ideae eadem facilitate reproducuntur in memoriam. Nam facilitas idearum reditus in animam derivatur ex similitudine cum praesenti animae statu, ex repetitione frequenti earumdem, ex connexione cum nostra utilitate, ex voluptate, quam ex ipsis capimus, ex majori distinctione et claritate, qua percepimus, ex recentiore idearum acquisitione. Falsum vero est, posse memoriam augeri aliquibus potionibus, vel confectionibus *anacardinis*; quae obstacula in corpore removere possunt, corporis vires vivificare, organa sensoria valida reddere, non autem vim animae recognoscendi ideas habitas augere. Imo haec media saepe ad dementiam perduxerunt.

408. Demum haec notamus. 1. Ideae sunt in anima cujuscumque hominis numero majores, quam verba, et prius haec, quam illae evanescunt. 2. Meditatione augetur memoria; sed minuitur imaginatio, quae fraenum excutit, ac velociter currit de una in alteram ideam. 3. Qui facile ideas memoria capiunt, facile eas deperdunt, et qui plurimum laborant ad ideas capiendas, diu retinent; quia isti multum, illi parum praesentes illas ideas habent. 4. Nos ideis nobiscum, et cum Deo loquimur, verbis vero cum aliis hominibus. 5. Longa meditatione dolore capitis quandoque laboramus, quia anima delassata in sua activitate in corpus agit, cum quo copulatur, corpusque ipsum, se turbata, turbat.

# CAPUT TERTIUM

## DE SOMNIO, SOMNAMBULISMO, DEMENTIA, MESMERISMO.

409. Plura sunt, quae facultatum hucusque recensitarum animae humanae usum intercipiunt, quaeque veluti phantasiae partus aestimantur monstruosi. Nos autem ad laudatos brevitatis gratia referre statuimus. Somno accedente, quidam sopor irrigat oculos, blanda requies sensim artus pervadit, quies leniter curas solvit, atque pax quaedam, veluti aura tepens omnia membra invadit, nosque a nobis fere subducit, atque abscondit. Si haec requies jam totum permulcens corpus, quavis causa, ante tempus abrumpatur, malesani et socordes taedio, tristitia, dolore afficimur; ast, si, nullo turbante, ex se turbetur, desinatque, nemine expellente, veluti ad vitam enati novam nobis videmur. Hoc in statu quidam plus, minus alii vitam ducunt, et fortassis tertia vitae humanae pars non observata transit. Corpus labore gravatum, aut morbo affectum, aut quacumque alia causa somno indulgens, obtemperare renuit animae; quae, veluti herus famulum quiescere sinens, ipsius corporis tunc regimen intermittit, corpore carere videtur, atque sibi dumtaxat praesens in statu suo vivit. Ex quo patet, *somnum* esse illum vitae animalis statum, in quo anima ob corporis, ejusque organorum lassitudinem, ideoque quiescentiam intra se retrahit suas vires, desinitque in illa agere, uti antea assolebat. *Vigilia* proinde est status, in quo anima advertit ab externis objectis habere ideas, quas sibi ope sensuum efformat, atque ratione utitur, aliisque facultatibus, illaeso corpore, ad verum quaerendum, bonumque prosequendum. *Somnus* aut est *profundus*, quando anima ne alterius quidem rei ideae conscientiam habet; aut *levis*, qui dicitur *somnium*, quod est ille status inter vigiliam, et somnum profundum, in quo anima aliqua idearum serie detinetur. Somnium vero est *simplex*, si una est series idearum; *compositum*, si, una interrupta serie, alia inchoatur; *clarum*, si ideas in somno habitas aliis recensere valemus; *obscurum* in casu opposito.

410. Circa somnum et somnia haec praecipue notanda sunt. 1. Somnus est naturae animalis necessitas, tum quia reapse omnia animalia, licet non eodem temporis spatio, dormiunt; tum quia corpus labore fractum quietem natura sua postulat; tum quia capitis dolore afficimur, si consulto so-

mnum expellamus; tum quia post longam voluntariam vigiliam corpus in profundum somnum dejicitur. 2. Quare *insomnia* sunt morbus, qui *vigiliae malum* dicitur, quique defessos, lassatos, ac vigiliae operationibus ineptos reddit eos, qui ipsum patiuntur. 3. Ad somnum conciliandum quies, deficientia vehementium sensationum, longa duratio levis et blandae sensationis, uti murmur rivuli, quaedam non nimia corporis lassitudo, affectuum fortiorum silentium ... concurrunt. 4. Cum in somnum declinare cupimus oculos, objecta, quae attentionem allicere possent, a nobis removemus; eaque nobis appropinquamus, cum somnum excutere optamus. Ea de causa non probamus illorum sententiam, qui somnum ab inopia spirituum animalium, qui diurnis laboribus deperduntur, et proinde ab obstructis caniculis, per quos illi spiritus transibant, repetunt. 5. Magno strepitu, vivida luce, motu in corpus dormientis violenter impresso somnus abrumpitur, quia tunc anima ad sentiendum, suamque vim exercendam revocatur. 6. Licet magni rumores hominem insuetum expergefaciant, atque leviores sonitus a somno minime exturbare soleant, tamen, qui assuevit ex. gr. prope officinam ferrariam, placidissime dormit; uti exturbatur somnus propter leviorem sonitum, qui valde dormientis commovet phantasiam. 7. Somnus pueri longior est, quia tenellum corpus illius lassatur, atque nondum in ejus anima ideae sunt multae, et organa corporis adhuc mollia existunt. 8. In aetate decrepita longior est somnus, tum quia organa sensoria a paucis concutiuntur objectorum impressionibus; tum quia totum corpus fractum, et hebetatum est. 9. Somnus est profundior et longior, cum quis audacter naturae necessitati longo tempore restitit, praesertim si curis, et laboribus corpus sit aliquo modo elisum. 10. In somno primum functiones oculorum, dein illae gustus, et odoratus, postea illae auditus, demum functiones tactus cessant, uti consideranti patet: imo tactus passive sumptus semper remanet, uti notat Cl. Galluppi (*Elem. di Filos. c.* 8. §.51.). 11. Cum somnus accedit, primum sensationes, dein motus voluntarii silent; imo in somno aliqui fiunt motus, qui voluntarii dicerentur, si fierent in vigilia, uti est verti modo huc, modo illuc, tendere, vel retrahere pedes et manus. 12. In somno proinde homo est veluti infans perfectus in matris utero, in quo veluti dormit inclusus. 13. Cum somnus sit veluti medicamen, quo corporis vires instauramus, contra seipsos agunt, qui plurimum somno indulgent, quo inertes, socordes, imbecilles fiunt. 14. Saepe dum somno indulge-

mus, pondus super pectus, ac ventrem experimur, quasi aliquis *incubaret* super nos, quod phaenomenon *incubus* dicitur, atque provenit ex eo, quod anima vellet corpus movere, sed nescit, et ideo immobilis existit, sensumque pressionis habet. 15. Somnus haud in cerebri pressione consistit, uti Caldano placuit (*Physiol.* c. 22. §. 53); nam in cerebrum sanguis effluit iu febribus, inque sensationibus magni caloris, et frigoris, quin somnus concilietur. 16. Somnia persaepe a sensatione incipiunt, et quia series idearum rerum sensibilium esse solent, et quia ideae somnii sunt ab interna quadam impressione, uti famis et sitis, aut externa, uti alicujus murmuris, aut levis aurae, et quia illae ideae fere semper statui corporis sani, vel aegroti, vel debilis, vel jejuni, vel saturi respondent. 17. Hoc tamen non adeo semper verum est, ut quandoque sine sensatione somnium non incipiat; cum fieri possit, ut una ex serie idearum, quae ultimo in anima fuerunt ante somnum, redeat, atque veluti occasio aliarum sociarum reditus sit. 18. Ideae, quas in somno fingit anima, saltem in principio sunt, quae frequentius, clarius, recentius in vigilia habitae sunt, quaeque magis indoli, statuique somniantis sunt conformes, quia sunt magis connexae cum actuali animae statu. 19. In somniis ideae sunt plerumque ideis vigiliae clariores, tum quia objecta veluti praesentia respiciuntur; tum quia ab aliis sensationibus anima distracta non est. 20. In somno possunt esse plura somnia, nam a dignitate regia ad vincula saepe nos ducit phantasia; et ratio est, quia primam seriem nova sensatio interrumpere, et alterius seriei esse initium potest. 21. In somno objecta idearum animae praesentia videntur, et quidem eo in statu, in quo praesentia forent in vigilia, et ratio est, quia anima nequit in illo statu discrimen notare inter ideas productas, et reproductas. Hinc haud probamus sententiam Cl. Galluppi, docentis, objecta animae somniantis non esse nec praesentia, nec absentia, quia, ut ipse ait, idea praesentis refertur, quam anima non habet (*Elem: di Filos.* c. 8. §. 53.); et ratio est, quia idea praesentis sine idea praeteriti perbelle potest esse in anima; et quia hic non de idea praesentis, sed de rebus animae intuitui nunc obnoxiis loquimur. Imo saepe in somnio videmus ideam, quam animadvertimus alias habuisse, ac modo esse recordatos. 22. In somniis attentio, reflexio, intellectus, ac ratio saepe concurrunt, tum quia anima, quae in somniis agit, cum facultatibus agit; tum quia in somniis saepe amicos, propinquos, domum nostram, loca, tempora, imo quandoque er-

rores a nobis patratos, imo quandoque tunc in somniis versari, distinguimus; quod fieri nequit sine illarum facultatum usu; tum quia docent plurimi, aliquos in somniis versatos carmina condidisse, lectiones docuisse, demonstrasse veritates, *et nodos quandoque aut nexisse, quos vigilantes solvere nescissent; aut explicasse, quae alacres, et vigilantes implicaverant*, uti de se scribit Genuensis (*Met. par.* 3. *prop.* 13. *edit.* 3. *Neap.*). 23. Hinc aliquae volitiones etiam in somniis a voluntate exeruntur, licet indeliberatae, quia voluntas earum cursum interrumpere nequiret; atque inefficaces, cum saepe nos videre videamur a cane allatraute velle fugere, et tamen non posse; proindeque non omnino passive se habet anima in somno, uti docet doctissimus Galluppi (*Elem. di Filos. c.* 8. §. 50), neque tantum volendi sensus, ut ipse putavit (§. 52), sed etiam ipsum velle indeliberatum in anima remanet. 24. Ex quo non incongrue eruimus, imputabiles aliquando esse actiones in somno patratas, quia in causa forsan defecimus, maxime si actiones illae sunt consuetudinis effectus. 25. Quisque in somniis frequentius videt, quae objecta sunt suae spei, sui timoris, sui desiderii, suaeque indoli, et statui congruuntur; nam

*Furto gaudet amans, permutat navita merces,*
*Et vigil elapsas quaerit avarus opes.*

26. Saepe fit, licet raro, ut somnium in una nocte habitum denuo reviviscat in altera nocte, licet primum obliteratum sit; quia forte anima in altera nocte in aliquam ideam somnii primi incurrit, quae totam somnii seriem denuo animae excitat. 27. Veluti somniantes aliquando nos, licet vigiles, sumus, cum nempe de idea in ideam. de cogitatione in cogitanem excurrimus, quin sciamus, cum veluti nobis redimus, principium, aut vestigia, per quae ad quaedam idearum labyrinthum pervenimus. 28. Somnium semper solet desinere, aut in vigiliam, aut in somnum profundum, quia aut sensationibus vehementioribus evanescit, et vigilia succedit; aut nullius amplius ideae anima est conscia, et somnus profundus somnio finem imponit. 29. Somnia non sunt rerum futurarum, humanarumque vicissitudinum praesagia, cum non sunt divinitus immissa; et ratio est, quia non sunt nisi ideae alias habitae, quae cum rebus futuris, praesertim contingentibus, nullam habent connexionem. 30. Saepe anima somniantis in uno corporis organo sentit, in altero non sentit, uti qui magnum palatium ingressus vidit in una, non in altera palatii parte. 31. Ex quo demonstratur, cur aliqui dor-

mientes apprime respondeant interrogantibus, et alii, uti somnambuli, sermones cultissimos enuncient, carmina canant, pingant, scribant, olfaciant, distinguant, legant.

411. Sed de somnambulismo aliquid profusius dicendum est. *Somniloqui* dicuntur, qui dormientes loquuntur, ac interroganti respondent, et *somnambuli*, qui dormientes ambulant; isti fere semper *somniloqui* sunt; sed non omnes *somniloqui* sunt *somnambuli*. *Somnambuli* itaque, dum dormiunt et somniant, huc, illucque ambulant inter tenebras, uti in luce meridiana, clausis palpebris; e lecto proinde surgunt supellectilem e loco in locum movent, vestimenta se induunt, fores aperiunt, scalas ascendunt, loca vix adeunda vigilantibus pertranseunt; imo legunt, ac errores corrigunt, ut P. Soavius narrat de somnambulo pharmacista, et P. Pinus de quodam juvene sui Ordinis Praed. Isti sopiuntur, si obstaculum ante ipsos ponatur, quo motus in corpore excitatus impeditur.

412. Somnambulorum animabus ita repraesentantur veluti praesentia, libri, flumina, arma, viae, aliaque objecta, ut, si non inveniantur haec objecta, uti sunt repraesentata, illi cadant, currant, huc, illucque capite percutiant, et saepe magno eorum damno vulnerentur. Quare cavendum est, ne e somno juxta pericula *somnambuli* excitentur. Sicut musices peritus, quin notas respiciat, dulcem symphoniam exequitur, ait Zelli (*Elemen: di Filos. met. p.* 2. *c.* 1.); sicut nauta peritus navem dirigit chartam hydrographicam respiciens, ait Gioja (*Ideol. T.* 2.*p.IX.cap.* 11. §. 2.); ita somnambuli anima videtur suas exacte actiones exequi, easque dirigere. Credit Mastrofini (*L'anima e suoi stati l.* 3. n. 1031.), somnambulismum constitui: 1. a vivida successiva mentali repraesentatione objectorum: 2. ab non interrupta efficacia agendi cum nervis corporis respondentibus ideis praesentibus; 3. ab luce interna mentis. Putat P. Soavius(*Psicol. sez.* 2. *c.* 8. *art.*9.), reflexionem indeliberatam, et passivam sua vi concurrere ad ideas, quae in anima somniloquentium, et somnambulorum evolvuntur; sed nescio quaenam sit haec reflexio indeliberata, nisi lux illa, de qua loquitur Mastrofini. Non immerito proinde dicimus, uti supra de somniis monuimus (§. 410.n.24.), somnambulis aliquando coram Deo imputabiles esse actiones in illo statu patratas, si nempe vigiles illas quoque patrare solebant.

413. Nunc de illa aerumna, quae frequentius quam creditur, vexare homines videtur, quaeque *dementia* vocatur,

aliquid enucleare opus est. *Dementia* est perturbatio functionum vitae animalis, omniumque operationum animae, praevalente actione morbosa organorum super animae actione. Ipsa *totalis* est, vel *partialis*, prout ex toto, aut ex parte operationum animae usus exturbatur. *Delirium* est brevis dementia, ipsumque praecipue patiuntur aegroti. *Lucida intervalla* sunt illa temporis momenta, in quibus pacatus succedit mentis facultatum usus. Demens, delirans, somnambulus, somnians in hoc differre tantum videntur, quod ideae in dementis anima, turbatae ut sunt, aut semper perdurent, aut, si aliquod detur lucidum intervallum, denuo redeant; in delirante ideae vim, et vehementiam sensationum vincant, atque magis attentionem trahant, quam istae, donec morbus auferatur; in somnambulo, et in somniante, ex quo expergefiunt, ideae objectorum, quae in organa sensoria agunt, sint vehementiores quam illae, quas phantasia in somno producit (*Soave Psicol. sez.* 2. *c.* 8. *a.* 3.). Delirantes itaque vident objecta, vident homines, vocem audiunt, olfaciunt, gustant, tangunt, sed diversa ab iis, quae sunt, credunt videre, audire, degustare, olfacere, tangere. Ita et agunt dementes, qui delirantes habituales sunt. Quare dementibus pro homine monstrum apparet; cubiculus aula regia videtur; amici et propinqui hostes infensissimi monstrantur; nullus est, qui eis oppositum suadeat.

414. Sed haec circa dementiam habeantur. 1. Dementia conjuncta est cum causis, quibus ideae acquiruntur, reproducuntur, recognoscuntur, comparantur; quia turbatae facultates animae habentur in dementia. 2. Status dementiae proinde oriri potest a statu sensuum externorum, qui turbatus est, aut a causis internis in corpore, quae corpus ipsum, aut nervos, aut cerebrum violenter excitarunt, turbarunt, laeserunt. 3. In aliquibus status sensuum ante pubertatem, adeo foede fractus, aut hebetatus, aut stupidus est, ut impressiones nullum, aut tenuem motum communicent; hoc in casu nec ideae, nec judicia, nec ratiocinia habentur; hebetes et imbecilles sunt, qui tanto malo opprimuntur. 4. In aliis vero hoc infortunium post aptam sensuum, et rationis evolutionem contingit, et quidem aut ex longa, et profunda attentione super aliqua idea, aut ex turbatione in humoribus vel cerebro, aut ex morbo in stomacho, in hepate, in pulmone, in utero, aut ex alia simili causa, quae mentem *captat*, et ita homiuem *mentecaptum* reddit. 5. Dementiae magis divites subjiciuntur, quam pauperes, magis foeminae, quam homines, et sae-

pius illae, quam isti relabuntur. 6. Altera causa dementiae est inopinata rerum nostrarum jactura, proditio non praevisa alicujus amici, nulla erga nos pietas concepta, et sperata, ejectio ab onere vel magno vel opulento, et quivis affectus vehementissimus, qui non est sortitus suum effectum; quae omnia animum continuo tenent, mentem assidue pervadunt, cor perenniter huc, illucque pellunt, ac nullam relinquunt requiem, praesertim, si nulla affulgeat spes ab illo statu exeundi. Insuper si certitudo adsit mox mox magnam in aerumnam ruendi si sentiatur effectus dispendii propriae famae absque spe eam instauraudi. Ex quo patet, dementiam non semper supponere cerebri, aliorumque organorum alterationem; quod eruitur etiam ex eo, quod numquam dementium cerebrum sit inventum alteratum, uti post doctissimos anatomicos ipse confitetur Cabanisius (*Rapports du physic., et mor. n. X. §. 4.*); et ex eo, quod plures dementes tractatu morali sint curati, uti notat Mancino (*Elem. vol.* 2. §. 634. 635). 7. Ad dementiam sensim disponunt melancholia, aegritudo, solitudo, voluntarius recessus, silentium, domesticorum impatientia, lectio rerum tristium, ipsa consideratio propriae indolis in dementiam proclivis. 8. Ceterum unusquisque suos patitur manes, *stultique prope omnes sumus*, uti ait Horatius, quia omnes ad aliquam ideam praecipue attendunt, eamque animo accipiunt, blandiuntur ei, et ipsam tamquam stellam polarem respiciunt.

415. Ast magnae dementiae signum est illud quodcumque systema, quod *mesmerismus* vocatur. *Mesmerismus* ab Antonio Mesmer medico Germano a. 1779. incepit. Mesmer supposuit, in natura existere quoddam animale fluidum imponderabile, quod transit de corpore in corpus, maxime viventium, ac semper inter dantem et recipientem sese librat, mirosque producit effectus, praesertim in foemellis, et infirmis. Operatio illa, qua hoc fluidum de uno in alium communicatur, dicitur *magnetisare*, *magnetisans*, qui operatur, et *magnetisatus*, qui recipit illud fluidum. Haec operatio, quae tempore Mesmer fiebat magno instrumentorum apparatu, modo in eo reposita est, quod *magnetisans* figat oculos in magnetisandum; tangat ejus digitorum extremitatem; manibus pluries tractet, contractet, palpet, excutiat, comprimat, defricet pectus, pedes, totumque ejus corpus; erga magnetisandum gestus amoris dirigat; signa confidentiae ei praebeat; allocutiones ad illius animum commovendum adhibeat. Hoc modo, dicunt, illud fluidum transit a magnetisante ad magnetisatum. Inter improvidos rudiores huic operationi subdendos

illi eliguntur, qui magnae sunt sensibilitatis, ac faciles affectibus teneris, uti mulieres, pueri, melancholici, isterici, epilectici. Ex hac porro operatione, uti dicitur, magnetisatus incipit oscitari, dein huc, illucque caput declinat; postea tremore agitatur; hinc stupefit; demum in somnum dejicitur, ac somnambulus evadit. In hoc statu positus magnetisatus, quamdam acquirit internam intuitionem, qua, quod praeteritum, quodque futurum est; quod est longe dissitum, quodque in interno versatur corpore; quod in cogitationibus aliorum est reconditum, quique morbus absentis infirmi sit, et quodnam requiratur remedium (mirandum!), clare videt, intuetur, respicit, explicat. Haec vero omnia magnetisatus perficit, quin audiat auribus, aut videat oculis, sed audit, et videt per frontem, occiput, inferiorem ventris partem, ac digitorum extremitatem; atque tandem actu voluntatis magnetisantis ille sensibilis denuo evadit, ac mobilis, quin alicujus rei recordetur.

416. Verum *chimaericum esse hoc systema* plura evincunt. Siquidem 1. ab experimentis jussu regio hac de re factis, et pluries repetitis a 1784. a Parisiensi scientiarum Academia, et regia medicorum societate, nil inferri potuit; imo agnitum fuit post accuratam disquisitionem, *imaginationem totum operari*, *ac nullum esse magnetismum*, *mediaque adhibita ad illum exercendum esse periculis plena*. Imo eodem anno alii quatuor idem inquirere jussi, die 15. Augusti concluserunt, *theoriam magnetismi animalis esse systema probationibus exspoliatum*, *media ad id adhibita posse fieri noxia*, *ac contrectationes in hisce operationibus gravissimas convulsiones posse parere.* Eadem experimenta post longum silentium ab anno 1825. ad an. 1837. repetita sunt a viris doctissimis e societate medicorum Parisiensi, qui a. 1837. mense Julio in septima conclusione dixerunt, *facta nullimode concludere pro doctrina ejusdem magnetismi.* 2. Mesmerismi absurditas colligitur etiam ex eo, quod magnetisantes sint homines modicae, vel nullius religionis, quam suis fabellis enervare nituntur; et magnetisati sint molles mulieres, adolescentuli incauti, similesque delicatulae indolis personae. 3. Insuper oscitatio, capitis depressio, sopor, somnus, qui sunt, uti dicitur, primi effectus operationis magnetisantis, facillime explicari possunt per illos continuos, et mimicos gestus, manuum translationes, ac blandas contrectationes, perque vocem blandientem ipsius magnetisantis. Nonne enim aliquando audientes insulsum sermonem, vel in magna otiosi

morantes conversatione, vel demum suavissima perfruentes voluptate, somno aliquando et nos succumbimus? Tremor vero artuum, nervorumque ex sola vivida phantasia, atque ex timore extraordinarii effectus secuturi, solet oriri; praesertim in mulieribus, pueris, aegris; nam, una convulsa, aliae quinquaginta puellae inciderunt in convulsiones Parisiis in Ecclesia S. Rochi; quod, ingruente lue asiatica, etiam denuo innovatum est. Neque mirum, quod somnambulus fiat magnetisatus, ac interrogantibus respondeat (si tamen haec vera sint, nam doctissimi viri dubitant); cum eodem modo, quo somnus illi conciliatur, somnambulus fieri possit, praesertim si in sensibilioribus personis operatio fiat, atque somnum ad effectum eventurum cogitantes carpant. 4. Non moramur vero circa alia phaenomena, quae miraculi speciem praeseferunt, quia omnino falsa sunt. Nulla datur proportio inter fluidum illud imponderabile, et illos mirabiles effectus; nulla inter frontem, occiput, ventrem, et visionem objectorum; nulla inter finitam intuitionem, et res e longiquo, et in abscondito positas; nulla inter materialem motum magnetisati, et cogitationes aliorum, quae ne a daemone quidem nosci possunt; nulla inter causas in magnetisato positas, et res contingenter futuras. Recte Magendie (Physiol. t. 1. pag. 14) ait, *esse serio tempus terere, magnetisantium tricis, et novitatibus respondere*(1). 5. Patet quoque haec absurditas ex eo, quod magnetisantes putent, hac via explicari posse nostrae sacrosanctae religionis miracula, propheticas visiones, ac alia ad ipsam spectantia, quasi haec forent pure naturalia. Recte proinde notat Paulus Costa (*Lettere relative ad una catalessi. Opere complete v.* 2.), impossibilia omnino esse illa phaenomena, quae mesmerismo tribuuntur. Quomodo enim videre possunt magnetisati oculis clausis, si ad videndum requiritur et lux, et organus proprius, nempe oculi? Nonne Deus dedit oculos ad videndum, et alia organa ad suas peragendas actiones? Quomodo magnetisatus potest dissita videre, morbos, et corporis interiora, si clausi sint oculi ad videndum prorsus necessarii? Quomodo possunt magnetisati vocare nominibus propriis ea, quae numquam didicerunt, si nomina sunt arbitraria? Si autem magnetisati dissita et abscondita norunt, eccur auri fo-

(1) Hoc enim in casu haberetur effectus sine causa. Siquidem neque mesmerismus, neque mesmerisatus, neque alia causa naturalis valet producere, quae dicitur noscere mesmerisatus. Adde, quod non desint physici, qui illud fluidum animale omnino rejiciant.

dinas non demostrant? Non pandunt reconditos thesauros? Medicamina non docent apta quibusque morbis? Proprio principi non ostendunt hostes scelestissimos, rebelles, ut ita dignitatibus, et divitiis cumulentur? 6. Ex experimentis patet, aegrotos, quibus falso dicebatur, se esse magnetisatos, apposite oculis cuopertis, testatos esse, effectum sentire magnetismi in aliqua parte; aegrotos magnetismo sine eorum intelligentia submissos nullum sensisse effectum; aegrotos apposite magnetisatos, oculis non coopertis, indicasse effectum in parte, in quam actio magnetica dirigebatur; alios vero, oculis coopertis, aliam saepe indicasse partem; mulieres magis sensisse, quam viros effectus hujusmodi. 7. Demum perridiculus, turpisque modus, quem adhibent magnetisantes, conditiones requisitae ad operationem, sensibilis pudicitiae jactura in illa operatione non raro facta, satis superque nostrum probant adsertum (1). Quare recte auctor articuli super magnetismo animali conclusit: *Opus est alta voce loqui: magnetismus in discrimen vocat familiarum honorem, et hoc sub respectu publicae auctoritati est denunciandus.* Ex quibus patet, phantasiae opus esse illos effectus, quos mesmeristae tanta contentione propugnant (2). (V. *Pensées d'un croyant catholiq. Examen du magnetis. Animal. Paris* 1839. auctore Débreyne; *Supplem. al n.* 1475. *della voce della verità. Modena* 1841; *vol.* 37. *della Biografia univ. art. Mesmer*; *Tom.* 21. *del Diz. classico di medicina impresso in Venezia*; *Mastrofini L'anima*, e *suoi stati* §. 1038.; *Dmowski Psych. c.* 3. *art.* 4. §. 78. *nota* (1)).

(1) Nam Frank (in opere: *Praxeos medicae universae praecepta*, cap. *de somniatione* §. 53.) docet circa dispositiones in mesmerisatis: *forte conditio specifica exaltata partium genitalium, praesertim ovariorum, ac testium, pertinet...; foeminae vulgares, aliaeque coitum celebrantes, vix, ac ne vix quidem magnetismi animalis percipiunt effectum. Spadonem, sine ullo effectu, iteratis magnetismi animalis tentaminibus subjeci.*

(2) Neque dicas, aliqua reapse vera esse ex iis, quae narrantur de mesmerisatis. Nam, posita illorum veritate, Theologi daemonibus tribuere, et quidem jure possent illa opera. Eccur enim in locis maxime solitariis, atque ab hominum societate remotis hujusmodi mesmerisantium operationes peraguntur? Nonne saepe contingit, ut, adhibitis exorcismis, Ecclesiaeque orationibus, nullus factus sit mirabilis effectus? Nonne saepe daemon fuit confiteri coactus, se haec mirabilia patrare, ut Christi religionem subverteret? Ridebunt quidem increduli mesmeristae de hac Theologorum sententia; sed quisnam vetat, ut et nos de ipsis rideamus, ipsorumque misereamur? Vide de hac re: *La scienza e la fede, vol. I. fascic.* 5. *maggio* 1841. *Del mesmerismo.*

417. Ex tota hac sectione itaque patet, animam esse substantiam activissimam; nam ipsa sentit, attendit, reflectit, intelligit, ratiocinatur; ipsa sibi ideas habitas reproducit, recognoscit; ipsa insuper, uti videbimus, vult, et non vult. Constat quoque animam activam esse in suis sensationibus (§.369.), si hae accipiantur veluti animae intuitiones, perceptiones, advertentiae; in his enim anima suam activitatem adhibet, et exerit. Si vero sensationes pro impressionibus factis ab externis objectis accipiantur; tunc anima passiva quidem est, sed male illae impressiones dicerentur sensationes. Constat demum animae facultates nullimode esse, aut dici posse transformatam *sensationem*, etiamsi haec pro animae perceptione accipiatur. Nam, ut de attentione loquamur, quae sensationem sequitur, certum est, nos posse attendere, etiam remotis sensibus, ad justitiam, honestatem, Deum, spiritum, quae minime sensus externos, aut internum sensum afficiunt. Imo saepe anima humana majori vi ad ea, quae minus sensibilitatem excitant, attendit, et, posthabitis vividioribus sensationibus, ad languidiores convertitur. Hoc vero intelligi nequiret, si attentio transformata foret sensatio. Adde, quod attentio ab ipsa anima dirigatur, et suo libito ab objectis subtrahatur (§.377. n. 4. et 23.), sensibilitas vero non semper sit sub potestate voluntatis animae, quae agendo saepe sentit, quia percipit et capit; sed nequit non sentire, quod sentit, licet ipsa sentiat (§. 369.). Demum anima, attendendo ad rem, ejusque proprietates, vividiores potest in se experiri sensationes, ac ope attentionis sensationes simultaneas dividere. Quod certe demonstrat, animam habere attentionem, et hanc haud esse sensibilitatem. Iam vero, si attentio non est transformata sensatio, multo minus aliae animae facultates transformata sensatio esse possunt, quia omnes supponunt attentionem. Recte proinde animadvertit Camillus Le Roy (*Mem. sulle facol. intell. p.* 2.), sensistas, dum ad sensibilitatem omnes animae facultates reducunt, comparari chemico, qui radicem, et fundamentum omnium elementorum diceret aliquod elementum; aut medico, qui ad unum morbum, qui esset omnium aliorum forma, morbos reduceret. Hoc vero foret absurdum. In anima humana itaque facultates hoc chronologico ordine evolvuntur, nempe incipit sensibilitas, sequitur attentio, succedit reflexio, huic accedit intellectus, postea subit ratio; ex quibus oritur imaginatio, et memoria, quae facultates tamen se invicem adjuvare possunt, et reapse adjuvant, quia una est substantia, cui inhaerent. (§. 359.)

## SECTIO II.

### DE PSYCHOLOGIA

418. In partem Ideologiae ingredimur, quae circa animam humanam vertitur. Magni momenti ipsa est, utpote quae respicit id, propter quod homines sumus; nam homo *non est is, quem forma corporis declarat, neque ea figura, quae digito demonstrari potest, sed mens cujusque, is est quisque*, uti acute notat Tullius (*De som. Scip.*). Quamnam enim utilitatem homines reciperent, si ipsi, quae respiciunt astra, aetherem, terram, maria, et omnia, quae in eis sunt, magno eloquentiae apparatu edocerentur, attamen de conditione, de origine, de praestantia, de fine animi nostri ignari forent? Scimus et nos, plures veteres, recentesque philosophos in multos prolapsos errores fuisse circa rem psychologicam, hancque veluti scopulum fuisse, in quem pleriqne inciderunt, licet de re ageretur, quae nos constituit, ac veluti informat. Ast si certa ab incertis secernantur, omniaque ratiocinii legibus subjiciantur, non dubito, quin contentiones omnes quam citins perducantur ad finem; omnia enim ad proprium locum redire, veritas ubique caput e tenebris extollere, ubique error oppugnari, scientia psychologica ubique coli, et celebrari videntur.

419. Psychologia a duabus graecis vocibus originem habet, ac *sermonem de anima* significat. Hinc *Psychologia* potest definiri *illa Ideologiae Rationalis pars, quae agit de ente, quod in homine cogitat*. In duas dispesci solet partes Psychologia, nempe in *empiricam*, et *rationalem*. Prima experientia interna et externa fulcitur, atque de facultatibus animae humanae agit; altera vero tractat de iis, quae ratiocinii ope animae naturam, ortum, nexum cum corpore, libertatem, vitam perennem, et quae cum his connexa sunt, respiciunt. Examinatis proinde, quae empiricam constituunt, ad ea gradum est faciendum, quae rationalis Psychologia complectitur.

420. Ut vero ordine in hac tanta re procedamus, in plura capita eam dividimus. Agemus igitur in primo de animae natura; in secundo de spiritualitate; in tertio de ortu; in quarto de sede; in quinto de commercio cum corpore; in sexto de vi

ideas cudendi; in septimo de libero arbitrio; in octavo de perenni ejus existentia; in nono appendicis loco de belluarum animabus.

## CAPUT PRIMUM

### DE ANIMAE HUMANAE NATURA.

421. Jam vidimus ( §. 358. ), existere in nobis aliquod principium cogitans, quod qui impudenter inficiatur, vel timet admittere, vel credit errare aut falli, vel de eo dubitat, simul confiteri adigitur, quia timendo, credendo, dubitando reapse cogitat. Substantiam esse hoc principium, et docuimus (§. *ibid.*), et certissime contra Tracyum, et Kantium probamus ex eo, quod sensationes, judicia, ratiocinia, volitiones subjectum supponant *modificatum*. Praeter enim quam quod omnes animae facultates ad sensationem non reducantur (§.417.) uti Tracyo placuit post Condillachum, *aggregatum sensationum*, ut ipse ait, anima dicenda non est, cum sensationes id, quod sentit, supponant. Idem fere dicatur Kantio, qui animam vocat *phaenomenon*, vel *apparitionem*, quasi subjectum nullum sit *phaenomenorum*, aut animae subjectum sit corpus ipsum. Nonne enim continuo experimur, in nobis successivas fieri modificationes, permanente subjecto modificato? Nonne experior, me esse, qui prius odi et modo diligo, prius sensi et modo judico, prius nolui et modo volo, prius intra me cogitavi, et modo extra me cogito? Non recte itaque Pherecrates dictitabat, animam esse vocabulum sensu vacuum, et *nomen totum inane*, uti narrat Tullius (*qq. Tuscul. l.* 1. *c.* 10.). Anima proinde *est principium illud quodcumque, quod in homine cogitat*. Non est cur haec definitio rejiciatur, quocumque supposito systemate. Voces *anima*, *animus*, *mens* promiscue apud Philosophos accipiuntur; frequentius tamen tum *anima*, tum *animus* substantiam spiritualem exprimit, *mens* vero facultatem intelligendi, quasi *metiatur* se cum objectis, ut haec intelligat.

422. *Natura* duplici sub respectu considerari potest. Siquidem aut exprimit id omne, quod rem intrinsecus constituit, aut vim et ingenitam rei alicui virtutem. In primo casu accipitur pro ipsa rei essentia physica (§. 284.), quo in sensu ait Lucretius (l. 2. v. 232.): *natura tenuis aeris*. In secundo suscipitur pro eo, quod est principium operationum, et hoc

in sensu inquit Tullius (*De Som. Scip. cap. ult.*): *quod autem anima est, id motu cietur interiore, et suo. Nam hoc est natura propria animae, et vis.* Hoc duplici sub respectu animae naturam et nos perpendimus, inquirentes tum de ejus essentia, tum de vi sibi ingenita.

423. Animam humanam activa pollere virtute, non facile invenias aliquem, qui adversetur. Nam et nos demonstravimus in antecedenti Ideologiae sectione, reapse activum esse principium, quod in nobis cogitat, praeterquamquod cogitatio intelligi nequeat saltem sine potentia agendi in principio, cui ipsa inhaeret. Ex quo patet etiam, animam habere unicam cogitandi vim, atque hanc sufficere pluribus actionibus producendis; quae plures quidem supponunt facultates, sed unam agendi vim, quae diversimode per illas exeritur facultates. Cogitat enim anima sentiens, cogitat attendens, cogitat reflectens, cogitat intelligens, cogitat ratiocinans; et cogitat etiam, cum imaginatur, aut recordatur. Cave tamen suspiceris, unam esse in omnibus hominibus animam, uti videntur sensisse, qui animas a Deo, vel a supposita anima mundana dicunt emanatas, aut rationem impersonalem, et universalem ponunt cum Cousino, aut cum Sansimonianis hominem faciunt Deum (§. 206. n.). Siquidem 1. si una in omnibus esset anima, unusquisque deberet habere omnium hominum conscientiam, et omnes deberent fundum communis principii, quod eas informat, vel constituit, cognoscere, quod certe experientiae repugnat. 2. Pariter omnes deberent easdem sensationes, desideria, volitiones, intellectiones, actionesque habere vel perficere; quod iterum adversatur experientiae docenti, ne duos quidem fortasse homines in hisce omnibus convenire.

424. Hinc enata quaestio Cartesianos inter, et Lockianos tum de essentia animae, tum de perenni cogitatione. Quandoquidem Cartesius statuit, animam perenniter cogitare, atque in actuali cogitatione sitam esse animae essentiam (*Prin. phil. par.* 1. *art.* 63). Ipsum hac in re sequuti sunt Regis, Legrand, imo etiam Leibnitius ( *Nouv. ess sur l'ent. hum. l.* 2. *ch.* 1. §. 11.), Royer-Collard, Galluppi, Jouffroy, atque omnes fere profundiores philosophi. Lockius vero (*Ess. sur l'ent. hum. l.* 2. *ch.* 1.) putavit, nullimode animam semper cogitare, neque in cogitatione sitam esse ipsius essentiam. Alii autem rentur, animae essentiam reponi in facultate et vi cogitandi, non vero in actuali cogitatione, et simul asserunt in continua cogitatione versari, quia, dicunt, vis cogitandi vitam actualem non involvit. Sed isti, *identificantes* actum cum potentia in

anima, Cartesio assentiri videntur. Demum et illi sunt, qui temerariam hujusmodi decernunt quaestionem, quia rerum essentiae nobis imperviae sunt, et nescimus, in quo vita animae sita sit. Sic praecipue tenent Gravesandius, Reiffembergius, aliique.

425. *Anima in perenni cogitatione versatur.* Et reapse 1. si anima est substantia (§. 358); si substantia, quaecumque ea sit, vi sua donari debet, alioquin nihil haberet, quo ab alia distingueretur (§. 336.); si animae via est ipsa vis cogitandi (§. 423); si demum anima aliquo temporis momento haud cogitaret, nullum suum existendi modum haberet, nempe non existeret; patet, animam in perenni cogitatione versari. Diceresue tu existere flammulam, quae nullum fundit lumen? 2. Quare autem anima non cogitaret? Est certe sibi semper praesens, ac sibi praesto sunt semper modi ipsius essendi varii. Semper itaque suae cogitationis objectum habet. Deinde anima conjuncta corpori aliquem modum assumpsit, quem ipsa sentire debet, quia ille modus aliquo pacto ipsam debet afficere. Ergo toto tempore, quo corpori copulata est, habet saltem hanc ideam, nempe cogitat, quia ideam habere est etiam cogitare. Insuper anima corpori conjuncta continuo rerum externarum, quarum actionibus corpus nostrum perpetuo objicitur, ideas sibi potest cudere. 3. Certe animae vita in cogitatione reponenda est, uti vita vegetabilium, et animalium in exercitio suarum vitalium functionum reponitur. Sed quomodo concipi potest, animam existere, et tamen vita sua, nempe cogitatione, carere? 4. Si omnia in natura continuo interno, vel externo cieantur motu, nonne anima erit in continuo suae activitatis exercitio? Recte Tullius ad rem nostram inquit (*De Div. l.* 2. *c.* 67): „ Animorum „ est ea vis, eaque natura, ut vigeant vigilantes, nullo adven- „ titio pulsu, sed suo motu, incredibili quadam celeritate. „ Hi cum sustinentur membris, et corpore et sensibus, om- „ nia certiora cernunt, cogitant, sentiunt; cum autem haec „ subtracta sunt, desertusque est animus languore corporis, „ tum agitatur ipse per sese. Itaque in eo et formae versan- „ tur, et actiones, et multa audiri, multa dici videntur. Haec „ scilicet in imbecillo, remissoque animo, multa omnibus „ modis confusa, et variata versantur, maximeque reliquiae „ earum rerum moventur in animo, et agitantur, de quibus „ vigilantes aut cogitavimus, aut egimus „.

426. Neque multum nobis facessit negotium Lockius, qui ea praecipue de causa perennem animae inficiatus est

cogitationem, quia 1. experientia haud constat, animam cogitare in corpusculo adhuc incluso in materno utero, in somno profundo, in aliquibus nostris distractionis momentis; 2. quia alia esset persona, quae vigilans, et alia, quae somnians cogitat; 3. quia nullius forent utilitatis cogitationes in somno peractae.

Nam 1. non una experientia ad veritatem pervenitur; sed etiam ratiocinii ope eam possumus adipisci. Igitur nullius roboris est, quod Lockius primo loco objiciebat. Et quisnam nescit, fieri posse, ut anima objectorum externorum sensationibus excitata, nullius, quod antea percepit, ac intuita est, recordetur? Nonne attentio, quae deesse potest, necessaria est, ut magis ideae in mentem redeant (§. 406)? Ecquis reminiscitur illorum, quae ab infantia sunt percepta? Nonne facilius, quae legimus in tempore immediate antecedenti somnum nostrum, recordamur a somno surgantes? Igitur ad summum dici potest, nos non recordari, non autem non habuisse ideas in statibus, de quibus Lockius loquitur.

2. Ridiculum se prodit Lockius, cum duplicem personam supponat; nam ad hoc, ut personae identitas servetur, sufficit, ut remaneat eadem anima, idemque *ego* cogitans. An simplex miles factus Dux non est idem ille miles, qui in collegio verbera passus est? *Anima, dum vigilamus, et dormimus, semper eadem erit persona; quippe semper idem individuum rationale*, ait Genuensis (*Elem. met. p. 3. prop. 13. sch.*). Imo ex dictis (§. 410. n. 21. ad 23.) constat, animam in somnio esse in exercitio suarum functionum *spontaneo*, in vigilia vero in exercitio *reflexo*, uti patet ex operationibus utriusque status diversis.

3. Ignorantia alicujus rei finis non est ratio sufficiens illam rem negandi. Sed dicat nobis Lockius, quaenam ratio, quinam finis sit illorum, quae certo in somno saepe videmus? Imo quinam illorum finis, quae saepe vigilantes cogitamus, et illico obliviscimur? Haec omnia ab hominis natura sunt repetenda.

427. Quoniam vero anima semper cogitat, et in cogitatione animae vita statuenda est, atque sine cogitatione anima nequit concipi; aliqui cum Cartesio inferunt, in actuali animae cogitatione realem ipsius essentiam sitam esse. Verum *probabilius est, realem animae essentiam in actuali cogitatione non esse sitam*. Nam 1. cogitatio est actio animae cogitantis. Ergo ante ipsam facultas supponenda est, et facultas ab essentia, quaecumque ea sit, dimanat, vel eam con-

stituit. 2. Cogitationes nostrae variae variis succedunt; mutaretur itaque continuo animae essentia, si in actuali cogitatione foret reposita, quod procul dubio esse nequit (§. 286.) 3. Potest concipi corpus sine motu; eccur itaque nequit anima saltem mente concipi sine cogitatione actuali? Quod certe sufficit, ut non dicatur essentia animae haec actualis cogitatio. (*V. de his Storch. Psych. p.* 2. *sect.* 1. *c.* 5, *et Mancino Elem. di Filos.* §. 544, *et seqq.*)

## CAPUT SECUNDUM

### DE ANIMAE SPIRITUALITATE

428. Antequam in rem ingrediamur, plura in antecessum sunt aut revocanda, si de iis actum est, aut enucleanda, si nova sunt. Jam vidimus ens *simplex* illud esse, quod partibus caret; compositum vero, quod partibus constituitur (§. 309.). Vidimus quoque substantiam spiritualem eam esse, quae simplex est, atque intellectu et ratione donatur, quibus caret substantia corporea (§. 302). Quare, cum quaeritur utrum anima humana sit spiritualis, duo quaeruutur, utrum uempe sit simplex, simulque iutellectu, et ratioue donetur.

429. Omnes qui animam materialem esse dictitant, aut nullum ens praeter materiam vellent existere, *materialistae* vocantur. Inter veteres quidam, ut Hippo, animam dixere constare ex aqua; quidam, uti Anaximander, ex aere; quidam, uti Xenophanes, ex terra, et aqua; quidam, uti Critias, ex sanguine; quidam, uti Parmenides, ex terra, et igne; quidam, uti Galenus, ex spiritu sanguinis; Empedocles ex omnibus elemeutis; Democritus, Epicurus ex rotundis corpusculis concursu quodam fortuito; Chrysippus ab anima mundana avulsam credidit; Zeuo spiritum calidum, per quem spiramus, et movemur, putavit; Dicaearchus apud Tullium (*qq. Tusc: l.* 1. *c.* 1.), auimam *nomen inane* reputans, ait esse *corpus unum, et simplex ita figuratum, ut temperatione naturae vigeat et sentiat.* Schola Sankhya Kampilae (§. 13.) apud Indos animam admittebat, quae erat atomus tenuissima ex decem et septem principiis constans, uti narrat Cousin (*Cours d'Hist: de la phil. leçon* 3.). Inter recentes in animae spiritualitatem debacchati sunt Hobbes, Tolandus, Dodwart, Maubet, Helvetius, Diderot, Lametrie, auctor *systematis naturae*, Darwin, aliique, qui principium cogitans materiam di-

xere, puromque automa hominem putarunt. Ad materialismum prolapsus est etiam Cabanisius, qui totum morale per physicum in homine explicare conatus est; et Tracyus, qui ad sensibilitatem omnes animae facultates coarctavit, et sensibilitatem esse nostrae organizationis effectum dictitavit (*Ideol. ch.* 11.). Inter materialistas accensentur etiam Lancellin, Azais, Broussais, Berigny, Fluorens. Dicaearchi sententiam in vitam. revocavit Ivonius, qui impudenter ait: *ego sum corpus et cogito*, *et nihil praeterea scio*. (Vide de his *Storch. Psych.* p. 2. sect. 1. c. 1., Salvatorem Mancino. *Elem. di Filos.* V. 2. n. 514. 515., Del Giudice *Psych.* §. 13).

430. Contra istos homines itaque, *animam esse substantiam simplicem*, propugnamus. Anima profecto percipit, judicat, ratiocinatur, uti hucusque vidimus, atque in actibus suis libera est, uti postea docebimus. Sed substantia, quae hujusmodi exerit actiones materialis esse nequit. Siquidem

1. Nequit esse materialis substantia, quae in nobis percipit; nam quod materiale est pluribus constat partibus; ergo aut quaelibet percipit totum aliquod objectum, aut quaelibet quamlibet objecti partem, aut omnes simul sumptae totum ipsum objectum. In primo casu tot haberentur sensationes, quot sunt partes entis percipientis, quod repugnat cujusque experientiae; in secundo vero, non una tota sensatio, sed tot partiales, quot sunt partes, haberentur sensationes, nempe nulla sensatio, quod etiam internae repugnat experientiae; in tertio daberent omnes materialis substantiae percipientis partes ad unum centrale punctum referre suas sensationes, unamque sensationem ita componere, quod esse nequit; nam et partiales tunc deberentur sensationes, quibus certe non expoliantur illae partes; et altera totalis, quod intimae contradicit experientiae; et de hoc puncto centrali, quod nescio quale sit, illud idem dici potest, quod antea de toto diximus, si ipsum materiale est; si vero simplex, hoc ipsum postulamus. Hoc argumentum robore suo crescit, si consideretur, aliquoties animam fere eodem tempore plures simul habere sensationes, uti si ex. gr. simul sentio sonum campanae, odorem rosae, calorem ignis, colorem parietis, saporem pyri, quae omnia explicari haud possunt, supposita substantia materiali percipiente. Hoc argumentum tanti faciebat Baylius, ut illud geometricae demonstrationi aequiparaverit, et causam in ignorantia refuderit, cur non omnes ejus capere voluerint, vel potuerint evidentiam (*Diction: hist. art. Leucippe*, *Remar. E.*).

431. 2. Neque materialis substantia potest esse, quae in nobis judicat; et multo minus, quae ratiocinatur. Nam in judicio duae ideae esse debent, quarum relationem anima debet intueri. Igitur substantia judicans materialis duabus saltem partibus constare deberet. Porro in hac hypothesi aut quaelibet pars alterius ideam, et suam noscit; aut suam tantum. Si primum, plures forent substantiae judicantes; si alterum, nullum foret judicium, cum unaquaeque pars alteram ideam non habens comparationem nequiret instituere. Hoc uno argumento usi sunt Bonnetus (*Essai analit: sur les fac: de l'ame prèf*), et Laromiguiere (*Leçon de phil: par.* 2. *leç.* 12.). Recte proinde Condillachus (*Art. de Raisonner l:* 1. *ch.* 3.) docuit, identicas esse propositones, *anima, quae comparat: et anima, quae simplex est*. Verum quid dicendum de ratiocinio? In hoc requiruntur ideae subjecti, et praedicati, et idea media, cum qua relationem tum subjecti, tum praedicati anima debet percipere. Ast si haec anima materialis est, quomodo valebit ratiocinium perficere, nisi valeat efformare judicium?

432. 3. Neque potest esse materialis substantia, quae voluntate donatur. Voluntatis vi homo suarum cogitationum est dominus, dominium super sui corporis motus exercet, atque res externas suo libito moderatur. Hujusmodi proinde voluntas activa est, materia vero iners; voluntas suo arbitrio motum aut ciet, aut cohibet, materia absque causa externa non sistit, absque causa non movetur; voluntas vim sui ipsius motricem habet, ipsaque seipsam modificat, materia ex se non modificatur; voluntas vi quoque modificandi suum corpus, atque externa corpora potitur, materia ex se nihil valet, nisi a causa externa ad aliquid excitetur. Igitur voluntas nequit materiae inhaerere. Deinde si a materia volitiones proficiscerentur, undenam est, quod saepe velimus, quae supra vires nostri corporis sunt? Nonne effectus causae respondere debet, praesertim si agatur de effectu et causa necessaria?

433. 4. Neque potest esse materialis substantia, quae omnes generatim alias animae operationes perficit. Et re quidem vera in substantia cogitante debet reponi unitas, quae a Galluppi dicitur *metaphysica* (*Elem. di Filos. c.* 20.) (1). Siquidem ille *ego*, qui percipit, judicat, ratiocinatur, attendit, reflectit, abstrahit, intelligit, imaginatur, recogno-

(1) Unio cogitationum in principio, quod cogitat, posset dici melius *unitas logica*; ipsius vero principii cogitantis unitas, vi cujus unum non est aliud, posset dici *unitas ontologica*, seu *metaphysica*.

scit, ideasque retinet et recordatur, qui vult, amat, cupit, non vult, odit, aversatur; ille *ego* fuit heri, et nudius tertius, et cras erit; praeterita et futura cum praesenti connectit; opposita separat; disparata comparat; similia copulat, uno *me* semper permanente; varias veritates acquisitas in unum colligit systema, unumque syntheticum componit, ad quod omnes suas dirigit operationes quoddam pariter unum indivisibile efformantes. Verum haec ineffabilis unitas, haec perennis identitas, haec substantia plura disparata et contraria in unum congregans potestne esse materia? Si materia foret, operationes laudatae pertinerent ad organa corporis, et praesertim cerebri. Sed haec organa numquam unitatem, atque identitatem *mei* valent servare; nam nutritionem ab arteriis mendicant, per venas deponunt superflua, ab aliis necessaria recipiunt, nutriuntur, reficiuntur, instaurantur, substituntur, atque perenniter aut crescunt, aut minuuntur, aliasque innumeras subeunt substantiales mutationes. Veteribus porro elementis materiae, quibus illa constant organa, mutatis, auctis, minutis, instauratis, substitutis, deperditis, quaenam unitas haberetur, et quaenam personae identitas? Frustra quis multa memoriae mandaret, cum in horas omnia deperderet; frustra systema conficere aggrederetur, cum numquam praesentia cum praeteritis comparare valeret.

434. 5. Deinde, si materialis est substantia, quae in nobis cogitat, profecto cogitationes corporis motibus explicari deberent. Ast impossibile omnino est cogitationes motus esse, aut a motibus oriri, aut esse motuum qualitates. Siquidem 1. Res mobilis certo movetur, et sistit causa externa agente, nec motum deperditum revocare, aut actualem dimittere ex se valet; substantia vero cogitans revocare, aut rejicere suas valet cogitationes, prout sibi lubet. 2. Motus velocitas debet esse proportionata viribus causarum, quae motum communicant; sed quae proportio est inter verba, quae tibi secreto dicam auribus, nempe inimicum tuum esse hic absconditum ense districto, et celeritatem, qua cito fugis? Igitur aliud aliquid in te agit, quod non regitur motus legibus, ideoque materiale non est. 3. Spatia a quodam mobili percursa debent respondere temporibus; ast ego cogito modo Neapolim, modo Romam, modo Lutetiam Parisiorum, Vindobonam, et modo alias urbes, atque praecipua, quae in ipsis sunt; dein Italiam considero, postea Europam, dein totum terraqueum orbem, insuper ad coelum mente conscen-

do, ad Deum assurgo, ad creaturas revertor; sed quaenam est proportio inter haec spatia a substantia mea cogitante percursa, et tempus, quo ipsa percurrit? 4. Corpus mobile transit de loco in locum, relinquens primum, et sequentem locum occupans; sed substantia cogitans cogitatione sua antecedentem et sequentem complectitur, imo ex his non relictis alia deducit. 5. Mobile motu suo varios suscipit status successivos; sed substantia cogitans cogitatione sua redit in seipsam. 6. Mobile, non omissis intermediis, transit de loco in locum; sed substantia cogitans relinquit loca intermedia, cum cogitatione sua transit ex. gr. ab Italia ad Hispanias. 7. Ex duobus motibus non perfectis, neque transfusis tertius motus oriri nequit; sed ex duabus ideis integre relictis, tertiam relationis ideam deducit substantia cogitans. 8. Mobile motu suo in aliud incurrens hoc agitat, excutit, pellit, minuit, auget, uno verbo modificat; substantia cogitans cogitatione sua haec non efficit. 9. Corpus numquam motum abrumpere, nunquam directionem, aut celeritatem immutare potest sine externa causa; sed substantia cogitans abrumpit cogitationem suo arbitrio, eamque ponit, prout vult, intensius aut remissius. 10. Corpus suum motum non corrigit sine causa externa, et sine primi destructione; anima vero corrigit ideas, et idearum correctarum recordatur. 11. Cogitatio motum, non motus cogitationem metitur.

435. Sed alia sunt argumenta, quibus adhuc animae simplicitas demonstrari potest. Nam 1. plura sunt, quae corpori grata sunt, atque sensibus blandientia, quae tamen substantia in nobis cogitans rejicit, ut turpia, et inhonesta; plura quoque sunt, quae corpori ingrata sunt, atque sensus dolore afficientia, quae tamen substantia cogitans et amat et amplectitur. Quorsum haec, nisi substantia cogitans a corpore distinguatur? 2. Experientia docemur, substantiam cogitantem tanto magis a sensibus abstrahi, quanto profundius alicui rei contemplandae inhaeret; atque exercitio vim suam perficere, et in dies ad plura, vel perfectiori modo cogitanda expeditiorem reddi. Ast si materialis illa foret, nonne eo longius diffundi deberet, quo major et intensior foret meditatio? Nonne corpus exercitio et usu in dies labefactatur, senio conficitur, ac tandem deficit? 3. Notum est nos plura percipere, quae nullam in corpore possunt mutationem efficere, uti sunt Deus, spiritus, virtutes, vitia, possibilitas, ens, substantia. Quomodo haec perciperentur, si materialis foret substantia percipiens? Nam illa idea simplex, quae perci-

pitur, eritne in una entis materialis percipientis parte, an in singulis seorsim sumptis, an in omnibus simul collectis? Nequit dici primum, alias una pars cogitaret, et ceterae forent frustraneae; non secundum, alioquin essent tot entia cogitantia, quot partes; non tertium, quia cogitatio simplex et individua in partes distraheretur, et divideretur. 4. Si homo non habeat substantiam spiritualem, ipse purum erit automa. Ergo automa Iliadem Homeri composuit, Virgilii Aeneidem dictavit, inspiravit Dantem, et Petrarcham, Areostum, et Tassum; automa pinxit transfigurationem Redemptoris Raphaelis, legit epochas Buffoni, condidit principia mathematica philosophiae naturalis Newtoni; automa demum horrenda monstra, et mirabiles chimaeras, et mundos ideales, et quoddam sublime et pulchrum et imaginarium et novum, quod est quaedam creationis species, sibi contemplanda procuderet. Ecquis haec deglutire potest, quin sensui communi valedicat? 5. Si materialis esset substantia cogitans, quisque noscere posset linguas, quin iis studeret; sufficeret enim proferre voces alicujus linguae, ut aliquis ideas simul perciperet in illis vocibus contentis, quia motus excitati in nervis acusticis ideas illas excitarent, imo essent illae ideae. Insuper etiam sequeretur quod plures linguae disci nequirent; quia si ex. gr. vox *Deus* motu suo ideam Dei constitueret, non video, cur ideam Dei debeat constituere motu suo etiam vox *god*, quae Deum apud Anglos significat, cum diversi motus, diversas constituere deberent ideas. Qua igitur de causa eadem idea exoritur, nisi quia simplex est substantia, quae ideas sibi cudit, ac pro libito suo vocabula pro quacumque idea effingit?

436. Neque porro credendum est, veteres illos, quos materialistis accensuimus (§. 429.), cum corpore animam confudisse, si Pherecratem, Prothagoram, Dicaearchum excipias. Siquidem fere omnes animam putarunt aut aetherem, aut ignem subtilissimum, aut aliquid umbratile, aut demum aliquid nominis expers, sed omnes a corpore eam distinxerunt. Anaxagoras vero, Socrates, Aristoteles, et tota Platonica schola, Cicero, Plotinus inter veteres; inter recentes Cartesius, Gassendus, Malebranchius, Leibnitius, Wolfius, Genuensis, Condillachus, Bonnetus, Baylius, Rousseau, plurimique magni nominis philosophi recentiores animam expertem materiae demonstrarunt, docuerunt, vindicarunt; ancipites hac in re fuere Lockius, et Kantius, qui animae spiritualitatem argumentis philosophice evidentibus demon-

strari non posse crediderunt. Quare sententia fere communis hodierna est, duplicem ordinem admittendum esse, *internum*, ad quem pertinent animae phaenomena, et *externum*, ad quem referuntur phaenomena corporum. Hinc recte ajebat Cicero ( *qq. Tusc. l.* 1. ): *in animi igitur cognitione dubitare non possumus, nisi plane in physicis plumbei sumus, quin nihil sit animis admixtum, nihil concretum, nihil copulatum, nihil coagmentatum, nihil duplex.*

437. Hucusque ostendimus, animam humanam esse simplicem. Verum estne etiam spiritualis? Profecto. Nam spiritualis substantia ea dicitur, quae simplex est, et simul intellectu et ratione decoratur (§. 302 ). Sed anima humana est simplex, uti toto hoc capite demonstravimus, ac intellectu et ratione potitur, uti supra etiam docuimus ( §. 371. 386. ). Ergo anima humana est substantia spiritualis.

438. Sed non desunt homines propria conditione indignissimi, qui, ut verbis utar cl. Mastrofini ( *L'anima, e suoi stati* §. 1248. ), suae animae praestantiam negarunt, vel negarent supra belluas, imo supra materiam. Interim eorum animadversiones, et querimonias, seu potius tricas, et sannas audiamus.

439. Dicunt 1. Possunt profecto partes materiae simul ita inter se conspirare, ut in toto ente composito una exsurgat vis cogitandi, uti una vis corporis exsurgit ex plurium elementorum simplicium, quibus corpus constat, viribus.

440. Verum plura hic falsa glomerarunt materialistae. Supponunt enim, partes materiae partem habere cogitationis; alioquin ex conspiratione partium vis cogitandi sequi non posset; nemo enim dat, quod non habet. Supponunt, partes illa partiali vi cogitandi pollentes, conspiratioue facta, unam vim cogitandi producere; quasi nempe vis cogitandi dimidiari, ac in partes plurimas posset discerpi. Supponunt, substantiam cogitandi esse quid otiosum, et non potius quid activum se et alias res sibi repraesentans. Supponunt, illas partes cogitatione partiali praeditas inter se ita connecti, ut unum efficiant, impenetrabilitate omnino exsulante. Supponunt, partes illas tendere natura sua ad eumdem terminum externum, uti elementa corporum. Supponunt easdem vires esse corporum elementorum, et vim cogitandi, quasi haec non includeret etiam cogitationem substantiae, cui inhaeret. Supponunt, cogitationes esse motus, aut motuum effectus, quod certe falsum est ( §. 434 ). Quare in anima est unitas quaedam mira-

bilis, quae simplicissimam substantiam supponit; non ita est unitas virium corporis, quae relationem elementorum externam dicit, corporisque motum haud componit, quia externa est corporis motus causa.

441. Sed dicunt 2. Potest fieri, ut ex fibrillarum cerebri compositione, densitate, magnitudine, longitudine, siccitate, humiditate, tensione, actione et reactione, cogitatio oriatur, uti ex connexione, conspiratione, actione partium horologii nascitur temporis mensura.

442. Sed ineptire videntur hic Berolineusis Sans-souci, et Hobbesius, quorum est allata objectio. Nam mensura temporis horologii indice, vel sono peracta nil demum est, nisi motus, qui oritur ex partibus simul compositis, quae habent initialem aptitudinem ad illum motum, uti ex pluribus militibus exercitus exsurgit. Ast, sicut ex multitudine caecorum, quomodocumque inter se ordinatorum, numquam hominem videntem tu efformabis, quia nullus eorum recipiendi lucem habet capacitatem; ita ex partibus materiae utcumque densatis, magnis, longis, siccis, humidis, tensis, agentibus, et actis, numquam cogitationem exprimes, quia nulla ex partibus habet cogitandi capacitatem, uti optime animadvertit Frayssinous ( *Conference vol. I.* ). Deinde ex cujuscumque materiae partium dispositione nequit oriri, nisi quaedam partium extra se cum aliis externa relatio; e contra substantia cogitans seipsam modificat intra se, ac se sentit in se, et extra se. Ex quo patet, cogitationem ex partium dispositione neque oriri posse, etiamsi hae partes cogitatione ornarentur; quia quaelibet sentiret se ab aliis diversam, et ideo tot haberentur disparatae cogitationes, quot forent partes, numquam vero haberetur cogitationum conspiratio ad unam efformandam cogitationem, uti acute docet Mastrofini (§. 47. 48.). Neque ex eo, quod posita actione et reactione organorum, nervorum, cerebri, sequatur in anima externorum objectorum sensatio, hac de re aliquid scrupuli tibi remaneat. Nam haec actio et reactio est tantum occasio, seu via, qua ideas rerum corporearum anima sibi cudit; atque commercium illud admirabile supponit, quo anima corpori copulatur. Dispositio proinde fibrillarum cerebri est veluti conditio materialis, cui aliquo modo animae subjicitur sensibilitas. Ceterum fieri potest, ut cerebrum laedatur, quin facultas cogitandi deperdatur, uti notavimus supra ( §. 368. ), et ex recentissimis factis patet. Vide Salvatorem Mancino (*Elem. di Filos.* §. 540), et Mastrofini ( *l. 2. c. 2. art. 2.* ). Quare, ut istrumentum animae, cere-

brum respexerunt vel ipsi celeberrimi physiologi Haller, Bonnet, Sthal, Foderè, Matthey, Berard, Virey, aliique innumeri, uti docet Mancino, atque uti animae *satellites*, et *nuntios*, ipse Tullius *sensus* corporeos accepit, et quasi *fenestras animi* vocavit ( *qq. Tusc. l.* 1. *c*. 20. ). Ridicula proinde est comparatio Cabanisii. (*Rapports du phys. et du moral. de l'homme mem.* 11, §. 8.), inter *stomachum* et *cerebrum*, supponens illum digestionis, hoc cogitationis causam. Nam stomachus materialis super materialia alimenta agit, agit materiali motu, materialia producit. Ast cogitans substantia etiam immaterialia percipit ( §. 435. n. 3. ); cogitationes motus esse nequeunt ( §. 434. ); ideae et cogitationes nil materiale continent. Deinde, posito eodem valetudinis statu, stomachus, eodem ordine, eosdemque semper suos producit effectus tum in vigilia tum in somno; ast substantia cogitans alio modo in somno ac in vigilia, agit; imo, ceteris paribus, suas multimode versat cogitationes, uti notat Melchior Gioja ( *Ideol. par.* 8. *c*. 3. §. 4. ). Vide Salvatorem Mancino ( §. 542. ).

443. Instant 3: Materialistae: Vis motrix, motus, quies, celeritas, attractio, gravitas, inertia, impenetrabilitas, vegetatio, aliaeque corporum vires simplices sunt, indivisibiles sunt, inextensae sunt. Ergo et simplex cogitatio materiae convenire potest.

444. Ut huic directe respondeamus Voltairii objectioni, notamus, vires motrices, si tamen in corporibus sint, respici posse tum in composito, tum in elementis, ex quibus oritur compositum. In primo sensu acceptae, sunt certe compositae et divisibiles saltem ratione principiorum, quia ratione sui sunt tantum substantiarum modi; quare sunt, ut physici norunt, *quantitati materiae proportionales*. In secundo sensu acceptae, illae vires dici possunt etiam *quantae*, alioquin vires corporum, quae ex illis *partialibus* oriuntur, non gignerent. Quare comparatio non tenet. Et etiamsi simplices dici vellent, uti simplex est cogitatio, non inde tamen inferre liceret, materiae competere posse cogitationem; nam cogitatio non ratione simplicitatis elementis repugnat, sed ratione proprietatum oppositarum, quae in substantia cogitante, et in materia sunt, et praecipue ea de causa, quod elementum materiale inertia donetur, qua acquisitum motum, vel quietem constanter servat, et quidem statutis virium gradibus; substantia vero cogitans suo libito transit de una in alteram ideam, nulla servata motus lege (§. 434.). *Motus* autem sumptus pro quantitate virium corporis in motu, sequitur rationem directam *massae*,

seu numeri particularum, et velocitates; quare est divisibilis, sicut massa corporis, spatium, tempus, vires impellentes; quae omnia haud sequitur cogitatio. *Quies* non est nisi status corporis extra motum, seu pars quaedam inertiae, quam corpus non relinquit, nisi causa exterua impellatur; quod de substantia cogitante dici nequit (§. 432.). *Celeritas* est modificatio virium, non materiae, et est in ratione massae, spatii, temporis, virium; quam legem haud sequitur substantia cogitans. *Attractio* et ipsa divisibilis est quia sequitur rationem directam corporis attrahentis, et inversam duplicatam distantiae; cum e contra substantia cogitans et motiva allicientia rejicere valeat, et in loca dissita vi sua transire possit. *Gravitas* accepta pro pondere sequitur rationem massae, et regitur legibus attractionis; accepta vero pro initiali deorsum tendentia est eadem ac attractio. Quare divisibilis est, neque cum cogitatione componi potest. *Inertia* est quaedam conditio remanendi corpus in statu, in quo est, et proinde vis dici nequit. Et etiamsi veluti vis consideranda sit, nil inde infertur, quia tunc veluti attractio et repulsio est. *Impenetrabilitas* est vis, qua unum corpus aliud excludit, quaeque ante extensionem supponenda est, si corpus ex elementis indivisibilibus exsurgat. Ipsa etiam est in ratione massae, ideoque divisibilis. *Vegetatio* explicari potest per solum mechanicum fluidorum, et solidorum motum, et partium positionem, quae certe sunt quid compositum; cum cogitatio sit quid simplex. Igitur ex eo, quod illae vires corporibus insint, non recte eruitur corporibus quoque cogitationem convenire. Deinde cum omnes hujusmodi vires motum supponant, aut includant, aut gignant, cogitatio vero per motum explicari nequeat (§. 434.); patet, cogitationem non posse competere materiae, cui illae insunt vires. Demum hae vires in corporibus sunt veluti phaenomena ex aliis viribus exsurgentia, et respectus quidam externi, cum e contra cogitatio sit ipsa affectio substantiae cogitantis, ipsique interna.

445. Urgent 4. adversarii. Substantia cogitans materialis esse debet tum quia spiritus nequiret corpori copulari; tum quia corpus informat; tum quia ejus vires augentur, vel minuuntur, prout corpus roboratur, vel hebetatur; tum quia nequiret extensum concipere.

446. Sed nihili haec facienda sunt. Nam ex eo, quod modum nesciamus, quo spiritus corpori copulatur, non inde recte infertur, substantiam cogitantem esse corpoream, quia argumenta desumpta a nostra ignorantia contra claram verita-

tem nullum habent pondus, uti apposite notat Storchenau (*Psych.* §. 147. *sch.*). Nonne Deus agit in corpora, quae non eamdem habent naturam ac Deus? Sed huic Lucretii objectioni, a d'Argens, Darwino, Cabauisio recoctae, etiam responderi potest cum Reid, et Dugaldo Stewart, eamdem remanere, etiamsi corporea supponatur anima, quia nos pariter latet, quomodo unum corpus in aliud agat. *Anima informat* corpus, quatenus cum corpore unum hominem componit, corpusque ipsum regit, ac eo utitur tamquam instrumento ad res externas percipiendas; est nempe *forma informans*, uti loquuntur scholastici. Ex eo *autem, quod videantur augeri vel minui vires animae, roborato vel hebetato corpore*, hoc unum sequitur, animam copulari corpori, quod cum illa amice conspirat, non vero animam augeri, minuive eamdem corporis actione, aut corpus esse. Illud patet, quia patet existentia utriusque substantiae; hoc alterum gratis assereretur. Deinde vidimus (§. 372.), animam non amplius uti posse facultatibus suis, corporis sensibus hebetatis, confusis, infectis. Igitur, anima non augetur, cum corpus roboratur, nec minuitur, cum corpus hebetatur; sed augetur, vel minuitur perfectio instrumenti, quo anima utitur. Demum undenam est, ut pueri Baratier, Zuccaro, Londalina, Pugliesi, licet teneris annis, et proinde corpore admodum debili, portenta intelligentiae fuerint? Undenam est, ut tot puellae in martyrio constantes fuerint, licet fragilem, languidumque corpus haberent? Undenam est, ut Judith, Zenobia, Catharina Regina Russiae hominibus ipsis virtute, audacia, politica excelluerint? Undenam est, ut mulieres Sapphus, Herschel, Sevignè, Agnesi, Staël, Colonna, Tambroni, Guacci, Taddaei, Orphaei in corpore imbelli cultissimae fuerint, aut sint, in astronomia, algebra, poesi, litteris Graecis, aliisque facultatibus? Undenam est, ut senes quidam in corpore doloribus, morbisque confracti sapientissimi saepe videantur? Profecto ex eo, quod animae operationes non augeantur, vel minuantur, corpore roborato, vel fracto. Denique *anima concipit extensum*, sed concipit etiam inextensum, et simplex (§. 435. n. 3.). Deinde neque concipi posset, quomodo anima extensa quidem, sed objecto extenso minor, extensum majus se concipere valeret. Insuper ex ignorantia modi, quo anima extensum concipit, nil certe inferri potest. Praeterea non est idem extensum, uti est corpus, et extensum, uti est animae repraesentatum; neque idea extensi est ipsum extensum. Demum anima non continet rem perce-

ptam, sed eam intuetur, et percipit, et percipere nequiret, si extensa et ipsa foret (§. 430·)

447. Opponunt 5. Si substantia in nobis cogitans haud foret materialis, facultatum evolutio, et operationum perfectio non sequerentur temperaturae, et climatis naturam, uti continuo videmus; neque ingenii acumen ex vultus et cerebri magnitudine cognosceretur, uti docet Gall.

448. Sed hic gratuite haec assumunt spiritualitatis animae hostes. Quandoquidem quidnam sit temperatura, seu temperatio non res clara est. Sed quidquid sit, aut est materiale, et per ipsum cogitationes explicari nequeunt; aut simplex, et erit quod quaerimus. Deinde saepe uni temperaturae tribuimus, quae alteri conveniunt, et saepe etiam eadem ingenii vivacitas in diversis temperationibus inventa est. Demum illi ipsi, qui temperaturae influxum promovent, dicunt, educatione posse illam temperari, seu emolliri, aut agrestem et feram reddi. Scimus Bodinum, Montesquieu, Cabanisium, ac Staël virtutes, scientias, imo ipsam religionem climatibus aptasse (§. 384). Sed experientia docet, scientias totum perambulasse orbem, quamlibet gentem sua habuisse genia sublimia, unumquemque populum modo imbellem, modo audacem fuisse, Christi Religionem martyres ex qualibet habuisse regione, apud omnes nationes quaedam fuisse, et esse principia communia. Igitur non ex climatis influxu substantia cogitans dependet, uti monstravit etiam Filangieri (*Scienza della legisl. t.* 1. *pag.* 225.), imo ipse incredulus Volney (*Voyage en Sirie ch.* 16). Et notandum est cum Salvatore Mancino (*Elem. di Filos.* §. 337.), hominem posse novum fere creare clima, nam, ut ait Tullius (*De nat. deor. l.* 2. *c.* 60), *nos campis, nos montibus fruimur, nostri sunt amnes, nostri lacus, nos fruges serimus. nos arbores, nos aquarum inductionibus terris faecunditatem damus, nos flumina arcemus, dirigimus, avertimus; nostris manibus in rerum natura, quasi alteram naturam efficere conamur.* Experientiae opponi, quod de ingenii acuminis magnitudine dicunt cum Gall adversarii, jam demonstrarunt prae ceteris Magendie, et Desmoulins, et nos supra etiam notavimus (§. 384). (Vide auctorem *della Storia critica delle opinioni filosofiche d'ogni secolo intorno all'anima t.* 1. *c.* 2., et Anti-Lucr: l. 5.). Neque dicas, Gall detexisse, cerebrum esse organum, in quo sedes discretas habent intimus sensus, sensibilitas, attentio, instinctus, desiderium, voluntas; atque cerebri protuberantias esse facultates; imo ex hisce protuberantiis cognovisse hominum ingenia,

vitia, virtutes. Nam 1. tunc tot forent principia cogitantia, quot nervi, quotque sunt in cerebro protuberantiae; quod cujusque experientiae adversatur. 2. Cerebrum hominis dementis organa diversa non habet, ac illud viri sapientis, cum tamen opposita sapiant. 3. Hujusmodi protuberantiae, et extuberationes ad triginta tres reduxit Gall, alii vero post Sporzheim ad centum extendunt, quod probat, phrenologos neque inter se convenire. 4. Factis non semper respondent organa, seu facultates hujusmodi, cum e. g. organum theosophiae in capite arietis, organum vero stupiditatis in calvaria doctissimi Laplace inventum sit. 5. Multa organa statuenda forent fine destituta, cum ea chraniologi singulis fere actionibus, objectisque assignent. 6. Haec organa supponunt, materiae cogitationem competere, quia et organa finguntur ipsorum objectorum rationalium; quod absurdum postea exsufflabimus (§. 452.). 7. In hac hypothesi, cum quodvis organum, utpote materiale, sensim commutetur; certe deberet ipsum principium cogitans in fine vitae omnino commutari; quod internae, externaeque experientiae non respondet. Ceterum, si haec organa veluti animae instrumenta statuantur; procul dubio nihil absurdi continent; sed eorum situs, distinctio, numerusque experientia magis firmanda forent. Vide Gioia (*Ideol. t.* 1. *p.* 4.). et Adolphums Garnier (*Psychel. et Phrenel. comparées. Paris* 1830.)

449. Dicunt 6. Materialistae: Bruta sunt pura automata, et cogitant; quidni et homines?

450. Verum falso supponunt hic adversarii, bruta animam non habere. Siquidem actiones brutorum saltem sensationes innuunt, sensationes vero substantiae simplici inhaerere debent. Vide de hoc Dmowski (*Psych.* §. 6. *Inst.* 2).

451. Sed ultimo opponunt Lockius, Voltairius, aliique, nos latere rerum essentias, et ideo nescire, utrum materiae cogitatio possit competere. Et nonne Deus materiae cogitationem posset largiri?

452. Huic argumento, quod plurimi faciunt materialistae, respondebis, nos quidem nescire realem essentiam rerum, sed ad hoc, ut sciamus materiae non posse cogitationem convenire, minime necessum esse, materiae essentiam internoscere. Sufficit enim tantum scire, cogitationem haud convenire cum extensione, divisibilitate, impenetrabilitate, inertia, quae sunt proprietates materiae. Quaecumque autem sunt nobis aliae imperviae proprietates, cum istis minime pugnare possunt. Ergo semper verum erit, cogitationem repugnare

materiae. Sed quod repugnat, Deus nullimode potest efficere (§. 281); ergo neque Deus materiae cogitationem largiri potest. An Deus potest efficere, ut simplex, quod cogitatio postulat, sit simul multiplex, quod proprium est materiae? Nonne simplicis proprietates destruerent proprietates compositi? Lockium praecipue impugnavit hac in re Cardinalis Gerdil in opere (*Immaterialité de l'ame*), et Galluppi (*Lez. di Log. e Met. Vol.* 3. *lez.* 63).

453. Quare 1. insulse prorsus Kantius (*Critica della ragion pura t.* 4. *pag.* 252) dicit, *se prorsus ignorare*, *utrum ipsemet existere possit*, *ut ens cogitans*. Ignorantia ipsius tamen non mutat rerum naturam. 2. Male Storchenau (*Psych.* §. 149. *et seqq.*) asseruit incertissimum esse, utrum Deus creare valeat substantiam, quae simul vi cogitandi, et inertia instructa sit; cum haec substantia, quaecumque sit, esse nequeat; cogitatio enim activitatem; inertia vero incapacitatem mutandi statum, aut vim conservandi statum acquisitum, quae activitatem excludit, complectitur (*V. Dmowski Psych.* §. 11.)

454. Galenus, Zabarella, Henricus Gandavensis Platonicorum somnia secuti tres in homine reposuerunt animas, *vegetativam*, quae corporis augmento adesset, *sensitivam*, quae sensationes susciperet, et *rationalem*, quae intelligentiae humanae operationes complecteretur. Ast perperam. Nam unum est principium, quod in homine cogitat, ideoque una anima. *Vegetatio* vero ad entia composita refertur, cum anima simplex sit. *Sensationes* autem per impressiones in organa sensoria habet eadem anima, quae et intelligit et ratiocinatur (§. 365.). Hinc patet, neque illud *vehiculum* esse probandum, quod veteres quidam admiserunt, nempe quoddam corpusculum, quo anima induta corpus informat, et regit: nam nec experientia constat, neque necessarium videtur. (Vide de his *del Giudice* §. 138 *et seqq.* Storchenau *Psych.* §. 141. *sch.* 3. Mastrof. n. 117. 192.)

## CAPUT TERTIUM

### DE ANIMARUM ORTU

455. Statuta animae simplicitate, et spiritualitate, facilius ejus originem possumus perscrutari. Hucusque duo constant, animam nempe esse substantiam cogitantem, atque donari spiritualitate. Non amplius itaque nobis lis est cum ma-

terialistis; nam de animae origine disserentes, animam supponimus, et quidem veluti substantiam a corpore distinctam, atque intellectu et ratione ornatam.

456. De origine animae veteribus temporibus etiam quaesitum est; sed philosophia sibi uni relicta, opinari potuit, scire autem non potuit. Luce Evangelii affulgente, praesertim Patrum opera, tandem circa animae ortum, quaestio enucleata est, licet ad veritatem pedetentim, et veluti per gradus perventum sit. Vide Mastrofini (*L'anima ec.* §. 184). Sex praecipue opiniones hac de re hucusque fuere. *Prima* illorum est, qui animam veluti deam aestimantes, eam dixere Deum, aut saltem partem, aut attributum, aut modum Dei. Dei substantiam eam censuerunt Manichaei, aliqui Marcionitae et Priscillianistae. necnon Arabes. Partem Dei putarunt Pythagoras, teste Tullio (*De nat. deor. l.* 1. c. 11.), Euripides, Ægyptii, Chaldaei, Graeci plures, praesertim Stoici, quorum opinionem expressit Virgilius (*l. 4. Georg. v.* 222.), necnon plures Samienses, Sinenses, Indi. Hunc errorem prosequuti sunt Spinoza, Tolandus, Kuffaelerus, Poiretus, *Pantheistae* dicti. Huc etiam refertur opinio *Emanatistarum*, qui dixerunt, animas esse emanationes, vel radiationes substantiae divinae, et quibus adhaesit Saint-Martin (§. 65.). Vide *Tableau naturel des Rapports, qui existent entre Dieu, l'homme, et l'univers* (1 p. n. 4.). *Altera* opinio est illorum, qui animam sunt professi mundanam, nempe quamdam substantiam, permeantem omnes hujus mundi partes, eisque impertientem vitam, motum, energiam, quique hujus animae universalis totidem partes humanas putaverunt. Hunc errorem Platoni non recte ab aliquibus tributum propugnarunt Eugubinus, Pansa, Mornay, Hartsoeker. *Tertia* sententia est illorum, qui putarunt, animas a Deo in rerum primordiis fuisse creatas, exornatas omni scientiarum genere, atque in astris collocatas, ex quibus depulsae fuerant, quia arbitrio abusae in auctorem suum pessime peccarunt, atque in haec terrena corpora, pro qualitate scelerum, detrusae. Haec sententia, quae explicare hujus vitae miserias, non supposita revelatione, vellet, tribuitur Platoni, Pythagorae, Origeni. *Quarta* sententia est illorum, qui *metempsychosim*, seu animarum *transmigrationem* de uno in alterum corpus, et etiam belluarum, si patrata scelera majorem mererentur poenam, defenderunt. Ipsa tribuitur Pythagorae ac probata fuit ab Empedocle, Timaeo Locro, a pluribus Graecis, Ægyptiis, Persis, Indis, atque modo a populis orientalibus fere omnibus etiam defenditur.

*Quinta* est opinio illorum, qui crediderunt, omnes animas creatas simul fuisse in organicis quibusdam involutas corpusculis locatis in lumbis Adae, et ovariis Hevae. Hanc opinionem involutorum propugnarunt Leibnitius, Bonnetus, Dariesius, Mejerus, Bohemius, Wincklerus, Baumeisterus, Wolfius. *Sexta* opinio est *Traducianorum*, qui putarunt, sic animas filiorum ex animabus parentum procreari, uti caro ex carne procreatur. Sic senserunt Tertullianus, Apollinaris, Luciferiani, et pars Orientalium maxima, ea ratione suffulti, quod inde felicius peccati originalis in Adae posteros transfusio possit explicari. Ceteri omnes vero aestimant, animas a Deo creari, cum corpora ad functiones peragendas vitales apta sunt in materno utero. Vide de his nostrum del Giudice (*Psych.* §§. 140. 157. 176. 183. 211: *et Log.* §. 361.)

457. Hanc sententiam et nos amplectimur; sed ut eam validioribus constabiliamus momentis, opus est, ut alias in primis refutemus.

Itaque *falsa est prima opinio*, quae animam Deum, aut Dei partem asserebat. Nam 1. Deus constaret iis, quae simul destruuntur, quia esset necessarius, infinitus, aeternus, immutabilis, omniscius, uti reapse est; et simul contingens, finitus, initium habens, mutabilis, nescius, quia his potitur attributis anima humana; quod certe repugnat. 2. Deus esset errans, peccans, decipiens, aliosque defectus haberet, quia animae ab illo hos recepissent defectus. 3. Deus neque esset simplicissimum ens, si partes ipsius forent animae. Utrumque hoc posterius complexus est Tullius (*De nat. deor. l.* 1. *c.* 12.), qui hunc errorem et Pythagorae tribuens, ait, Pythagoram non vidisse *distractione humanorum animorum discerpi et lacerari Deum*; *et cum miseri animi essent* (*quod plerisque contingere*), *tum Dei partem esse miseram*; *quod fieri non potest.* Sed e converso, si anima Deus, vel Dei pars foret, 1. ipsa deberet sua vi sentiendi, quae infinita foret, omnes pervadere universi partes, minimeque proinde coarctari inter paucos materiae atomos; 2. non deberet pendere ab sui corporis organis, neque corporis mutationibus, legibusque mechanicis subjici, neque ab alio ente quomodocumque pendere; quia ens infinitum est sibi sufficientissimum; 3. deberet omne verum cognoscere, omneque amplecti bonum. Haec omnia autem experientiae cujusque adversantur (1).

(1) Hinc patet, animam humanam *non esse subjectum absolutum*, uti docuerunt Schellingius, Hegelus, Cousinus, Fichteus, aliique absolutistae, ani-

*Falsa est secunda sententia* de animabus excerptis ab anima mundana; 1. quia fictitia est haec mundana anima; 2. quia animae humanae sunt spirituales; ideoque partes esse nequeunt alterius animae, quaecumque ea sit.

*Falsa est tertia sententia*, quae tenet, animas creatas in sideribus omnes fuisse. Nam 1. nemo cognitionum habitarum in illo statu recordatur, neque in illo fuisse reminiscitur: *non commemini, antequam sum natus, me miserum*, ait Cicero (*qq. Tusc. l.* 1. *c.* 6.); *tu si meliori memoria es, velim scire, ecquid de te recordare?* 2. Nulla est adversariorum ratio illum praeexistentiae statum adstruendi. 3. Poena luenda foret ab animabus, et non a corporibus, si illae tantum peccaverint. 4. Poenam nullam comminatus Deus fuit, uti ejus exquirebat justitia, ut illae animae juste in corpora post patrata peccata detrudereutur. 5. Adami anima creata fuit, formato ejus corpore, uti patet (*Gen. c.* 2. *v.* 7.)

*Falsa est quarta sententia de metempsychosi.* 1. quia gratuita assertio est; 2. quia antecedenti commentitia opinione fulcitur; 3. quia nemo hujusce transmigrationis recordatur; 4. quia nulla poena minitata est, uti aequum erat, ut animae propter peccata transmigrarent de nobilioribus ad viliora corpora; 5. quia animae hominum in hac hypothesi in belluarum corpora etiam transmigrarent, et ideo nullum discrimen esset inter hominum et belluarum animas, neque foret homo substantiale compositum; 5. quia dogmati catholico de poenarum, praemiorumque aeternitate adversatur.

*Falsa est quinta sententia* 1. quia nequit intelligi, quomodo tot innumera corpuscula, quot extiterunt, vel extituri sunt homines, in lumbis Adae, et in ovariis Hevae potuerint contineri; 2. quia corpuscula illa adhuc apta non erant ad

ma enim, uti quisque intimo experitur sensu, assiduo motui in suis facultatibus subjicitur, mutationi in suis actibus, impotentiae in suis viribus, fallaciae in suis appetitionibus, imbecillitati in suis volitionibus, ignorantiae in suis ideis, in suis cognitionibus errori; quae omnia enti ***absoluto***, quod omnibus realitatibus donari debet, repugnant. *Sed neque emanatae a Dei substantia dici possunt animae.* Nam ipsae ante emanationem fuerunt in Deo veluti substantiae, aut non; si primum, animae extitissent a seipsis, independenter a Deo, fuissentque proinde et dii, quod destruit hypothesim emanationis; si alterum, illae fuissent aut entia, aut modi; si entia, redit prima hypothesis, quia extitissent, et quidem a Deo independentes; si *modi*, tunc animae ante emanationem fuissent modi, post emanationem vero substantiae; quod et repugnat. Nam modi a substantia separari nequeunt, absque substantia non valent existere, multoque minus fieri possunt substantiae ex sola separatione a substantia. Hoc argumentum est Galluppi (*Filos. della vol.* 4. *c.* 1. §. 6.).

vitales functiones peragendas, quod certe necessarium erat, ut animae fuissent in statu confusarum perceptionum, uti putat Wolfius; 3. quia nullus inveniri potest finis statuendi animas in illis corpusculis; 4. quia nescitur, quid in illis corpusculis tanto tempore agerent illae taciturnae animae, et cur non properarent ad finem a Deo praestitutum obtinendum; 5. quia neque certum, neque probabile est illa corpuscula existere; 6. quia polygamia licita foret, virginitas damnanda, et omnes foeminae parere cogerentur.

*Falsa demum est sexta opinio de traducianismo.* 1. quia in hac opinione anima materialis supponitur, cum anima ab anima traduci nequeat, nisi partium decisione, et separatione; 2. quia nescitur liberene, an necessario illae animae traducantur, et in utroque casu absurdum reperitur; si enim *libere* traducerentur, certe omnes conjuges haberent filios, quos cupiunt, non haberent vero, qui illicitis congressibus dant operam; si *necessario*, certe nullae forent mulieres steriles, frustraneique congressus; 3. quia si traducianismus admittatur, ut peccati originalis transfusio explicetur, consequens foret, omnia vitia et virtutes parentum traduci; quod experientiae contradicit.

458. *Animae itaque singulae a Deo creantur, atque corporibus copulantur, cum haec satis elaborata sunt ad obeundas functiones vitales.* Nam 1. certum est animas creari, quia Deus, aut Dei partes non sunt (§. 457), et quia Deus, uti videbimus, omnium est creator; sed non creatae sunt in astris in sensu platonico, neque in corpusculis organicis, neque traducuntur a parentibus in filios (§. *ibid*). Ergo creantur, cum corpora apta sunt ad obeundas functiones vitales. 2. Anima certe a corpore recedit, cum corpus adeo fractum est, ut actiones vitales nequeat amplius perficere, quia deest instrumentum, quo uti possit ad objecta externa percipienda. Ergo a pari tunc ad corpus accedit, cum has perficere corpus valet functiones. 3. Animas Deus profecto ad corpus informandum creavit, et creat, ut ita haberentur homines; sed Deus nil frustra molitur. Ergo tunc Deus eas creat, cum corpora adeo evoluta sunt, ut functiones vitales peragerent. Neque dicas, Deo indignum esse cuilibet generationi interesse; nam nulla cura est Deo, qui nullo labore omnia conservat, quique nullo etiam labore procreasset in hypothesi illorum, qui animas dudum creatas volunt.

459. Sed quonam gestationis tempore Deus animas creat? Hoc neque metaphysici, neque physici, neque Theologi audent definire. Hinc enatae sunt opiniones multiplices, quarum una tenet, corpusculum in utero materno animam recipere, cum illud ab eo utero egreditur; altera docet, animam in corpusculo creari quadragesimo die post foecundationem; haec in trigesimo, illa in vigesimo quinto; alia in vigesimo, aut in decimo, in sexto, in tertio die conceptionis; et alia in sexta hora vel tertia, aut in ipsa hora conceptionis. (Vide de his Fortunatum a Brixia. *Metaph. par.* 2. Del Gindice. *Psych. c.* 4. *qq.* 5. 6. 7. 8. 9. Storchenau *Psych. sect.* 2. *c.* 5. Mastrofini. *L'anima, e suoi stati l.* 1. *c.* 2. *art.* 1. 2. 9.)

## CAPUT QUARTUM

### DE ANIMAE SEDE

460. Anima itaque, quae spiritualis est, creatione oritur, atque a Deo in corpusculum foeti in utero matris efformatum infunditur. Verum anima in quanam humani corporis parte existit? Est in loco *circumscriptive* ens, quod locum sua replet substantia. et repellit alterum ens aeque impenetrabile, ne in eodem sistat loco. Est vero *definitive* in loco ens, quod non impedit, quominus alterum ens, licet impenetrabile, in loco sistat, in quo ipsum est. *Circumscriptive* existit in loco corpus, spiritus vero *definitive*. In quonam itaque corporis loco *anima definitive* existit?

461. Totam in toto corpore, et totam in singulis ejusdem partibus animam residere, docuit Aristoteles, quem consequuti sunt scholastici veteres, hancque opinionem recentissime videtur amplecti etiam Dmowski ( *Psych.* §. 44. ); alii modo in hac, modo in illa corporis parte eam statuunt. Nam „ Plato, Democritus in toto capite; Strato in superciliorum „ interstitio; Eristratus circa membranam cerebri, quam epi- „ cranidem vocant, quasi dicas procalvium; Herophilus in „ ventriculo cerebri, qui idem basis ejus est; Parmenides, „ Epicurus in toto pectore; Stoici ad unum, toto in corde, „ vel in cordis obversante spiritu; Diogenes in arteriaco cor- „ dis ventriculo, qui animalis, id est, spirabilis est; Empe- „ docles in sanguinis concretione; non desunt qui in involu- „ cro cordis; nonnulli in praecordiis. Recentiorum quidam „ pervadere a capite ad praecordia. Pythagoras vivificam vim

„ circa cor, rationativam autem, et intellectivam circa caput „ esse,„ ait Plutarchus (*De placit. philos. l. 4. c.* 8.). Deinde eam in *meningibus* collocavit Rosettus; in *septo lucido* Digbaeus; in *glandula pineali* Cartesius; Lancisius, Storchenau, aliique in *corpore calloso*; Mancino in *medulla oblungata*; Mastrofini in *puncto unionis* hemisphaeriorum cerebri: Bonnetus in quadam *organica machinula* intra corpus callosum sita; Hermontius ad *pylorum stomachi*. Ecquis tantam valet componere litem? Ecquis sciet, in quonam tandem loco sistat anima, quae tanquam illustris captiva caelum, terramque percurrit, semperque in se manet, manetque in loco, in quo Deus illam locavit?

462. Sed *anima non est in toto corpore*. Siquidem, 1. anima ibi sedit, ubi sentit; quia in illo loco rector est, a quo regiminis influxus ducit initium. Sed anima non sentit in toto corpore; nam secto, aut fortiter ligato nervo, nullus sensus habetur in parte, quae infra ligaturam remanet (§. 374. n. 3.). 2. Nequit intelligi quomodo ens simplex, ideoque omni extensione destitutum, et finitum possit substantia sua esse praesens omnibus corporis partibus. 3. Anima potest sentire in se, et extra se, quin in toto corpore, atque in singulis corporis partibus multiplicetur, vel diffundatur (§. 369.). Quare non immerito notat Cl. Mastrofini (*L'anima ec.* §. 350.), hanc sententiam satyram potius fuisse, quae nimias animae curas erga corpus suum carpebat, cum ipsa potius in se conversa, atque erga nobilissimum sibi praestitutum finem esse deberet.

463. Sed nonne anima agit in toto corpore? Agit quidem; sed uti rex agit in toto regno, licet sit in aliqua regni parte; uti ego alloquens alium, in alium ago, quin sim in loco, ubi ille est. Anima itaque sua actione, non vero sua substantia est in toto corpore. Neque ex eo, quod anima sentiat in manu, in pede, in scapula, inferre licet, esse in toto corpore, cum hoc ex ipsius animae vi dependeat (§. 369). Adde, quod sensum fundamentalem merito aliqui ponant (§. 365. nota), quodque proinde anima in uno residens loco sentire in aliis corporis partibus valeat (§. 368. nota).

464. *Anima est in cerebro, sed non in toto cerebro.* Esse in cerebro patet; 1. quia ibi sentit haec abscondita regina, uti quisque sibi testis est; 2. quia in capite sunt oculi, nares, aures, ac organum gustus; necnon ipse tactus, nempe viae illae, illaque instrumenta, quibus anima sentit; 3. quia ad cerebrum diriguntur omnes nervi, qui per corpus proten-

duntur, uti anatomistae et physiologi docent (§. 364); 4. quia homines ad *caput* dirigunt manus, ut indiceut actum intelligentiae; *caput* scalpunt, si memoria deficiant; dicunt *bonum caput* habere, qui magna intelligentia fruitur, et fabula fingit, ex Jovis cerebro ortum habuisse Minervam. Quare non probamus illorum opinionem, qui in corde animam ponunt, tum quia in corde nullus fere nervus est, tum quia cordis pulsationem continuo sentire deberemus, quod certe non fit. Neque te moveat, quod sine cerebro, imo sine capite vivant aliqua animalia, uti testudines; nam potest sanguis, ac humorum circulatio in ipsis perdurare, uti in homine, qui e. g manum perdidit. Et quisnam scit, si cerebrum locum mutaverit? Et quonam tempore sine cerebro caput est inventum, nisi post mortem animalis, quando nempe non amplius tempus erat de sensatiouibus dijudicandi? Et quisnam vidit, si vice cerebri aliud organum fungeretur? Non esse vero in toto cerebro constat ex eo, quod neque necesse sit, ut anima per totum diffundatur cerebrum, ut sentiat; neque intelligi possit, quomodo substantia simplex sua substantia adsit in toto cerebro.

465. Sed in quanam cerebri parte anima sedet? *Probabilius residet in illa cerebri parte, in qua duo hemisphaeria uniuntur.* Nam 1. duo oculi, duae aures, duae nares, duo supercilia, duae genae in capite sunt, duoque hemisphaeria in ipso cerebro. Ergo probabilius est anima in loco, in quo haec duo conjunguntur, alioquin non videtur ratio hujusmodi duorum. 2. Dextrum latus cum sinistro adeo respondet, ut, laeso dextro hemisphaerio, in sinistro paralysis sequatur, quod innuit nervos in puncto unionis illorum laterum connecti. Sed anima ibi sedit, ubi ministros et satellites suos, nempe nervos, habet. Igitur in illo puncto anima sedet. 3. Oculi, qui in medio capitis existunt, sunt praecipue signa intelligentiae, et hanc per oculos fere omnes ostenduut. Igitur in medio capitis, nempe in hemisphaeriorum cerebri medio, substantia intelligens sedet.

466. Quare rejicimus sententiam illorum, 1. qui in *corpore calloso* animam reponunt, quia experientia constat animam non amittere sensationes, compresso vel vitiato illo corpore, quia multi nervi sensationibus inservientes a *medulla oblungata*, *et spinali* proficiscuntur, non autem a *corpore calloso*; 2. qui eam ponunt in *glandula pineali*, et quia docti anatomici in quarto, vel in quinto mense gestationis eam in embrione invenerunt, et quia calculi in ea reperti sunt,

ipsaque petrificata visa est, quin tamen anima aliud patere- tur, et quia nullus nervus ex illa glandula protenditur.

## CAPUT QUINTUM

### DE ANIMAE CUM CORPORE COMMERCIO

467. Ast si anima spiritualis in humano corpore a Deo creata est, atque in medio cerebri sedet, in quo in corpus ipsum suas exercet actiones; quonam modo, quonam nexu, quanam unione cum corpore copulatur? Ipsa nequit per corpus vagari, neque suo arbitrio in corpus ingredi, aut corpus deserere, licet in corpus agat, atque extra corpus in corpore modo huc, modo illuc pergat. In corpore sedet quasi captiva; sed sedet voluptate sua; sed haud coacta aliqua vi externa, sedet cupiens ibi sedere; sedet contenta suo loco; sedet sentiens se, sentiens corpus suum; sedet suam sedem sentiens. Odores per nares, colores per oculos, sonos per aures, sapores per palatum et linguam, frigus et calorem per tactum sentit; sentit mutationes quascumque, quae in corpore fiunt ex externis causis, et saepe etiam ex causis internis; sentit illico, et absque temporis intervallo has mutationes; sentit et aut laetatur, aut tristatur (§. 375.). Ast ulterius progreditur. Ipsa fervore suo, suoque aestu sanguinem et fere totum corpus excitat, accendit, exstimulat; ad suum nutum movet quasdam corporis partes, quae ipsius libito in motu saepe durant, aut a motu cessant. Si aliunde quam a corpore anima tristatur, aut laetatur, corpus ipsum hebetatur, vel vegetum evadit, et in vultu statim animae tristitiae, aut maestitiae argumenta non indubia praebet. Cum navis a fluctibus commovetur, nauta turbatur; cum nauta navem movet, navis agitatur. Hoc inter animam et corpus experimur, licet arctius, quam nauta navi, anima corpori copuletur. Haec omnia cujusque docet experientia, et patet ex dictis (§. 364. et seqq.).

468. Haec certe aliquam esse connexionem animam inter et corpus demonstrant; non enim anima sua actione corpus afficeret, neque corporis evolutiones anima sectaretur, nisi inter se aliquo necterentur vinculo. Haec mutua connexio, mutuaque dependentia aut *realis* est, si anima in corpus, et corpus in animam reapse agat; aut *apparens*, si harmonice quidem agant anima, et corpus; sed altera in alterum, et alterum in alteram haud realiter operetur.

469. Ad hanc vero mutuam explicandam utriusque substantiae dependentiam plures inventae sunt hypotheses. Hae autem hypotheses, ut loco principii inservire possent (§. 239.), rationem afferre debent, cur ex mutationibus, quae ab corporeis objectis in organa sensoria fiunt, respondentes eorumdem objectorum ideae oriantur in anima, et cur ad nutum animae motus respondentes in corpore proficiscantur. Nam cum haec phaenomena continuo experiamur (§. 467.), ipsorum explicandorum ratio reddatur oportet, ut simul mutua, quam innuimus (§. 468.), dependentia, vel connexio intimius noscatur.

470. Iam vero illa, quaecumque ea sit, mira animae et corporis consensio, qua fit, ut certis in corpore motionibus certae in anima respondeant sensationes, et certis animae volitionibus certae etiam coexistant in corpore motiones, *commercium* inter animam et corpus vocitatur. Mira connexio, quae ab altiori adorandi auctoris imperio est repetenda! Quinque hac super re existunt philosophorum systemata. Reliquimus enim hic illorum opinionem, qui hanc de commercio animae et corporis quaestionem, veluti inanem, et futilem reputantes, despectui habent. Nihil moramur eorum sententiam, qui cum abb. Valperga de Caluso (*princ. phil.*), systemata explicanda nullam lucem dare posse, docent, quia de *facto primitivo* agitur, et *facta primitiva* nequeunt explicari, sicuti illae abbas putat, ut refert Bonelli.

Primum itaque est systema physici influxus, in quo ponitur, animam esse *formam* corporis, ideoque ipsam, veluti *vitale pirincipium*, in corpus agere, et corpus in animam. Aristotelici aliqui vero dixeruut entitatem quamdam ex corpore transire in animam, in eaque *spiritualem* evadere; et ex anima in corpus transfundi, et in eo reddi *materialem*; alii autem aestimarunt, animam vi sua motrice in corpore reapse mutationes, et corpus vi sua reapse in anima sensationes efficere. Primi rigidi, alii mitiores *Influxionistae* dicuntur. Primam opinionem scholastici veteres, et Iacquier inter recentes, propugnarunt; secundam vero senteutiam omnes fere recentiores philosophi defendunt. Nec desunt, qui animam quidem agere in corpus, sed non corpus in animam docuerunt; uti prae ceteris Stahlius, Moniglia, Carolus Vitalis.

Secunda opinio est Platonis, qui animam praeesse corpori opinatus est, uti nautam navi, equitem equo, nempe morali nexu inter se copulari; animam proinde suo corpore uti,

tamquam instrumento; corpusque vitam, et sensum ab anima recipere, ope mediae animae, quam *sensitivam* vocarunt Platonici.

Tertia est opinio Joannis Leclerc, qui (*in sua Bibliotheque choisie*) docuit, quoddam existere in nobis ens vivens, fictum *mediatorem plasticum* nec omnino spiritualem, nec omnino materialem, cujus ministerio motus efficiuntur in corpore ad animae nutum, et sensationes in anima corporis motuum occasione. Hanc sententiam amplexi sunt Cudworthus, et Ackermann.

Quarta opinio est illorum, qui causas occasionales defendunt, quique ponunt, nec animam in corpus, nec corpus in animam reipsa agere; sed Deum, qui semper *adsistit*, *efficaciter* motus in corpore producere *occasione* volitionum animae, sensationes vero in anima *occasione* motuum corporis. Hoc systema adinvenit Malebranchius, qui hac in re haud secutus est Cartesium, qui longe diversam forsan tenuit sententiam (§. 45. not.). *Occasionalistae* in duas divisi sunt sententias, dicti proinde aliqui *rigidissimi*, alii *rigidiores* vel *benigni* (§. 346.). Illi etiam animae vim, ideoque libertatem tollunt; isti vero animae saltem vim volendi tribuunt, atque confitentur, animae volitionem Deo occasionem praebere corpus harmonice movendi (§. *ibid.*). Hoc systema in secundo sensu acceptum secuti sunt Parà-du-Phanias, P. Frisius, Carolus Vitalis, Cordemoi, Sturmius, Gerdil, auctor Philosophiae Lugdunensis, De Martiis, Bouvier, et etiam noster Odoardus Del Giudice in altera editione suae Phil. Eclecticae.

Quinta opinio dicitur systema *harmoniae praestabilitae*, in quo corpus et anima, veluti duo automata supponuntur; nam ponit; 1. animam suas sibi ideas vi sua cudere, volitionesque efficere, nullo habito respectu ad corpus, atque statum animae antecedentem consequentis, serie numquam interrupta, rationem sufficientem continere; 2. corpus pariter viribus suis motus quoscumque efficere, etiam serie numquam interrupta, nulla habita ad animam relatione, atque rursus statum antecedentem consequentis rationem sufficientem includere; 3. Deum inter possibilia illud elegisse et praestitisse cuivis animae corpus, quod effecturum motus certae animae sensationibus, et volitionibus harmonice respondentes praevidit. Hoc systema confecit Leibnitius; sed illustrarunt quam maxime Wolfius, Wulfingerus, Thummigius. Mejerus; harmoniam vero quaesitam numquam invenere ( Vi-

de Storch: *Psych. p.* 2. *in tot. sect.* 2., Del Giudice *Psych. sect.* 2. *c.* 2, Mastrofini l. 1. c. 2. ar. 3. 4. 5.)

471. Haec ipsa opinamenta satis demonstrant, difficillimum esse animam inter et corpus commercium explicare. Homo est sibi mirabilissimum naturae objectum, et aenigma; nequit enim concipere, quid corpus sit, et multo minus quid sit spiritus, multoque etiam minus, quomodo corpus spiritui copulari possit; attamen hic est homo (Paschal. *Pensées par.* 1. *art.* 6. *n.* 26.). Verum phaenomena sectantes, effectibusque mutuae unionis adhaerentes, aliquid probabilius nos dicturos speramus. Antequam tamen nostram statuamus sententiam, prae oculis volumus teneri. non in omnibus animae, vel corporis mutationibus supponi commercium. Altera substantia in alteram agens limitibus coarctatur. Nam sanguinis circuitio, variae humoris secretiones, trauspiratio, leges, quibus regnntur organa sensoria, quaeque ex partium mechanismo exsurgunt, a libertate animae haud dependent. Neque ipsa valet suum corpus in altum attollere, neque ab effraeni ventorum, turbinum, fluminis vi illud servare. Pari modo neque dependent a corporis viribus animae simplicitas, ejusque quaecumque facultates, quae animae adhaerent. Ex quo patet, animam et corpus esse *quid unum*, licet duae sint substantiae. Sunt enim quid unum, quia amice conspirant, unumque efformant hominem, individuum unum operans, unam naturam, unamque personam. Ast duae sunt substantiae incompletae, habentes attributa quaedam unicuique propria. Quapropter nullum explicandi commercium systema probandum est, nisi hominem unam personam in duabus naturis diversis, sed conjunctis admittat, et complectatur.

472. Hisce positis, dicimus *animam reapse in corpus agere, et corpus agere in animam*, seu probabile admodum est physici influxus systema juxta *mitiores* acceptum (§. 470). Siquidem 1. hoc systema nullam praesefert repugnantiam, neque ex parte animae, neque ex parte corporis, neque ex parte phaenomenorum. Non ex parte animae, quae activa substantia est (§. 369.), ideoque agere potest, et quidem in corpus, atque objecta materialia (§. 467.); non enim est necesse, ut objecta tangat tactu physico, cum sufficiat, ut motum tantum communicet. Hoc porro non repugnat, uti non repugnat, Deum creasse, conservare, movere materiam, licet spiritus ille sit. Non ex parte corporis, quia corpus in hoc systemate non tangit animam, quod profecto pugnaret; sed dumtaxat motibus suis occasio est, cur anima objecta externa, et etiam ipsi

corpori sentiat interna, ac percipiat (§. 365), quod profecto nullam involvit pugnam. Non ex parte phaenomenorum, quia phaenomena, quae continuo experimur, potius hoc commendant systema, quia moustrant, reapse animam in corpus, et corpus in animam agere (§. 467.). 2. Hoc systemate ratio redditur, cur hominibus persuasum sit, reapse animam movere corpus, atque corpus reapse animam determinare ad suas eliciendas sensationes; discrimen adesse inter actiones pure mechanicas, et voluntarias; rationem sufficientem aliquarum in anima sensationum esse in corpore, et aliquarum corporis motionum in anima; animam simul et corpus viribus suis concurrere in actionibus, quae praemium, poenamve merentur. 3. Illa censenda est alicujus effectus causa, qua posita vel sublata, aucta vel imminuta, ipse effectus constanter ponitur vel tollitur, augetur vel imminuitur (§. 353). Hoc nec ipse negat Wolfius, qui (*Ontol.* §. 129. sch.) statuit: *quo posito, aliquid ponitur, istud ejus ratio sufficiens est.* Sed posita vel ablata, aucta vel imminuta volitione in anima, constanter in corpore ponitur, vel tollitur; augetur, vel minuitur motio, si tamen corpus sanum est (§. 372. n. 8.); et posita vel ablata, aucta vel imminuta motione in organa sensoria, si valida sunt, aliisque requisitis comitantur (§. 212.), atque anima in aliud non sit rapta (§. 370. n. 7.), ponitur vel tollitur, augetur, vel minuitur in anima sensatio; uti experientia cujusque docet. Neque hoc negat Wolfius, qui (*Psyc. rat. t.* 3. §. 538.) asserit tantam esse inter animam et corpus conspirationem, *ut si anima vi sua produceret motus voluntarios in corpore, et corpus vi sua produceret perceptiones rerum sensibilium in anima.* Ergo causa motionis in corpore est animae volitio, et causa sensationis in anima est corporis motio. Sed hoc est systema influxus physici (§. 470.). 4. Certum est animam corpori copulari strictiori nexu, quam eques equo nititur, aut civis in urbe est, aut corpus in loco, aut instrumentum in manu artificis, quia hujusmodi unio nec unum hominem constitueret (§. 471), uti non sunt unum ens eques et equus; nec actiones hominis forent humanae, sed aut corporis, aut animae, uti sunt equitis actiones equitis, et equi illae equi. Sed hic nexus strictior nequit intelligi, nisi ponatur, animam in corpus, et corpus in animam agere. 5. Si anima in corpus non ageret, atque corpus in animam; ecquid exquisita illa, et artificiosa oculorum, aurium, aliorumque sensuum conforma-

tio? Undenam tam accurata proportio inter organorum perfectionem, et idearum claritatem in anima? Haec forent mysteria in mysteriis (Storch, §. 177. 2.).

473. Neque te moveat, intelligi non posse, *quomodo* anima, quae spiritus est, agat in corpus, quod est materia. Nam aliud est nescire modum, quo utraque agat haec substantia, et aliud non agere. Illud confitemur, hoc negamus. Neque enim scimus, *quomodo* Deus agat in corpora, et tamen hoc certissimum habemus.

474. Diximus juxta *mitiores influxionistas* nos defendere hoc systema (§. 472): nam illa *entitas*, quam admiserunt *rigidiores* (§. 470.), neque intelligi potest, quia sciri nequit, *quomodo* modo *spiritualisetur*, modo *materialisetur*, neque est necessaria, quia eadem ratio est et ipsam confitendi, et physicum admittendi influxum.

475. Neque hic moramur in refutanda Platonis opinione (§. 470.). Nam gratuite prorsus asseritur illa anima *media*, et unionem aufert, quae inter animam esse debet et corpus (§. 471.), et *quomodo* anima rationalis super sensitivam ageret, intelligendum adhuc remaneret.

476. Quid autem dicemus de illo *mediatore plastico*, quem Leclerc propugnavit (§. 470.)? Ipsum est ex amphibiorum genere, atque duplicem naturam referens, seipsum interimit; nullum enim est medium inter extensam et inextensam substantiam. Si neque spiritus est, neque materia, chimaera est; si et spiritus et materia est, est contradictio.

477. *Systema vero causarum occasionalium* (§. 470.) *falsum est*. Nam 1. nititur falsa hypothesi, creaturas vi activa destitui (§. 346.). 2. In hoc systemate omnes, an aliquae animae modificationes a Deo producuntur? Si omnes, nulla foret libertas; et reddi ratio non posset, cur, destructo uno organo sensorio, non habeantur sensationes illi relativae; si aliquae, cur non hoc advertamus? cur potius experimur, nostro arbitrio volitiones ponere, ac ipsarum ope in corpus motus excitare? 3. Hoc systema omnem tollit mutuam connexionem animam inter et corpus; nulla enim connexio esset inter duo horologia, quorum unius motus occasione artifex in altero motum cieret. Quare homo non esset unum *ens*, una persona, unus operans (§. 471.); sed duo entia; ideoque hoc systema non loquitur de homine naturae, sed imaginario. 4. Indignum philosopho est ad Deum confugere, ipsumque auctorem actionum in anima, et corpore facere, cum causa potius naturalis quaerenda sit, ac ab ipsa ratio repetenda: *magna*

*stultitia est earum rerum Deos facere effectores*, *causas rerum non quaerere*, ait Tullius (*De nat. deor. l.* 1. c. 26.)

478. *Sed et systema harmoniae praestabilitae falsum est*. Siquidem 1. destruit, non explicat commercium animam inter et corpus; nulla enim connexio daretur inter duo horologia ita ab artifice affabre facta, atque praestituta, ut unius motibus alterius motus *harmonice* responderent. Duo hoc in casu essent agentes, quisque suis actibus finitus, duae substantiae et duae personae, ideoque non una persona, unumque individuum (§. 471.). 2. Ipsum ad idealismum ducit; nam corpus suos motus, cum anima non mutuo connexum, aeque evolveret, serie a Deo in ipso praestituta; et anima eadem successiva serie, eosdem exereret actus, easdemque haberet ideas, licet non copulata corpori. Unde igitur corporum, et mundi existentia probaretur? Vide Laromiguiere. (*Leçons de Philos. par*. 2. *leç*., 8.). 3. Ipsum perperam supponit, status animae et corporis sequentis rationem sufficientem in antecedenti ita contineri, ut primus rationem secundi contineat, secundus tertii, et ita deinceps; nam ut exemplo utar cl. Genuensis (*Elem. Met. p.* 3. *prop*. 27.): „ Sumat quis in manus „ lexicum aliquod linguae alicujus, catalogum plantarum, „ animantium, aut aliarum rerum, dictionaria artium, scien- „ tiarum, historiarum; intra horam percurrere potest duo „ millia verborum idearum inter se nullo modo connexarum; „ plantarum dissimilium, animantium, artium, factorum ho- „ minum illustrium. Quis in omnibus his dixerit rationem „ posterioris ideae, aut perceptionis contineri in anteriore, et „ non potius in impressionibus, in sensibus, aut in cerebro „ factis? Ex. gr. lego haec verba Aaron, Aristides, Aristippus, „ Averroes, Busiris, Bucaephalus, Binkersoek, Bulfingerus, „ Codrus, Caesar, Caesenates, Centaurus, David, Delphus, „ Dido, Dantes, etc. totidem obversantur menti perceptiones; „ est autem quisquam adeo ineptus, qui dicat rationem suf- „ ficientem notionis Aristidis esse in perceptione summi sa- „ cerdotis Aaronis, Aristippi notionis in Aristide, Averrois „ in Aristippo, Binkersoekii in Bucaephalo? ... Atqui nisi „ haec componant Leibnitiani, sciant neminem esse adeo „ incogitantem, qui haec sibi velit persuadere „. Idem dicatur de corporum motibus, quos inter aliqui sunt, qui cum antecedentibus non connectuntur, atque ab hominis arbitrio dependent. 4. Hoc systemate omnino perimitur libertas, quia actiones animae in hac hypothesi sunt adeo inter se connexae, ut una ab alia necessario descendat; pariter motus cor-

poris adeo sunt inter se copulati, ut alter ab altero continuo oriatur. 5. Quare nullum foret discrimen inter actus mechanicos, et voluntarios, omnesque corporis actiones a mechanismo proficiscerentur; hinc nullum meritum vel demeritum, nullum praemium vel poena. Non immerito proinde acerrimus hujus systematis propugnator Wolfius aliquando insimulatus fuit, se excusare milites castra deserentes, quia, admissa hac sententia, quisque miles castra deserens dicere poterat, se ad castra deserenda necessitate compelli. En ratio, cur hoc systema et ipsi placuerit Tracyo (*Traité de la volunté*, *sec. prim. ch.* 1.), qui duas series parallelas, et mutuo respondentes in actibus intellectus, et corporis motibus constabilire est conatus.

679. Rejectis itaque hisce systematibus, primum de physico influxu sequimur. Verum adhuc in tenebris versamur circa modum, quo anima, quae spiritus est, in corpus agere possit, et hoc in illam. Videtur doctis Abb. Marcus Maatrofini, qui ad suorum laborum praemium a. 1845 ad caelum, uti pie creditur, ascendit, aliquo modo rem attigisse, atque physicum influxum veluti nobilitasse. Ipse itaque in profundissimo opere *L'anima, e suoi stati* totus est, ut lucem tanto afferat mysterio. Anima, docet ipse, tribus ornatur viribus, *uniente*, *motrice*, *intellectiva*. *Vis unientis* actione anima copulatur corpori, ideoque concipienda illa est ante unionem, quae est veluti effectus. Haec *vis unientis* actio durat, usque dum stabit unio, quae sine illa esse nequit; est perennis in corpus, quin umquam transmutetur; supponit corpus efformatum, quia hoc animae copulat; sed requisitum ipsa est, ut corpus fiat vivens et animale corpus; ipsa ab anima natura sua, et non libere ponitur, quia ponitur, antequam unio fiat, ideoque antequam noscatur; est immaterialis, et quidem diversa ab attractione, et in corpus satis evolutum agit. Ast *vis motrix*, prosequitur ipse, admittenda quoque est in anima, quae hac *vi motrice* movet se, movet corpus, movet se cum corpore, movet manus, pedes, caput, oculos agitat, atque suo libito moderatur. Igitur alia est vis, quae copulat animam corpori, et alia, qua anima in corpus agit; haec illam supponit. Vi autem *intellectiva* in se collecta anima attendit, reflectit, judicat, examinat, decernit, quin in cerebro oriantur motus, iis exceptis, quos vis uniens, vel motrix producunt. Hinc commercium explicare vir cl. aestimavit. Posuit proinde duas nervorum classes, nempe illorum, qui sensationibus, et illorum, qui motibus inserviunt. *Vi uniente* anima sibi copu-

latum corpus habet, ac *vi motrice* ipsum ad motum ciet, quomodo et quando sibi lubet. *Vis motrix* vero agit in *vim unientem*, qua anima impressiones sentit, atque in corpus dominatur. Haec vidisse videntur etiam Tourneminius, et Dmowski (*Psych.* §. 49.), aliique ab auctore laudati. Solum quaeri adhuc posset, *quomodo* vis uniens animae corpus copulatum habeat, et vis motrix in corpus agat. Et hoc mysterium est !!!

## CAPUT SEXTUM

### DE IDEARUM ORIGINE

480. Quaestio de idearum origine magna contentione agitata est semper, praesertim hisce temporibus. Alteram de commercio ipsa sequitur, quia systemata circa idearum originem cum illis de commercio colligata sunt. Ager iste fertilis est, sed non ab omnibus pari amore salubres percipiendi fructus excultus. Quare et nos idearum originem perquirimus, ut ita vires nostrae animae magis cognoscantur, ac fontes, ex quibus ideas haurimus, in propatulo ponantur. Sed, quid idea sit, in primis videndum est (1).

481. Jam alias (§. 82.), ideam diximus, quidquid in mente versatur immediate post rem perceptam, atque ideam a perceptione distinximus, uti effectum a causa. Nunc clarius rem attingimus. Quod *idea* a graecis dicitur, *species*, aut *notio* a latinis dicta est; et sicut idea apud graecos, ita *species* et *notio* apud latinos exprimit id, quod *videtur*, *aspicitur*, *noscitur*. Quare reprobandum est etymon, quod de *idea* affert Daube (*Essai d'ideologie p.* 1. *ch.* 1. §. 1.), nempe ideam esse a vocibus *id est*. Communiter *idea* definitur *imago rei*; quod certe falsum est; quia nec origo vocis hoc monstrat, nec quaevis idea imaginem praesefert, imo aliqua nullam imaginem potest includere. An imaginem praeseferunt ideae universales, et ideae abstractae? An imaginem ostendunt ideae saporis, odoris, soni, frigoris, caloris? Nonne anima idearum relationes, earumque differentias intuetur et attingit? An ideae extensionem habent, uti imagines? Adde,

(1) Non desunt, qui hoc tantum caput *Ideologiam* vocant, quia *sermonem de ideis* Ideologia significat. Nos vero hoc vocabulum latiori sensu accepimus (§. 357.).

quod *idea*, si *objective* accipiatur, uti eam accipiebat Plato (§. 24), est ipsa res cognita, si *subjective* consideretur, est intuitus rei cognitae; ideoque *idea* nequit a re cognita separari, ac proinde vicaria sua imagine non indiget, ut *idea* rem exhibeat. Deinde si *idea* imago foret rei, non rem exhiberet; nam cum *ideas* rerum habemus, rerum *imagines* haberemus, non res nosceremus; quod est idealismum, et scepticismum profiteri. Itaque idea est quid aliud ab imagine. Idea, ait Mastrofini, est ultimus cogitationis terminus; seu res expressa in cogitatione; aut modus essendi cogitationis; aut modus quicumque, quem assumit anima in quovis cogitandi actu; aut modus essendi, in quem finit, seu perficitur cogitandi, sentiendi, cognoscendi actus. Hoc origo vocis indicat, hoc *idea*, hoc *species*, hoc *notio*. Arnaldus, Reid, Stewart hanc quoque de *idea* definitionem praebent, agentes contra Malebranchium, Lockium, aliosque, qui *ideam*, veluti quid medium inter objectum, et animae modificationem, acceperunt. Ceterum duplici in sensu idea accipi potest, nempe in sensu amplo, pro termino nempe cujuscumque operationis facultatum animae; aut in sensu stricto, id est pro eo, quod est terminus perceptionis. Hoc in sensu hic *ideam* accipimus, ipsamque contra Storchenaum (*Psych.* §. 206.) secuti Malebranchium, qui hac de re cum Arnaldo certavit, a perceptione cum Genuensi distinguimus. Vide Del Giudice (*Psych.* §. 397.)

482. Licet de ideis, earumque classibus in Logica loquuti simus; tamen ibi, veluti quaedam facta, ea supposuimus. Earum originem non erat ibi locus investigandi, quia nondum, quid possit anima suis praedita facultatibus, atque suo copulata corpori, noscebatur. Sed modo, his examinatis in prima hujus partis Ideologiae sectione, et etiam in sequenti, in hac salebrosa materia tutiori gressu incedere valemus.

483. Itaque non una fuit, neque est, circa idearum nostrarum originem philosophorum opinio. Omnes tamen sententiae in duas veluti classes dispesci possunt, nempe in eam, quae omnes ideas acquisitas tenet; et in eam, quae omnes, aut aliquas ideas innatas profitetur.

484. In prima classe reponimus 1. Indos philosophos, qui philosophiae *sankhyae*, quam professi sunt Ischarwackas, nomen dederunt (§. 13.); 2. Democritum, Epicurum, Lucretium, qui sibi persuaserunt, a rebus corporeis quasdam minutissimas superficies, species, idola, simulacra perpetuo avolare, sensuum organa subire, deferri ad cerebrum, ibique sisti, easque esse unicas rerum ideas; 3. Aristotelem, ejusque

sectatores, qui duos statuerunt intellectus, scilicet *agentem*, qui *species impressas*, hoc est, quae emittuntur a corporibus in sensibus, et dein in cerebro recipit, atque spirituales, seu *expressas* reddit; et *patientem*, qui hujusmodi *expressas species* active percipit, et intelligit; 4. Lockium, qui hanc Aristotelicam doctrinam nova forma vestiens, docuit animam a manibus Conditoris omnibus ideis, veluti tabulam rasam, destitutam prodire, atque eas ope sensuum, ac reflexionis, adipisci; 5. Condillachum, Helvetium, Tracyum, Cabanisium, et alios *sensistas*, et materialistas, qui aut *sensationem transformari* in omnes animae facultates, aut in actione, et reactione cerebri partium consistere, aut animam non esse spiritualem, dixerunt.

485. In altera classe autem statuimus 1. Indos philosophos, qui philosophiam *Vedanta* coluere ( §. 15. ); 2. Platonem, qui opinatus est animas in sideribus creatas a Deo recepisse rerum ideas, quas discendo continuo et sensim refodimus, et reminiscimur (§. 456.); 3. Pythagoram, ejusque sequaces, qui aliquo modo cum Platone sentiebant ( §. *ibid.* ); 4. Cartesium qui ideas in adventitias, factitias, et innatas divisit; hasque dari autumavit, licet non desint, qui eum alio modo explicant, uti Storchenau (*Psych.* §. 214. *sch.*) et Laromiguiere ( *Leç*. 8. p. 2. ); 5. Malebranchium, qui statuit, mentem humanam cum Deo arctius adstringi, quam cum corpore, atque proinde unico intuitu ideas omnes in Deo videre; 6. Leibnitium, qui animas dixit a primo existentiae momento ornatas idea totius universi, quam *mappam cosmographicam* vocavit; 7. Purchotium, Iaquelotum, Guyonum, Henricum Morum, Bossuetum, Fenelonium, Aguessau, Bouvier, aliosque qui unam, aut alteram ideam innatam dixerunt; 8. Condillachum, qui licet nullam ideam innatam supponat in homine, uti modo est, tamen ( *Orig. des connoiss. hum. ch.* 1. §. 8. ) in anima ante peccatum, et quidem antequam sensus adhiberet, ideas reposuit: Antonium Pezzi, qui (*t*. 2. §. 364.) veluti probabilem credidit de innatis ideis opinionem; Kantium, quem cum Lockio conciliare irrito conatu aggressus est Cousinus (*Cours d'hist. leç.* 18.), quique *formas* et *categorias a priori* admittens, videtur quoque eas innatas adprobasse; Rosminium, qui in opere ( *Nuovo saggio sull'origine delle idee* ) refellit in duobus voluminibus Lockianos et Platonicos, atque in tertio totus est ad statuendam ideam *entis* ingenitam; Fichteum, qui ab *ego* puro deducit omnes cognitiones; Schellingium, qui asserit, nos evehi intellectuali qua-

dam intuitione ad perceptionem *absoluti*, atque ex eo omnia intelligere; Hegelum, qui ab *Idea* confusa cum realitate tum Ens absolutum, et infinitum, tum ceteras res deducere est conatus; Cousinum, qui ponens in quodam actu *spontaneo* antevertente liberam reflexionem tria veluti nostrarum idearum elementa, subjectum nempe cogitans, mundum, et Deum ex quadam revelatione rationis impersonalis manifestante se nobis per spontaneitatem explicare studuit idearum originem. Videantur istorum systemata in Historia Philosophiae.

486. Verum quaenam est nostra sententia? Lockianam sententiam amplectimur (§. 484. n. 4.), absurda alia systemata, quaecumque ea sint, aestimantes. Quare *anima humana ideas vi sibi ingenita efformat. aliquas quidem sensibilitatis ministerio, alias vero ope aliarum facultatum* (1). Nam omnes ideae aut sunt rerum sensibilium, et ope sensibilitatis (§. 365.) anima sibi eas cudit; aut rerum simplicium, abstractarum, universalium, et aliarum facultatum auxilio illas efformat.

Primum quidem; etenim 1. nemo unus est, qui ideam alicujus rei sensibilis, et materialis habet, si sensorio organo destituatur, quo anima habere valeat sensationem illi ideae respondentem. Sic nullus a nativitate caecus colorum, surdus sonorum ideam habet. Igitur ope sensibilitatis hujusmodi ideas humana acquirit anima. 2. Experientia quotidiana docet, homines, cum primum lucem conspiciant, constanter exordiri ab acquirendis ideis objectorum materialium; majorem idearum numerum eos habere, qui pluribus sensibus uti pos-

(1) Sed quoniam non desunt, qui putant, Lockium duos tantum fontes omnium idearum generales posuisse, nempe *sensationem* et *reflexionem*; cave credas, nos hoc in sensu Lockium sequi. In hac enim Lockiana sententia 1. nos eas tantum ideas haberemus, quas ope *sensationis* acquirimus; *attentio* enim, et *meditatio*, in quibus videtur Lockius posuisse *reflexionem*, non novas ideas cudunt, neque altiores mentis conceptus evolvunt, sed tantum clariores, distinctioresque reddunt ideas per sensationem habitas; proindeque non haberemus ideas objectorum, quae sensibus non subduntur, uti sunt ideae justitiae, veritatis, rerum universalium, et abstractarum. 2. Neque haberemus veram ideam *substantiae*, quam Lockius ponit in qualitatum congerie (§. 501, nota); *infiniti*, quam dixit emergere ex additamento finitorum (§ 335. n. 3.) *causae*, quam posuit in successione unius ab alio, ablata sic interna consecutione. 3. Via aperta relinqueretur Condillachiano systemati de *transformata sensatione*, quod Condillachus videtur arripuisse ex Lockio, qui, *reflexionem* ponens in reditu animi super sensationem (§. 379. ), aliis verbis *reflexionem* transformatam sensationem constabilivit. En ratio, cur propositionem generalibus statuerimus verbis.

sunt; clariores eorum esse ideas, qui sensibus aut saltem instrumentis perfectioribus utuntur. Hoc phaenomenon vero explicari non posset, nisi anima sua sensibilitate eas adipisceretur (1). 3. Anima corpori copulatur, atque physice et reapse in corpus operatur, uti corpus agit in animam, aut vi uniente, aut alio modo ( §. 472.). Ergo mediante actione sua, impressiones ab externis objectis in organa sensoria factas advertens, sentire potest eas, ideasque cudit (2). 4. Nisi ope sensibilitatis anima aliquas acquireret ideas, eccur Deus eam corpori copulavit affabre facto, atque sensibus exquisitissimis ornato? Ecquid oculis non audimus, non videmus auribus? Anima itaque in ideis rerum corporearum sibi efformandis, sibi monstrat sensibilitate sua id, quod intuetur, pervadit, percipit, sicque ideas efformat; veluti pictor, qui, adstante sibi Alexandri imagine ab alio pictore efformata, Alexandri imaginem pingit; ac veluti vas, quod formam donat liquidae cerae in ipsum immissae. Comparationes sunt istae, et non debent ulterius urgeri.

*Sed anima alias ideas, quas habet, vel habere potest, ope aliarum facultatum acquirit.* Nam 1. activa substantia est anima nostra ( §. 358. ), vique donatur, qua valeat ex ideis sensibilitatis ope acquisitis ad alias assurgere, attendendo ( §. 376. ), reflectendo ( §. 378. ), ratiocinando, ( §. 386. ) et etiam imaginando (§. 394.). 2. Experientia docemur, puerum haud intelligere, quae sensus superant, atque tunc demum ea attingere, cum attentione, reflexione, aut alia sciat uti facultate. *Observa quid dicat puer, quid mente versat, quid cupiat*, ait noster Del Giudice ( *Psych.* §. 465. ). *Nonne sensibilia? Insensibilia, abstracta, universalia ipsum doce; ne verba quidem attendet, forte etiam irascetur. Sed insta, sensibiles imagines adhibe, utere domesticis, obviisque exemplis, ac demum, ut circa res sensibiles reflectat, ab iis abstrahat, alia ex aliis deducat; proficit jam puer; jam ideas abstractas atque universales sibi cudit, tandemque a seipso omnia haec praestabit.* 3. Deus procul dubio substantiam cogitantem creavit animam, quam proinde dona-

(1) Neque porro est eredendum, alio modo infantes, alio modo nos rerum ideas acquirere; nisi quod illi successive, nos vero saepe simultanee habeamus; idem enim species spiritus est, eadem objecta.

(2) Est tamen advertendum, nostrum de idearum origine systema defendi posse, quin admittatur physicus influxus; potest enim concipi, ideas, imo et sensationes produci a Deo in anima *occasione* impressionum ex objectis externis factarum, ut voluit Melebranchius.

vit potentia cudendi sibi ideas. Siquidem ad hoc, ut anima foret substantia cogitans, non erat necesse, ut ideas haberet; uti non est necesse ad hoc, ut lux potentiam exprimendi objecta habeat, objecta reapse existere. Verum nonne frustra Deus hujusmodi potentiam cudendi sibi ideas animae fuisset largitus, nisi anima valeret illam adhibere, ejusque adjutorio ideas acquirere? 4. Si ideas aliquas, quas tamen ope sensibilitatis anima nequit efformare, quia objectum corporeum non habent, anima ipsa aliarum facultatum auxilio non efformaret; quare aliam non discernit originem, aut causam? Nonne continuo illusa foret, istiusque illusionis Deus auctor existeret? 5. Sed quaenam sunt ideae, quae per animae facultates explicari nequeunt? Non hic de ideis universalibus loquimur, quarum efformandarum rationem indicavimus (§. 103.). Ideam Dei ex contingentis idea ( §. 308. n. 16. ) anima sibi cudit, uti videbimus in tertia hujus Ideologiae parte. Attentione, reflexione, intellectu, ratiocinio, efformat sibi anima ideas spirituum, axiomatum, unitatis, virtutum, vitiorum, uti instituta analysi constaret. Idem dic de existentia, essentia, possibili, ente, causa, effectu, genere, specie, ac corporum qualitatibus ( Vide Storch. *Psych.* §. 226. *sch.*, Mastrofini *l.* 2. *c.* 3. *ar.* 8. 9., et Mancino *vol.* 1. *sez.* 2. *c.* 3. *et* 4. ). Quare generatim loquendo, ideae sunt veluti fructus facultatum humanae animae. Fructus vero supponunt plantam, potentiam in planta, viresque, quibus illos producit. Ad quid hujusmodi vires nisi fructus planta produceret? Ad quid anima foret cogitandi potentia, nisi haec ideas progigneret?

487. Hinc merito cl. Salvator Mancino ( *Elem. di Fil. vol.* 1. §. 124. 125.) advertit, criticam justo severiorem factam fuisse contra scholam sensationis, quasi hujus doctrinae materialismum, aut quid illusorium continerent. An ex eo quod anima sensationes ope sensuum habeat, desinit esse spiritualis? Ipsa activa est in ipsa sensatione (§. 369: ); neque sentire valet, nisi substantia spiritualis (§. 430. ). An odorem, saporem habere debent ideae objectorum materialium, quia per sensus habentur, uti jocose Lockio et Condillacho opponitur? Ideae sunt cogitationum termini, quos anima sibi producit (§. 481. ). Neque dicas, Lockium dubitasse, an materiae possit Deus cogitationem largiri; et Condillachum facultates animae sensationem *transformatam* vocasse. Nam ecquis damnabit Copernicum, et Keplerum, qui ea non viderunt, quae postea Newtonus, et La Place attigerunt? Qui aliquam scientiam per rectum dirigunt iter, non semper sunt adeo felices, ut

omnes illius sententiae veritates intueantur. Neque demum te moveat, Tracyum, Cabanisium, aliosque Lockianae doctrinae sectatores in materialismum incidisse. Nam nullum est systema, nullaque veritas, qua hominum malitia abuti nequeat. Errores refutandi sunt, veritas amplectenda ( V. Storch. *Psych.* §. 217. *sch.* ).

688. Quare aliquo sub respectu dici potest *nihil esse in intellectu, quod prius non fuit in sensibus*. atque omnes ideas a sensibus derivari. Namque anima primum ideas rerum corporearum ope sensuum sibi creat; hisce dein imbuta activitate sua per facultates explosa, uti vidimus in prima sectione hujus Ideologiae partis, alias ideas sibi efformat. Adde. Facultates animae nostrae concrete sumptae suut in anima corpori copulata, atque se invicem adjuvant; et earum evolutio, et usus a recta corporis nostri dispositione plurimum dependet, saltem uti a conditione ( §. 372. ).

689. Hoc tamen ita intelligendum est, tum de sensibus externis, cum interno. Nam aliquas veritates per sensum intimum nos acquirere, jam alias vidimus ( §. 194. ). Undenam revera de nostra certi sumus existentia? Profecto ex intimo cujusque sensu, qui hac in re non fallitur, quia negatione, vel dubitatione eadem veritas etiam adstrueretur. Hinc lepide et ingeniose Augustinus ( *Civ. Dei. l.* 2. *c.* 26. ) Academicos perstringit:,, sine ulla phantasiarum, vel phantasmatum ima-,, ginatione ludificatoria, mihi *esse me*, idque *nosse* et *ama-*,, *re* certissimum est. Nulla in his verbis academicorum ar-,, gumenta formido, dicentium: quid si falleris? Si enim fal-,, lor, sum. Nam qui non est, utique nec falli potest,,. Idem dic de aliis nostrae animae statibus, quos intimo sensu experitur, capit, intuetur anima.

690. Verum hoc non impedit, quominus dicatur, omnes omnino ideas ab anima vi sua cudi; ipsa enim sentit, attendit, reflectit, intelligit, ratiocinatur, imaginatur, reminiscitur; ipsa, impressionibus in organa sensoria factis, atque ad cerebrum delatis, intuetur, percipit, capit; ipsa semper operatur, cum ideas sibi exprimit. Sic lites compositae videntur.

691. Quapropter ludunt in re seria, qui dicunt, animam non posse sibi efformare ideas, quia eas educeret ex nihilo, ideoque crearet, quod substantiae finitae contradicit (§. 355. 12.). Siquidem creatio est actio, qua aliqua substantia educitur ex nihilo sui, et subjecti (§. 334.): anima vero tantum modum essendi novum assumit, ac tantum intelli-

git terminum suae cogitationis, cum dicitur ideam sibi efformare (§. 681.). Anima itaque non educit aliquid e nihilo.

692. Hinc veluti absurda rejicimus omnia alia de idearum origine systemata. Primam Indorum sententiam, et quintam Tracyii, et Cabanisii (§. 684). convulsimus (§. 430.), uti refutavimus illam Condillachi (§. 369) (1). Igitur Democriti et Aristotelis opinamenta remanent confutanda, ut tota absolvatur classis illorum, qui omnes ideas acquisitas dicunt. Sed quisnam absurda Democriti deglutiat? Si ideae sunt corporeae superficies, imo substantiales species; eccur in dies non minuuntur corpora? Eccur res a nobis dissitas quoque nos concipimus? Eccur ideas quoque efformamus eorum, quae nullam habent superficiem? Quomodo spiritualis foret anima humana? *Tota res nugatoria est*, inquit Tullius, qui Democritum, Epicurum, Lucretium in Velleji persona impugnat (*De nat. deor. l.* 1. *c.* 36.). Quid vero dicimus de *intellectu agente*, et *patiente* Aristotelico, de quo alias loquuti sumus (§. 382.)? Cognoscitne ille agens intellectus? Si cognoscit, ad quid *patiens*? Si non cognoscit, quomodo intellectum vocabis? Vide Del Giudice (*Psych.* §§. 642. 643. 660. 662.)

693. Sed nunc est tempus, ut aliquid de ideis innatis dicamus (§. 685). Non hic de vario idearum innatarum sensu solliciti sumus. Vide Storchenaum (*Psych.* §. 311. *sch.* 312. *sch.*); nos enim ideas innatas eas dicimus, quas Deus in anima, in hujus ortu, imprimit. Platonis et Pythagorae opinio ex iis refellitur, quae diximus supra (§. 657.). Alii vero, qui-

(1) Quoniam materialismus praecipue *sensatione transformata* nititur; ideo systema *sensationis transformatae*, saepe a nobis rejectum, directe refutemus necesse est. Itaque *absurda est hypothesis Condillachiana de transformata sensatione*. Nam 1. in hac hypothesi homo a belluis vix aut ne vix quidem discriminaretur, quia positis facultatibus animae in sensibilitate multimodis variata, homo foret animal persentiens, praetereaque nihil, uti cetera animantia. 2. Nequit autem intelligi, sensationem in alias transformari facultates, quin anima aliqua vi donetur propria, qua hanc sensationem in alias transformet facultates. 3. Nequiret intelligi in hac sententia, quomodo attentio haberetur ad res immateriales, quin aliqua impressio facta esset in organa sensoria, et quomodo intellectus haberet in aliquibus judiciis, et ratiociniis ideam generalem, et ideam relationis, quae tamen in sensatione locum non habent. 4. In hac sententia tota nostra cognitio in ambitu contineretur objectorum, quae sensibus objiciuntur, aut ab illis educi possent, quod experientiae opponitur docenti, nos ideas habere rerum immaterialium, universalium, atque necessitatem involventium. 5. Saepe voluntas, et ratio humana adversantur sensationi, quam pro libito sibi subjiciunt, atque repellunt; quod probat, eas a sensatione differri (§. 417.). Vide Degerando (*Hist. Comp. p.* 2. *c.* 12.), et Cousin (*filos. trad. ed esam. da Galluppi Prefaz.*).

cumque sint, qui ideas innatas propugnant, rejecti, et refutati sunt ex iis, quae paulo ante evolvimus de via, per quam anima incedit, ut ideas sibi efformet. Ad quid enim ideae innatae, si anima vi sua omnes valeat conficere? Sed alia sunt momenta, quibus innatae ideae impugnantur. Nam 1. dicant, quaeso, istarum idearum fautores, qua demum de causa fit, ut nesciamus, cujusmodi naturae sint hae ideae? Si ipsae innatae sunt, animae praesentes esse semper deberent, ne dicantur frustra datae. Quare itaque de earum praesentia nullum habemus sensum? 2. Sed quaenam necessitas ideas innatas admittendi? Quinam earum usus? Quinam Dei finis? Si anima cogitans esse possit, quin innatarum idearum dovitie potiatur; si anima vi sua illas, quae sibi corpori copulatae necessariae, aut utiles esse possint, ideas valeat acquirere; nulla profecto videtur eas admittendi necessitas. 3. Non credimus aliquem extitisse, qui omnes ideas dixerit innatas, si excipiantur, qui frustraneum, et absurdum praeexistentiae statum admiserunt (§. 456.). Verum quare aliquae innatae sunt, non omnes? Omnium una est ratio; quia anima aut nullas, aut omnes potest sibi cudere; omnes, aut nullae sunt substantiae cogitanti necessariae; omnes, aut nullas imprimendi fine est Deus illectus. 4. Idea non est certe quiddam inutile pondus in anima existens; sed est notitia, quam de illius ideae objecto anima habet. Porro quomodo objectum ideae anima sciret, ideam continens? Si tu scribae vocabulum dictabis, cujus objectum ille nescit, sonum ille quidem audiet, notitiam objecti non habebit. Undenam anima objectum suae innatae ideae noscet? 5. Certe non recordamur, quaenam sint animabus nostris ideae impressae. Quanam igitur ratione anima earum recordatur, ut praestituto usui inservire possint? Attentione fortasse diceres. Sed a quonam attentio determinatur? Non ab una idea innata, quia omnibus aequa foret potestas; non a cerebri motione, quia haec motio animam etiam ad objectum percipiendum posset determinare; non ab animae activitate, et quia est ipsa attentio, et quia hac activitate illas ideas anima posset efformare. 6. Necessitas admittendi ideas innatas est aut ex parte animae, aut ex parte Dei; nulla autem est ex parte animae, quae cogitans esse potest, et vi sua ideas valet cudere, quin innatas habeat; nulla ex parte Dei, quia hujus necessitatis ratio in anima inveniri deberet, et tamen in anima non invenitur. 7. Hic quaerimus de origine idearum. Sed qui innatas admittit, difficultatem non solvit; non enim proprie monstrat, quomodo

anima objecta percipiat. Neque hic dices, Adamum ideas habuisse innatas. Nam Adamus adultus fuit e nihilo eductus, ideasque illi statui convenientes proinde accepit; providentiae enim divinae ordo postulabat, ut omnia apta, et consona essent. Hoc vero haud dicendum de homine, uti modo nascitur, qui sensim ideas acquirit, quae statui suo utiles, vel necessariae esse possent.

494. Hinc ruunt illae Malebranchianae visiones, mappaeque Leibnitianae (§. 485. n. 5. et 6.). Quomodo Malebranchius in Deo videt, si Deus, qui infinitus est, videri nequeat ab anima, quae est finita, vi sua naturali? Miracula requirerentur; sed hic de naturali idearum origine loquimur. Deinde ecquis sibi dicere posset, reapse essentiam Dei vel parum videre? Circumdati quidem sumus rebus, quae ad Deum nos ducunt. Sed hoc non est Deum, aut essentiam Dei videre. Insuper si animae nostrae heic Deum videant; eccur tanta absurda de Deo cogitata sunt? Eccur aliqui Deum, uti est, ignorant? Eccur tantae in nobis ideae chimaericae, erroneae, monstruosae, noxiae, ridiculae, falsae? Eccur variae ipsae sunt, prout varia est cujusque educatio, sensuum structura, indoles, aetas, sexus, aliaque hujusmodi? Sed vide Storch. (*Psych.* §. 208. *et seqq.*), et del Giudice (*Psych.* §. 427. *et seqq.*). De *mappa geographica* Leibnitiana vide Del Giudice (§. 403.), nam, ablato ejus systemate (§. 457.), tota illa *mappa* ruit. Adde, quod hoc *mappae* systema in purum ducat idealismum. Si enim ex Leibnitio evolutio internae vis animae reddat ideam totius universi distinctam profecto, nulla necessitas adest admittendi communicationem animam inter et mundum adspectabilem. Hinc ruunt etiam systemata Kantii, Rosminii, Fichtei, Schellingii, Hegeli, Cousini. Et in primis *falsa est Kantii opinio* (§. 67). Nam 1. ipse exorditur ab experientia, quam suo methodo *a priori* migrare debuisset; et licet hoc hypothesis loco faciat, tamen sufficit, ut dicatur in contradictionem incidisse. 2. In progressu systematis hanc hypothesim rejiciens, implicite rejecit suum systema hac hypothesi innixum 3. Nimis copiosa est, et redundans partitio suarum cateoriarum. 4. In Kantii systemate conscientia cum sensibilitate confunditur 5. ad *sensibilitatem* ipse refert intuitionem spatii, et temporis, quae videtur potius intellectui tribuenda. 6. Rationi autem concedit, quae etiam ad intellectum referuntur. 7. Illae suae subjectivae formae ex observatione objectorum elici possunt, uti vidimus de spatio (§. 333.), de tempore (§. 330.), de causa (§. 341.), de substantia

(§. 305.). 8. In Kantii systemate tota aufertur certitudo objectiva rerum omnium, imo ipsius principii cogitantis, quae non amplius res reales sunt, sed phaenomena. 9. Cum Kantii categoriae minime ab experientia colligantur, nulla subest ratio dicendi, naturam hisce regi categoriis. 10. Ex Kantio categoriae continent principia cujusvis experientiae in genere; categoriae vero ex ipso sunt formae subjectivae; ergo cognitiones nostrae, quae omnes a categoriis derivantur juxta ipsum, sunt etiam subjectivae, ideoque nullius objecti cognitionem habemus, quod est scepticismum profiteri. 11. Cum juxta Kantium ex adplicatione categoriarum rebus habitis ex sensatione mundum sensibilem concludimus; mundus procul dubio a nobis creatur, atque existit, uti concipitur, tantum respectu nostri, quod absurdum, et impium est. Vide Galluppi (*lett.* 8.), et Alphonsum Testa (*Critica della ragion pura di Kant esaminata e discussa*). *Falsa est opinio Rosminii.* Nam 1. animus in Rosminiano systemate adplicat ingenitam *entis* ideam objectis sensuum, et conscientiae, sicque ipsorum sibi efformat ideas; sed illa adplicatio ideae *entis* non est necessaria, quia fieri nequit, quin prius animus illorum objectorum ideas habeat; imo est inutilis, quia potest animus sibi ideam *entis* cudere, uti cudit ideas objectorum, quibus adplicanda est illa idea. 2. Animus noster primum in idea singulari, et concreta versatur, ex qua porro abstractionis ope ideam generalem entis sibi cudit (§. 103.); ideoque non indiget idea *entis* ad ideam sibi efformandam objecti singularis. 3. Tota ratio admittendi ideam *Entis* ingenitam repetitur ex eo, quod nequeat ipsa haberi per sensus externos, aut per sensum intimum, aut per Deum eam nobis creantem, aut per emanationem ipsius ideae ab humana naturali idea; sed nulla est ratio, quare haec idea *entis* nequeat oriri ex activitate mentis nostrae, quae sic disposita est, ut occasione sensationis sibi eam producat. 4. Hoc systema omne cognitionis nostrae fundamentum videtur labefactare, atque *idealismo*, imo, ut vult Testa, *ultra idealismo* viam sternere; cum ideo mens nostra assereret res externas, quia inclinatur adplicare ipsis ideam *entis*, et non quia extantes conspiceret; et cum *ens* Rosminianum sit merum *nihil*, quia non est neque quid extra mentem, neque quid in se existens, sed quid abstractum, generalissimum, communissimum, indeterminatum, incompletum, initiale, uti illud descripsit Rosminius. 5. *Enti* suo Rosminius tribuit infinitatem, necessitatem, immutabilitatem, aeternitatem, sed haec sunt Dei attributa; ergo

Deus esset *Ens* abstractum, quod impium est, nec Rosminius probat. 6. Quoniam ex Rosminio *Ens initiale* a mente *absolvitur*, *et completur* in existente; ideo ipse Deus esset a mente efformatus; quod est Fichtei pantheismus. 7. Haec opinio videtur instaurare judicia *synthetica a priori* probata a Kantio (§. 124). uti notat Galluppi (*Lett. 4.*); quia non experientia mens nostra subjecto praedicatum adplicaret, sed ex subjectivs idea *entis*; ideoque diceret, *objectum aliquod existere*, quia ideam *entis* subjectivam adplicaret sensationi, non quia in objecto detegeret existentiam. 8. Demum incertum est, quid sub nomine ideae *Entis* intellexerit Rosminius, cum saepe notionem existentiae, saepe possibilem quamdam realitatem illa idea videatur ostendere. Vide Matth. Liberatore (*Ideol.* §. 68.), et Alphonsum Testa (*Il Nuovo Saggio di Rosmini esaminato dall' Ab. Alfonso Testa cap. 4.*), et Vincentium Gioberti (*Errori filos. di Ant. Rosmini*).

*Falsa est opinio Fichtei.* Siquidem 1. ipse sui systematis vacuum saepe praesentiens, bis et ter correxit. 2. quia actio, seu abstractio, qua *ego purum* creat subjectum, et objectum absque praesuppositis objecto, et subjecto nequit haberi. 3. Neque potest supponi actio volendi, quae tribuitur *ego* puro, sine objecto, in quod tendat; qui enim vult, profecto aliquid vult. 4. Neque intelligi potest, quomodo *ego* cujusque, quod certe defectibus circumdatur, possit esse activitas infinita. 5. Supponitur vero, sed non probatur in hoc systemate, *ego purum* largiri existentiam rebus, quae sunt extra ipsum; ab illo has omnes mutuare omnem realitatem; imo bas omnes esse modos ipsius *ego*. 6. Idealismus absolutus in hac admittitur opinione, quia *ego purum* creat, quidquid existit. 7. Ad pantheismum subjectivum ducit haec sententia, quia Deus cum subjecto cogitante confunditur. 8. Imo hoc systema Fichtei, quod poema melius diceres, ad scepticismum, imo *nihilismum* ducit, cum *ego purum* constituatur unica realitas omnium effectrix, ipseque spiritus negetur: *ego ipse non sum*. ajebat Fichteus. Vide Tennemann, Liberatore, Maret (*Teodicea lez.* 17.).

*Falsa est opinio Schellingii.* Nam 1. nullo conscientiae testimonio, quo uno, quae in nobis fiunt, possumus detegere, nititur illa schellingiana intellectualis intuitio. 2. Notio infiniti, quam cum Deo confundit, est in hac opinione tantum abstractio mentis, quae proinde realis esse nequit. 3. Nobis à rebus ad Deum, et non a Deo ad res creatas philosophandi vis data est. 4. Cum in hoc systemate una habeatur *Identitas*

*absoluta*, turpissimus pantheismus in ipso instauratur. 5. Tantum abest, ut haec opinio cum veritate cohaereat, ut ipse Schellingius post silentium viginti annorum illam refecerit, principiaque alias asserta refutaverit. Vide Maret (*Teod. lez.* 18).

*Falsa est opinio Hegeli.* Quandoquidem 1. monstruosa quadam ratione ordinem idealem cum reali confundit. 2. Vocibus usus est arbitrariis, obscurissimis, durissimis. 3. Errores Fichtei, et Schellingii in se uno coacervavit. 4. Supponit *Ideam* sine objecto, hocque producentem, cum potius objectum ideam producat. 5. Ens conceptum in mente, quod proinde est omnino *ideale*, reddit *reale*. 6. Reale cum ideali, ideamque cum realitate confundens, *absolutum* in sensu pantheistarum confecit. 7. *Idea* sensu Hegeli est pura abstractio, ideoque mundum abstractum, et non reale valet producere. 8. In *nihilismum* ducit haec sententia, cum ab *idea* neque natura, neque spiritus, neque aliquid aliud reale possit derivari.

*Falsa est sententia Cousini.* Nam 1. quia chimaera est illa ratio impersonalis; ratio enim non universalis est (§ 385), sed cuique propria. 2. Quia non explicat, unde sit ille primus *actus spontaneus*. 3. Quia omnes nostras perceptiones, quas ex illo actu spontaneo, et caeco derivat Cousinus, caecas reddit, et non evidentes, cum induere debeant naturam principii; sicque humanae cognitionis evidentiam labefactat. 4. Quia notio *Infiniti* ratiocinio habetur in mente innixo contingentibus, licet ordine reali praecedat principium cogitans, et mundum; ideoque ille actus *spontaneus* nequit elementa subjecti cogitantis, mundi, et Dei habere. Vide Rosminium (*Nuovo Sag. vol.* 4. *p.* 5. *sez.* 7. *c.* 3. *a.* 2.) (1).

## CAPUT SEPTIMUM

### DE ANIMÆ HUMANÆ LIBERTATE

495. Statuta animae activitate quoad facultatem cognoscendi, ipsa quoque statuenda est circa volendi facultatem (§. 359.). Itaque de animae humanae libertate hic disseremus,

(1) Coronidis loco hic animadvertimus, nos convenire cum sensistis, nullam esse ideam ingenitam; cum Rationalistis vero sive Platonicis, sive Absolutistis, innatas esse in nobis potentias cudendi ideas. Sic accepta de idearum origine doctrina, falsus videtur Lockius, cum animam posuerit *tabulam rasam*; substantia enim actuosa est, activisque facultatibus donata.

qua nil nobilius in homine inveniri potest. Hostes plurimi sunt, iique acerrimi. Rem proinde sedulitate, quae haberi potest, majori pertractabimus. Ut vero hoc conficiamus, aliqua praemittenda putamus de voluptate et dulore, de bono et malo, de appetitione et aversione, quae non parum lucis rei disputandae afferre possunt.

496. Licet voluptas, et dolor sint veluti magni nostrarum actionum motores; attamen non omnes eodem sensu eos acceperunt. Quidam de una voluptate, et dolore physico, alii vero de morali, aut intellectuali locuti sunt; aliqui de effectibus, alii de causis voluptatis, et doloris, cum haec definirent, disseruerunt. Voluptas et dolor sunt affectiones animae, quas facilius est experiri, quam definire. Ast, instituta analysi, voluptatem perfectionem, dolorem vero imperfectionem supponere reperimus. Voluptate enim perfunditur, qui iis utitur, quae corpori suo nunc congruunt, quive aliqua adornatur scientia, aut virtute decoratur egregia. E contra dolore afficitur, tum qui igne manu aduritur, tum qui, se aliqua nescire, cognoscit, quae scire deberet, et qui conviciis ab aliis se lacessitum intelligit. Perfectio, uti vides, est in iis, quae *voluptatem* creant; imperfectio vero in iis, quae *dolore* nos afficiunt. Quare *voluptas* est affectio, quae perfectionem continet, vel continere videtur in subjecto animato, quod proinde illi adhaeret, illamque nollet relinquere; dolor vero est affectio, quae imperfectionem supponit, vel includit in subjecto animato, quod ab ea renititur, illaque vellet carere. *Voluptas* triplex est, nempe *physica*, quae est quaedam sensatio alliciens, demulcens, titillans, quae oritur ex motione corporis fibrillis congrua; *intellectualis*, quae reponitur in illo statu, ex quo anima egredi nollet, et in quem rapitur, coguita alicujus rei perfectione; *moralis* vero, quae est ille status, in quo anima post aliquem virtutis actum versatur. Gratus odor *physicam*, veritas detecta *intellectualem*, beneficentiae actus *moralem* gignit voluptatem. Dolor etiam triplex est, nempe *physicus*, qui est sensatio lacerans, discerpens, pungens, orta ex turbata corporis fibrillarum commotione; *intellectualis* est ille status, ex quo anima vellet exire, cognita rei alicujus imperfectione; *moralis* demum est ille status, in quo anima veluti oppressa jacet, cognito alicujus vitii effectu. Ustio *physicum*, absurda propositio *intellectualem*, aerumna proximi *moralem dolorem* producit. Haec triplex *voluptas* potest simul esse in eodem subjecto, uti hic triplex *dolor*; illa quidem, si neque nocet, neque

naturae humanae opponitur, atque aliunde virtulis actum continet, sic est in potione grata, salubri, necessaria aegroto; hic vero, si sit simul lacerans, imperfectionem afferens, vitiumque supponens, uti in morbo a venerea illicita voluptate orto. Si omnibus haec non adrideant, recordentur, voluptatem, et dolorem sentiri, non definiri.

497. Quae tamen aliqua consensione circa voluptatem, et dolorem tenentur, haec sunt. 1. Non recte post Epicurum (*Cic. de Finib. l.* 1. §. 11), et Genuensem (*Diceos. l.* 1. *c.* 1. §. 15.) definivit Petrus Verri (*Idee sull'indole del piacere*), voluptatem, quam *rapidam doloris cessationem* dixit; quia nec semper voluptas dolorem supponit, nec rapidam ipsius cessationem (1). 2. Perfectio et imperfectio, quas voluptas et dolor supponunt, possunt esse verae et apparentes, prout concipiuntur. 3. Quare voluptas in dolorem, et dolor in voluptatem potest converti; si postea uti imperfectum concipiatur, quod prius perfectum putabatur, aut ab opposito, 4. Et ideo perfectio alicujus rei examinanda, et expendenda est, ne hinc, inde vagemur. 5. Omnes sensationes aut voluptatem aut dolorem gignunt, nec dari potest indifferentiae status (§. 375), quia foret status nihili; licet non desint, qui cum Galluppi *sensationes indifferentes* admittunt (*Lez. di Log. e Met. v.* 2. *lez.* 93. *pag.* 491.). 6. Dolor movet et excitat, voluptas retinet et stringit; ast voluptas quoque movere potest, ne aliquid amittatur, vel ut acquiratur; *trahit enim sua quemque voluptas* (2).

498. Ex voluptatis et doloris idea illa *boni* et *mali* efformatur. *Bonum* est, quod perficit, aut perfectionem auget; *malum* vero, quod perfectionem destruit, aut minuit. Quare bonum voluptatem creat; malum vero dolorem gignit; illud trahit, istud repellit. Tum bonum, tum malum possunt di-

(1) Hinc aliqui distingnunt inter *voluptatem negativam*, quam ponunt in doloris cessatione, uti voluptas capta ex cibo post jejunium protractum, et *positivam*, quam dicunt voluptatem, cui nullus praecessit dolor, uti voluptas ex odore rosae; item dolorem in *negativum*, quem constituunt in voluptatis cessatione, uti dolor, quem experitur puer ex raptis nucibus, et *positivum*, qui habetur, quin antea fuerit voluptas, uti dolor ex urenti objecto productus.

(2) Si dolor tantum moveret hominem, quisque retraheretur ab objectis dolorem afferentibus, sed numquam objectum appeteret, quod sibi voluptatem creare posset. Quare puer ad lac sugendum non a fame impellitur, sed ab idea voluptatis capiendae, aut potius ab instinctu concupiscibili, ut ait Melillo (*Corso, etc. Teorica del me spontaneo. c.* 3. *a.* 6.).

spesci in physicum, intellectuale, et morale, prout voluptatem vel dolorem physicum, intellectualem, vel moralem producunt. Sunt etiam bona et mala vera, vel apparentia, quae ex se patent.

499. Quisque autem experitur, se in objectum, quod uti bonum percipit, rapi, aut inclinari; repelli vero et declinari ab objecto, quod uti malum apprehendit. Nisus et inclinatio dicitur *appetitio*; *aversatio* vero renisus, et declinatio. Utraque est aut *rationalis*, si inclinatio aut renisus ex distincta objecti cognitione oriatur; aut *sensitiva*, si ab idea objecti confusa enascatur. Quare appetitio, et aversatio aliquam rei cognitionem supponunt, et ideo est verum; *ignoti nulla cupido. Ratione appetit* salutem aegrotus, *sensitive* vero fructum, quem sibi obesse, vel prodesse non certe noscit. Perperam vero sensistae radicem *appetitus* in quadam animi agitatione reponunt, inclinatio enim ad aliquod objectum praecedit animi sollicitudinem, quae ex eo oritur, quod animus videat, se illo objecto carere. Quare illa radix videtur potius ponenda in ipsa hominis natura tum quia Deus largiri debuit propensionem ad finem, et media ad finem, tum quia nequeunt animi nostri non donari aliqua vi, qua concupiscerent, vel aufugerent, quae bona, vel mala sibi repraesentantur.

500. Haec pro certis proinde habeto. 1. Nos semper bona appetimus, et mala aversamur, vera vel apparentia; in bono enim, et malo objectiva ratio est appetitionis, vel aversionis. 2. Ast non inde colliges, animam in boni prosecutione, aut mali aversione non agere; nam vi sua bonum in objecto intuetur, aut malum; vi sua in objectum tendit, aut illud aversatur; vi sua amplectitur, aut fugit. 3. Ex eo autem, quod aliquid appetamus, aut aversamur, haud recte sequitur, bonum illud esse, aut malum; potest enim fieri, ut appetamus, quod specie bonum est, sed est reapse malum; et aversemur, quod apparens malum est, sed reapse bonum. 4. Ac proinde aliquod objectum modo appeti, modo refugi potest, prout in eo aut bonum, aut malum percipitur. 5. Et ideo aeque nos possumus appetere, vel aversari objecta, in quibus aequalis bonitas, vel malitia dignoscitur, quo in casu anima dicitur in statu *aequilibrii*. 6. Ac propterea possumus aeque appetere, et aversari aliquod objectum, in quo aequales bonitatis, et malitiae rationes percipimus. 7. Nos saepe appetimus, aut aversamur ea, in quibus nullam nunc boni, malive speciem intuemur; sed alias ut bona, vel mala accepimus, et postea, sine novo examine, consuetudine ducti ad illa ferimur, vel ab

illis retrahimur. 8. Ratio vero, cur secundum appetitum sensitivum facilius homines agant, quam secundum rationalem, ex eo deducitur, quod vividius a praesentibus, quam ab rebus abstractis afficiamur. 9. In uno, eodemque homine potest esse consensus sensitivae et rationalis appetitionis, et etiam pugna; prout ratio pugnat, vel convenit cum sensibilitate (§. 496). 10. Si inaequalia sint *motiva*, seu rationes appetitionis, anima dicitur in statu *praepondii*. 11. Bonum, et malum habentur veluti nostrae appetitionis, vel aversionis *motiva*, et numquam sine motivis appetimus vel aversamur; cum *esse miseri non solum nolimus, sed nequaquam prorsus velle possimus*, sicut ait Augustinus (*Enchir: n.* 28). 12. Ideoque nemo est, qui malum appetit sub ratione mali, aut bonum aversatur sub ratione boni; siquidem *natura omnes, quae bona videntur, sequuntur*, ut inquit Tullius (*QQ. Tusc. l.* 4. *c.* 6.).

501. Haec perfunctorie evolvimus, quia ex professo in Ideologia Practica de bono, et malo agemus. Ibi quoque erit sermo de affectibus, qui sunt veluti consectaria appetitionis et aversionis, atque de habitibus, qui ad bene, vel male agendum facilitatem praebent. De temperamento etiam in Ideologia Practica, et de instinctu in appendice de belluis loquemur. Haec innuere oportebat, ut sciant, qui heic hujusmodi ideas cribratas optabant, nos nil esse relicturos, quod aliqua foret observatione dignum.

502. Idea appetitionis, et aversionis (§. 499) ad efformandas de *spontaneitate*, et *voluntate* ideas nos sensim ducunt. Jam vidimus causam aliam esse necessariam, et aliam liberam (§. 343. 1). *Necessitas* itaque est id, propter quod agens, positis ad agendum requisitis, nequit non agere. Haec necessitas *interna* esse potest, et *externa*. Prima habetur, si agens natura sua ad actus ponendos impellatur, uti illa, qua ignis stuppam comburit; secunda vero, si agens a causa efficiente externa ad actus ponendos prorsus excitetur, uti illa, qua lapis in altum projicitur. Ast agens potest impelli a causa externa tum ad id, quod suae adversatur naturae, vel genio; tum ad id, ad quod natura aut genio suo etiam fertur. Primo casu causa externa *cogit* ens agens, non sic in secundo. Quare et necessitas *coactionis* quoque datur, quae cum necessitate externa confunditur, quae tamen veluti genus respicienda est, cum, uti diximus, causa externa possit aliquem cogere ad id, quod est contra, vel juxta naturam vel genium illius. His adnotatis dicimus, *libertatem* generatim spectatam esse

*a necessitate immunitatem*. Triplex recensetur libertas, triplici respondens necessitati. Hinc immunitas a necessitate interna, *libertas a necessitate interna*; immunitas a necessitate externa, *libertas a necessitate externa*; immunitas a coactione, *libertas a coactione* vocatur. Quare *libertas a necessitate interna*, *seu naturae*, est in illo, qui natura sua ad ponendos actus necessario non adigitur; *libertas a necessitate externa* est in illo, qui ad operandum a nulla causa externa necessario impellitur; *libertas a coactione*, in illo, qui juxta propriam naturam, indolem, genium, inclinationem operatur. Haec tertia libertas, dicta *a coactione*, *spontaneitas* vocatur a philosophis.

503. Ex his porro haec sequuntur. 1. Omne agens liberum a necessitate externa, est etiam liberum a *coactione*, nempe est *spontaneum*, quia, si agit, deficiente causa externa, certe agit *juxta* propriam indolem, quod idem est ac esse liberum a coactione; 2. ast non omne agens liberum a coactione, est quoque liberum a necessitate interna, quia liberum a coactione potest determinari necessario ad agendum ab ipsa sua natura. Vide Galluppi (*lez.* 91. *pag.* 446. *ediz. di Firenze*).

504. Porro illa libertas, quae laudatas tres libertatis species ( §. 502. ) complectitur, dicitur libertas *indifferentiae*, *arbitrii*, *electionis*, quae idem sonant. Quare *libertas indifferentiae* est facultas activa, qua, qui ea donatur, citra omnem necessitatem externam et internam, potest velle aut nolle, velle hoc, vel illud; aut facultas agendi vel non agendi, agendi hoc vel oppositum, agendi hoc vel aliud ab eo diversum, etiam positis ad agendum requisitis. Haec proinde libertas triplex est, prima *contradictionis*, secunda *contrarietatis*, tertia *specificationis*. Prima est facultas, qua agens, positis omnibus requisitis ad operandum, potest agere, vel non agere; secunda est facultas, qua agens, positis etiam requisitis, potest hoc aut oppositum agere; tertia est facultas, qua agens, etiam positis requisitis, hoc aut diversum agere potest. Me non fallit, haec vocabula non multum adridere recentioribus; sed usus ea sacravit, et intelligendis scholasticis non parum prodesse possunt. Deinde advertimus, libertatem *indifferentiae* sic vocari ante electionem, et non post electionem factam; quia facta electione, indifferentia desinit. Antequam scriberem, poteram scribere, et non scribere; sed postquam scripsi, nulla mihi remanet indifferentia scribendi aut non scribendi.

505. Sed quidnam est voluntas? Si aliquod objectum ante nos sistat, boni vel mali speciem praeseferens, illico in nobis propensio, vel aversio nascitur ( §. 499. ). Facultas illa, qua anima adprobat, sequitur, amplectitur, quod boni specie induitur, *voluntas*; facultas vero, qua anima aversatur, odit, fugit, quod specie mali se demonstrat, *noluntas* vocatur. Sed *noluntas* ad *voluntatem* potest reduci, quia est ipsa voluntas, quae actu positivo malum exhibitum aversatur. Actus voluntatis dicitur *volitio*, *nolitio* vero actus noluntatis; *volitione* animae meae haec scribo, *nolitione* ad ludum ire recuso. Actus voluntarius proinde ille est, qui a voluntate proficiscitur, seu est ipsa volitio; *involuntarius*, qui nullam supponit voluntatis determinationem, et est ipsa *nolitio*. Quare *voluntarie* haec scribo, *involuntarie* hic forsan aberro, *non voluntarie* raptor ab equo. Ex quo patet, voluntatem duo includere, objectum repraesentatum, uti bonum, et substantiam rationalem, quae hoc bonum adprobat, et amplectitur. Idem dicatur de noluntate. Quare voluntarium, et non voluntarium, seu volitio et nolitio sunt actus, qui a principio intrinseco oriuntur, quia nascuntur a substantiae potentia, quae adprobat vel reprobat, quaeque substantiae est interna. Ex quo sequitur, omne voluntarium esse etiam spontaneum ( §. 502. ), quia utrumque a principio interno emanat. Verum spontaneum oriri potest a principio interno substantiae rationalis, vel irrationalis, voluntarium vero semper a principio oritur substantiae rationalis interno. Hinc spontanei actus dicuntur casus lapidis sibi relicti, circulatio sanguinis in humano corpore, subita appetitio ad boni speciem sine adprobatione; qui actus minime sunt voluntarii, quia hi voluntatis inclinationem et adprobationem supponunt. Actus voluntarii sunt *eliciti*, si immediate procedant a voluntate, nempe volitiones et nolitiones; sunt vero *imperati*, si ad nutum animae voluntatis ab aliis facultatibus perficiantur, uti sunt attentionis, et reflexionis actus. Igitur quivis imperatus actus elicitum supponit, quia ille voluntatis nutum, seu volitionem includit. Sed actus *imperatus* potest esse *immanens*, si in ipsa compleatur anima, uti actus attentionis; *transiens* vero, si ope alicujus corporis membri perficiatur, uti deambulatio, animo volente.

506. Sed adhuc aliqua praenotanda sunt. Et 1. videtur non recte ab aliquibus acceptum vocabulum *spontaneitas*, vel *spontaneum*, tributum indifferenter actionibus quorumcumque entium ab istorum intima manantibus natura (§. 505.).

Nam si *spontaneus* est actus ab intima natura, indole, inclinatione entis proficiscens; certe *spontanei* aeque forent motus lapidis in terram projecti, vegetatio plantarum, sensationes brutorum, appetitiones et aversiones nostrae sensitivae, omnesque actiones a coactione immunes; haec enim omnia a principio intrinseco emanare dicuntur. Quare *spontaneitas* aut neganda est rebus inanimatis, aut saltem ipsis lato sensu est tribuenda, et in animantibus accipienda pro facultate agendi juxta vires proprias aliquid prae alio. Vide Storchenaum (§. 105.), et Dmowski ( *Psych.* §. 87. 88. ), et Mancino ( *Elem. di Filosof.* § 33. ). 2. Neque probanda est aliquorum doctrina, qui appetitum rationalem ( §. 499. ) cum voluntate confundunt ( §. 505.). Siquidem appetitus rationalis est inclinatio orta ex distincta objecti cognitione; sed, cognito objecto, et data in ipsum inclinatione, adhuc voluntas contrarium potest eligere. Ita aegrotus appetitu rationali ad medicamen sumendum inclinatur; sed reapse non sumit, imo projicit. Deinde appetitus est potentia necessaria; sequitur enim ex boni repraesentatione. Voluntas vero est potentia libera, uti mox videbimus. Idem dicatur de aversatione rationali. 3. Voluntas intellectum, et rationem supponit in substantia, cui inhaeret. Voluntas enim adprobat bonum repraesentatum ( §. 505. ), rejicit malum exhibitum. Quid enim ageret, fugeretve voluntas, nisi praesupponeretur rei faciendae, omittendaeve cognitio? Sed quisnam repraesentat, ac exhibet bonum et malum voluntati, nisi intellectus et ratio? Insuper voluntas est potentia eligens ( §. *ibid.* ); sed eligere nequit, nisi motivum habeat eligendi; motivum vero intellectus, et ratio exhibere possunt. Adde, quod voluntas *non semper actu* feratur ad omnia sua objecta; ad intellectum, et rationem pertinet ex his aliquod exhibere. 4. Voluntas vero in totam cognoscendi potentiam influere valet, uti alias vidimus (§.359.); ipsa enim, licet nequeat gratas reddere sensationes ingratas, potest tamen exponere, vel non exponere corpus certis externorum objectorum impressionibus; attentionem in aliquod objectum figere, sicque impressiones atterere, vel minuere; ipsa valet regere attentionem, aliasque cognoscendi facultates, quae ad ejus nutum tenduntur vel remittuntur (1). 5. Ex data

(1) Cum aliquid, praesertim nobis externum, volumus, mutatio fit in intellectu, cujus ope cognoscimus, quod volumus; in objecto, quod volumus; in membro corporeo, quo utimur ad aliquid capiendum, vel faciendum. Sic scriptor, dum scribit, inducit mutationem in papyro, in qua scribit, in intellectu, quo, quid scribere vult, intelligit, in manu, quam ad scribendum

libertatis definitione ( §. 504.) patet, ipsam tolli, si positis ad agendum requisitis, subjectum non possit non agere (1); uti nulla libertas est in igne, qui, sibi appropinquante sicca stuppa, eam certo comburit. 6. Nos libertatem facultatem diximus ( §. 504. ), ut communem sequeremur usum; sed ipsa potius proprietas est dicenda, quia in anima praeter facultatem cognoscendi et volendi generice spectatam non aliam admittimus ( §. 359. ). Quare immerito nos carpit Lockius ( *Essai sur l'entend. humain. l.* 2. *ch.* 21.), qui, accepta libertate pro facultate ponendi, aut non ponendi actionem ad nutum voluntatis, dicit liberam vocari voluntatem esse idem ac quadratam dicere virtutem. Vide aliquas definitiones libertatis erroneas apud Storchenaum (*Psych.* §. 115. *sch.* 116. *sch.* 117. *sch.* 118. *sch.* ). et del Giudice ( §. 541. ). Et haec in antecessum sufficiant.

507. Fatalistae dicuntur, qui libertatem inficiantur, et ipsi in varias classes dispesci possunt. *Prima* classis est illorum, qui fatum stoicum, aut astronomicum, aut democriticum, aut mahumedanum, aut spinozisticum sunt professi; fatum enim includit necessitatem, quae omnem contingentiam, et libertatem a rebus tollit. *Secunda* est omnium materialistarum, qui nullam in homine admittentes substantiam spiritualem, nullam quoque libertatem confitentur. Tales fuere Hobbesius, Helvetius, Lametrie, Tolandus. Tracyus, Cabanisius, Richerandus, Gall ( §. 429. ). *Tertia* est illorum, qui voluntatem definiunt facultatem agendi secundum volitionem, et nolitionem, quique tantum libertatem a coactione admittunt ( §. 502. ). Hujus generis sunt Lutherus, Calvinus, Bajus, Iansenius, Lockius, Collinus, Voltairius, Baylius, Freretus. Quarta est illorum, qui docent, animam in serie continua

adhibet. Porro potestas illa, qua super facultatem cognoscendi gaudet voluntas, dici solet *potestas personalis*, quae tamen non valet creare leges, quibus cognoscendi facultas dirigitur, sed tantum ipsa facultate, ejusque variis modis ad suos consequendos fines uti potest. Quando vero cognoscendi facultas ab objectis sine regula abriperetur, pertinet ad *potestatem personalem* ad aliquod bonum utile, et honestum eam revocare, nempe illam *dirigere*, vel *corrigere*, totamque illius activitatem ad unum veluti centrum vertere, et figere (§. 359.)

(1) Cum dicimus *subjectum*, animam intelligimus, quae est subjectum volitionum, quaeque libera non est, si, positis ad agendum requisitis, non possit aeque velle, et non velle. Quare hic libertas accipitur tota in actibus elicitis, et non in imperatis, praecipue transeuntibus (§ 505), quos homo elicere nequiret, nisi ejus anima in actibus elicitis esset quoque libera. Vide Galluppi (*Filos. della vol. vol.* 2. § 47 *et seqq.*)

efficere perceptiones, appetitiones, et dein volitiones, quique proinde admittunt in anima moralem necessitatem; et qui in boni, malive repraesentatione rationem sufficientem reponunt volitionis, et nolitionis, quique proinde docent, Deum, et homines ad optimum sese determinare. Ita sensere Leibnitius, Wolfius, Baumeistherus, Boehmius, Wincklerus, Wulfingerus (§. 470.). *Quinta* est rigidiorum occasionalistarum, qui omnibus creatis rebus activas vires, ideoque libertatem animabus inficiantur (§. ibid.). *Sexta* opinio est illorum, qui putant, cum Dei praescientia conciliari non posse libertatem, hancque rejiciunt, illa admissa, forsan ore tenus. Vide Storchenaum (§. 105. *sch.* 107. *sch.* 115. *sch.* 117. *sch.* 118. *sch.*).

508. Verum, estne libera anima humana? *Certe libera est anima humana, et quidem libertate a necessitate tum externa, tum interna, nempe libertate indifferentiae.* Siquidem in primis est libera a necessitate externa. Nam 1. Necessitas externa deberet esse causa volitionum, et nolitionum voluntatis, nempe deberet cogere voluntatem volentem ad nolendum, et voluntatem nolentem ad volendum. Sed hoc esse nequit, quia voluntas, dum voluntas est, vult; et dum noluntas est, non vult; alioquin vellet et nollet simul, uti patet. 2. Vis exterior facere quidem potest, ut corpus humanum aliquos ponat actus; sed hoc esset aliquid animae extrinsecum cogere, non vero volitionum facultatem. Possum ex. gr. ab equo raptari, aut vinculis constringi, ne deambulem; sed neque hoc, neque illud volo, dum corpore raptor, dum vinculis constringor. E contra mercator, ut in naufragio mortem devitet, merces in mare volens projicit, uti vitae servandae medium, non vero coactus a necessitate externa. 3. Quaecumque sit causa externa, quae necessitatem voluntati imponeret, ea reduceretur ad boni repraesentationem, quod voluntatem necessario raperet; sed hoc repugnat substantiae ratione praeditae, quae in boni repraesentatione multa potest detegere, quae haud adprobat, et allecta ab appetitu etiam malum amplecti, bonumque cognitum relinquere potest, uti experientia docet. 4. Boni repraesentatio supponit, non vim confert animae; atque est animae ipsius cognitio, quae animae intrinseca est, non extrinseca; extrinseca vero esse deberet, ut libertate a necessitate extrinseca destituta diceretur anima. Igitur anima humana libera est in sua voluntate a quacumque externa necessitate.

509. Sed *libera quoque est animæ libertate a necessitate interna.* Quandoquidem 1. Si anima libera non foret libertate a necessitate interna, profecto ageret more causae necessariae. Haec agit ad extremum virium, uti videre est in igne, qui urit, quantum potest. Non sic autem de anima humana usuvenit; haec enim vires suas explodit, quantum vult, ubi vult, quando vult; quis enim ad extremum virium legit, studet, meditatur, diligit, deambulat, scribit? 2. Nisi hac libertate anima gauderet, ipsa ad volendum, vel nolendum, quod vult, aut non vult, raperetur, et cogeretur a quadam interna vi, uti elaterium compressum ad statum pristinum reducitur. Haec enim est natura causae interna necessitate agentis, quae, positis ad agendum requisitis, illico ad agendum prosilit. Sed hoc in anima haud contingit. Quid enim esset, quod ipsam interne raperet, et cogeret? Certe boni finiti repraesentatio. Sed hujusmodi bonum ex una parte pedetentim, et per gradus, atque majori minorive claritate, voluptate et dolore simul comitatum, animae exhibetur; ex altera adhuc requiritur animae adprobatio et amplexus (§.505). Igitur anima non rapitur, nec cogitur a boni finiti repraesentatione ad volendum, quod vult, et nolendum, quod non vult; ideoque immunis est a necessitate interna. Neque dicas ab hac boni repraesentatione voluntatem pervadi, rapique, uti ferrum a magnete. Magnes enim est quid exterius ferro, cujus vim superans vi sua illud sibi copulat; voluntas vero non a boni repraesentatione movetur (§. 508), sed ex se excitatur, ex se adprobat, vel reprobat.

510. Sed plura sunt alia momenta, quibus haec veritas probari potest. 1. Depositis distortis opinionibus, atque intimi sensus voce non repudiata, sentio me posse scribere haec, et non scribere; posse haec aut alia scribere; posse haec modo, quo nunc, aut alio scribere; posse, dum scribo, a scribendo desistere, quamdiu mihi lubet; posse, quae scripsi, mutare, delere, aliam opinionem amplecti. In quovis die, in quovis momento haec sentio, haec experior; volo, nolo, volo rursus; nunc adprobo, nunc improbo; modo amplector, modo respuo; aliquid volo, volitionem cohibeo, volitionem suspendo; imo nolo, denuo ad illud redeo, volo, amplector. Quisque sibi testis est, haec omnia se perficere posse; nam *sentit animus, se moveri, quod cum sentit, illud una sentit, se vi sua, non aliena moveri*, uti optime ait Tullius (*qq. Tusc. l. 2. c.* 25). Sed haec sunt libertatis indifferentiae characteres (§. 504). Igitur anima humana hac potitur libertate. 2. Continuo experior, me in placida versari quiete, recreari, laetitiaque per-

fundi, cum aliquid boni faciam, e contra turbari, dolere, poenitere, tristitia premi, meipsum redarguere, ac damnare, cum aliquid mali patrem. Et hoc quisque experitur. Sed hoc intelligi nequit sine libertate; quia nulla esse potest adprobatio, vel exprobratio mei super me, nisi in mea foret potestate bonum, vel malum facere. 3. Eccur hominem trucem, maledicum, pejerantem, vitiisque indulgentem poena existimamus dignum; laudibus vero extollimus, praemioque dignum dicimus, qui dulcis, amabilis, pius, modestus, cultusque est? Sine libertate neque ille poenam, neque iste praemium mereretur, quia ille nequam, iste probus ex necessitate foret. 4. Inutiles proinde forent poenae, inutilia praemia, quae tum in hac sive a Deo, sive a potestatibus constitutis, tum in altera vita a Deo dantur; inutiles inde leges, statuta, praecepta, consilia. Quisque enim sine libertate agens ageret necessario, ageret, quia natura sua sic postularet. Vide Galluppi, (*Filos. della volon. vol.* 2. §. 61. ad 66.), qui hoc argumentum extendit. 5. Et quinam sunt, qui libertatem inficiantur? Certe, qui vitiis continuo obruuntur, et quidem non quia persuasi existunt, sed quia exprobrari nolunt. An hac mea exprobratione laeduntur? Hoc ipso monstrant, me potuisse eos non exprobrare. Nonne ipsi contra suos famulos irascuntur, si non obtemperent hi, si susque deque suam punant domum? Nonne et ipsi fatalistae suas expellerent adulteras uxores? Nonne suos rebelles filios puniunt? Attamen haec omnia cum suo non cohaerent systemate. 6. Sed omnes gentes cujuscumque aetatis, et regionis, omnes populi libertatem probarunt. *Hoc cantant et in montibus pastores, et in theatris poetae, et indocti in circulis, et docti in bibliothecis, et magistri in scholis, et antistites in sacratis locis, et in orbe terrarum genus humanum*, inquit perpulchre Augustinus (*l. de duab. animab. c.* 24). Hinc optime notat Mastrofini (*L'anima e suoi stati n.* 1210.), horrendum esse tanto aestu de libertate disputare; dum interim aliqui etiam internam libertatem, si possent, a nobis evellerent; et alii libertatem externam, quantum possunt, assidue flagitant. . . Patet itaque humanae animae voluntatem libertate indifferentiae potiri; et adeo hoc patet, ut in domum dementium potius detrudendi forent, quam revincendi, qui novitatis prurigine, aut impune peccandi desiderio, in ipsam debacchantur.

511. Sed multa opponunt contra veritatem statutam Fatalistae. Aliqui tamen aperto marte, alii clanculum eam aggrediuntur. Supposita contra materialistas animae spirituali-

tate, dicunt illi, 1. animam esse quidem voluntate praeditam; sed volitiones et nolitiones esse effectus, qui causam habent necessariam; 2. animam numquam agere sine motivis, alioquin ageret sine ratione; motiva itaque sunt causae volitionis, et nolitionis; 3. animam determinari a judicio intellectus, qui aliquid verum, falsumve voluntati exhibet, quae sine alio examine, illud uti bonum amplectitur, istud uti malum aversatur.

512. Sed ad primum dicimus, causam esse aliam necessariam, et aliam liberam (§. 343. 1). Illa, positis omnibus ad agendum requisitis, non potest non agere; ista vero potest agere, et non agere, sed cum agit, ipsamet est causa suorum actuum. Anima, voluntate sua agens, potest velle et nolle, ideoque volitiones, vel nolitiones ponere. Volitiones itaque, si lubet, vocabis quidem effectus, sed liberos et contingentes, quia voluntas, quae libera causa est, potest ponere, aut non, imo nolitiones exerere, uti vidimus (§. 510. n. 1). Vide Galluppi, qui (*Filos. della volon. vol.* 3. §. 1. ad 7.) hanc difficultatem mire cribrat, diluitque.

513. Ad alterum respondemus, motiva, quaecumque ea sint, haud voluntatem ad agendum rapere. Ratio et intellectus rem propositam cribrant, examinant, concludunt. Motiva volendi, nolendique voluntati exhibentur. Sequiturne illico voluntas nostra haec motiva? Nonne intimo quisque experitur sensu, nos potestatem habere, praeposito quocumque examine, contrarium agendi? Nonne saepe videmus bona intellectu, voluntate vero deteriora sequimur? Nonne et revocamus saepe, quae prius elegimus? Adde. Anima attentionem suam modo huc, modo illuc dirigit; voluntate sua ad judicium intellectum adigit; voluntate sua motiva auget, minuitque, prout libere ex una, vel alia parte ea expendit; voluntate sua potest plus minusve in iis considerandis immorari; voluntate sua valet in aliud se convertere, attentionem distrahere, atque per oppositas considerationes etiam vehementissima affectuum oblectamenta declinare. Igitur voluntate sua agit, a motivis non compulsa. Deinde adnotamus, examen non semper praecedere liberam voluntatis determinationem; potest enim fieri, ut unum dumtaxat bonum offeratur intellectui, qui proinde cur examinet, non adest ratio. Et hinc patet, non bene Laromiguiere *libertatem* posuisse in modo praeferendi, aut volendi, aut se determinandi post *deliberationem*. Deinde examen illud, quod praecedit quandoque voluntatis determinationem, et a quo motiva eruuntur liberae voluntatis determi-

nationis, ad intellectum pertinet ad hoc examen a voluntate determinatum. Quare libertas non est quaerenda in *deliberatione*, quae fit ante voluntatis determinationem, quaeque in judiciorum, et ratiociniorum serie consistit, uti notat Galluppi (*Filos. della volon. vol.* 3. §. 50. ad 52). Sed hanc objectionem *ex motivis* adductam cribravit, examinavit, mireque solvit ipse Galluppi (loc. cit. *vol.* 2. *c.* 1. §. 8. ad 23). Ipse enim notavit, *motiva* hujusmodi esse tantum nostrarum animarum *modificationes*, quae proinde causae esse nequeunt; esse *conditiones*, quae tantum disponunt, et alliciunt, non cogunt; *motiva* haec ad summum reponenda esse in cognitione, et desiderio, ex quibus minime semper sequitur volitio, vel nolitio; neque posse dici haec *motiva* volitionis, nolitionisve causas, licet haec ex illis semper sequerentur, uti non potest dici lux causa tenebrarum, quae constanter illam subsequuntur; ideoque semper illaesam remanere voluntatem in sua libertate sive motiva ejusdem vel diversae speciei sint aequalia, sive sint inaequalia, sive etiam unum exhibeatur motivum. Ex his facili negotio responderi etiam potest Leibnitianis, asserentibus hominem moveri a ratione sufficienti, quae inesse nequit, nisi in boni repraesentatione, aut saltem in animi statu antecedente (§. 670). Nam et ille status existere nequit (§. 678), et ratio sufficiens ad summum allicit, atque excitat, non vero adigit et impellit voluntatem, ut quisque sibi testis est. Si vero in boni repraesentatione haec ratio sufficiens non est; est in ipsa animae voluntate. quae vult, quia vult, nempe praeter rationem objectivam datur etiam subjectiva, quae certe non placuit Leibnitio.

514. Ad tertium respondemus, judicium esse *theoreticum*, quod rationem boni in objecto renunciat; *practicum*, quod, expensis omnibus adjunctis, ultimo et definitive pronunciat, illud objectum esse eligendum (1). Completo judicio *theoretico*, objectum uti eligibile voluntati exhibetur, quae proinde adhuc libera est, quia illud judicium est tantum objecti exhibitio. An applicatio materiae ignem ad urendum impellit? Igitur, si voluntas agit, posito illo theoretico judicio, libere agit. Sed libera etiam remanet, posito judicio pra-

(1) Hoc duplex judicium duplici intellectu, qui tamen unus est in anima, suffulcit S. Thomas (*Quaest.* 79. *a.* 11.), dicens: *intellectus speculativus est, qui, quod apprehendit, non ordinat ad opus, sed ad solam veritatis considerationem; practicus vero intellectus dicitur, qui hoc, quod apprehendit, ordinat ad opus.*

ctico. Nam pronunciat quidem hoc judicium, objectum esse eligendum, sed voluntas non semper eligit. Quot non sunt, qui practico judicio vident, sedatis affectibus, ebrietatem, avaritiam, calumniam esse omnino fugiendas, attamen illis vitiis non cessant coinquinari? Hinc recte monet Cl. Galluppi (*Lez. di Log. e Met. lez.* 91. *pag.* 454.), posse contingere, ut quis suum noscat officium, et judicet actionem non esse faciendam, sed voluptate illectus non sequatur practicum judicium. Uno verbo illud judicium sic exprimitur: *melius est facere hanc rem, quam non*; sed hoc non producit: *volo facere hanc rem.* Illud necessitate fit, hoc ponitur cum potentia non ponendi, si tamen ponatur, quia est actus prorsus voluntatis. Deinde illud judicium comitatur potius, non antecedit volitionem, uti notat Storchenau (*Psych.* §. 122 *sch. obj.* I. *r.*); tum quia dum voluntas decernit, intellectus judicat esse volendum; tum quia in voluntatis potestate est, ut judicium illud sit ultimum; tum demum quia judicium illud non aliunde suam mendicare potest efficaciam, nisi ab ipsa voluntate. Quare illud judicium practicum est veluti libertatis fructus; quia volumus, intelligimus, denuo volumus. Neque dicas, voluntatem esse caecam potentiam, ideoque ab illo judicio practico determinari. Siquidem potentia caeca dicitur, quatenus, ut rationabiliter agat, ipsi debet intellectus facem praeferre; ast libere semper agit, sive sequatur, sive non sequatur bonum illa face patefactum. Neque demum addas, voluntatem sequi judicium practicum; secus posset esse peccatum sine intellectus errore. Quid siquidem mirum? Nonne homines fatentur, se aliquando crimen patrasse, quod rationi opponebatur? Cum bona finita non sint absolute bona, possunt aliquando mala videri. En error.

515. Sed dicunt 4. adversarii, animae voluntatem non ponere volitionem, nisi ex repraesentatione boni. Igitur haec illam, non illa se movet. Ex quo sequitur, ex duobus bonis semper majus bonum eligere, atque nullum amplecti, cum aeque bona sunt; uti in libra una deprimitur lanx, si inaequalia sint poudera in utraque; utraque vero in aequilibrio manet, si pondera sint aequalia. Wolfii comparatio haec est.

516. Verum huic objectioni respondemus, falsum esse, uti notavit Lockius (*Essai sur l'ent. hum. l.* 2. *ch.* 21.), animae voluntatem abripi a boni repraesentatione. Ebrius ex. gr. cognoscit, temperantiam esse bonum, praesertim, quia suae prodest saluti; attamen vinum copiose bibit. Deinde in quovis bono finito aliquis potest delectus inveniri. Quod sufficit,

ut dicatur, nullum bonum creatum posse voluntatem abripere. Bonum hujusmodi allicit, invitat, excitat voluntatem, sed non adigit, pellit, ac necessario determinat. Demum, electo aliquo bono finito, adhuc illud rejicere possumus; quod fieri nequiret, si voluntas non foret libera (§. 506. n. 5). Hinc patet etiam, nos haud semper bonum majus prae minore eligere; si enim bonum saepe relinquimus, nonne majori jure majus valemus respuere? Ast praeferat voluntas majus bono minori. Quid inde? Praelatio haec majori bono nascitur ab ipsa voluntate, quae minus respuit. Neque malum tunc eligeret voluntas, si minus bonum eligeret, uti Leibnitiani dicunt; quia minus bonum adhuc bonum in se est. Ast posita voluntas inter duo bona, ageretne? eligeretne? Certe ... Nonne ex duobus mediis aeque aptis ad finem eligam unum? Nonne ex duabus semitis aeque commodis, et brevibus, unam ingrediar? Nonne tibi dabo scutatum, quod debebam solvere, ex duobus aeque argenteis? Quare voluntas vi sua ex duobus bonis unum amplecteretur, aut etiam utrumque relinqueret (1). Inscite tamen, ait Storchenau, Wolfius paritatem librae, quam Tullius ad intellectum adplicat, ad voluntatem traducit. Nam libra nullam potestatem suum mutandi statum habet, uti notat Galluppi; pondera sunt causae motus lancium. Comparatio corporis inertis cum substantia intelligente, et volente est cavillatio indigna philosopho. An moreretur asinus famelicus, et sitibundus inter aquam et aveuam positus? Moreretune famelicus inter duos aequales catillos aeque avena repletos? Certe irrueret in aquam et avenam. Contrarium tamen placuit Leibnitio.

517. Verum dicunt 5. Fatalistae, sensum intimum (§. 510. n. 1.) indicare quidem, nos affectionem libertatis habere, non vero nos libertate gaudere. Ecquis scit, si ab alio ente nos ad volendum moveamur? Certe si acui magneticae, si vertumno, si lapidi decidenti cognitio sui motus imprimeretur cum desiderio tendendi versus locum, quo feruntur, viderentur sibi a seipsis libere ad motum determinari. Nonne idem de anima fieri potest? Sic Leibnitius, et Baylius.

(1) Vide Galluppi (*Filos. della volon. vol.* 2. §. 55 *ad* 57.), qui acute demonstrat animae libertatem, cum ei praesto sunt bona singularia, ad quae profecto invincibiliter non rapitur. Quod exemplo illustrat scelestissimi hominis, qui potentiam in se experitur volendi bonum morale, dum malum amplectitur, atque avari, qui, dum pecunias inhiat, potentiam sentit in aliorum utilitatem res suas diffundendi.

518. Respondemus, nos perenniter intimo sensu experiri modo velle aut nolle; potuisse velle, quod nolumus, et nolle, quod volumus; posse nolle etiam, quod reapse elegimus, volitionem in nolitionem mutantes; nos esse, qui nolumus et volumus; volitiones et nolitiones poni, quia nos ipsi volumus, vel nolumus; nos proinde esse volitionum, et nolitionum nostrarum dominos, auctores, causas (§. 510.). Igitur scimus, nos libertate gaudere; ideoque non ab alio ente moveri. Certe et nos experimur ex. gr. existere, sed a nobis existere haud sentimus; experimur, sensationes habere rerum, quae in organa sensoria agunt, et, positis requisitis in organis, in nervis, in cerebro, et posita animae in objectum attentione, ipsam sentire quidem vi sua, sed sentire quoque, quia objecta externa egerunt (§. 365.); experimur, nos active et simul necessario judicare, quatuor addita tribus conficere septem. Haec experientes sic, ut experimur, admittimus, et vera admittimus. Ergo a pari experientes, nos ponere et non ponere volitiones nostras, nosque auctores ipsarum esse, liberos nos esse sentimus. Non bene itaque libertati consuluit noster Del Giudice, cum asseruerit, *per sensum intimum proprie usurpatum non constare nostram libertatem* (*Psych.* §. 552. *in nota*). Male quoque Reid (*Essais. etc:*) docet conscientiam, seu intimum sensum nos minime certos facere de activitate animae, sed tantum de operationibus. Facile enim nos distinguimus intimo sensu, quod ab aliena causa est, ab eo, quod in nobis fit ex activitate animae. Neque ad rem faciunt comparationes ab acu magnetica, a vertumno, a lapide deductae. Nam observaruntne adversarii phaenomena, quae hisce rebus inertibus tribuunt? Responderuntne philosophis interrogantibus, has res sic se habere, uti ipsi putant? Quomodo igitur ex re impossibili comparationem afferre possunt? Sed demus paulisper comparationes. Si acui magneticae, si vertumno, si lapidi cognitio imprimeretur cum desiderio versus locum tendendi, quo feruntur, viderentur quidem sibi libere a seipsis ad motum determinari; sed errorem deponerent, si oppositum motum vellent perficere, quia certe ab attractione, a vi ventorum, a gravitate prohiberentur. Ast homo sentit se velle, et posse nolle, et, uti cecinit Dantes (*Infer. Cant.* 2. *v.* 37.),

„ . . . . . . Disvuol ciocchè volle,
„ E per novi pensier cangia proposta,
„ Si che del cominciar tutto si tolle „.

Vide Galluppi (*Lez.* 90. *pag.* 430. *ad* 440.).

519. Dicunt 6. Adversarii, ex poenis, praemiis, legibus, quae dantur hominibus, haud sequitur libertatis existentia; nam et belluas punimus, praemio afficimus, praecipimus, quin liberae sint.

520. Sed dicimus, belluis pejores esse, qui libertatem inficiantur, quia belluae ea destituuntur, uti videbimus in appendice. Discrimen adest inter ea, quae brutis et hominibus aliquando aeque dantur. Nam 1. actiones hominum honoris, ac dedecoris ideis comitantur, quae nullae sunt in belluis; 2. iniqui homines puniuntur ob crimen praeteritum, belluae nullum proprie crimen patrant; 3. homines puniuntur, ut in eadem crimina alii homines non labantur; ex poenis belluarum aliae certe non redduntur meliores; 4. puniuntur homines, ut corripiantur; puniuntur belluae, ut excitata sensatione verberum, ab illa actione se abstineant. Sic optime ait Mancino (*Elem: di Filos*. §. 44.), et Storchenau (§. 126. *sch*. 2. *obj*. 1. *R*).

521. Demum opponunt 7. Fatalistae, Deum praevidisse omnes humanas actiones, hasque proinde eventuras esse modo, et tempore, et loco, quibus Deus praevidit eventuras. Igitur, concludunt, nulla est in homine libertas.

522. Ast confusio in verbo *praevidere* reponitur. Hoc vocabulum sumptum a natura humana, divinae nequit naturae aptari, quia nihil praeteritum, et futurum in Deo datur. *Homo* praevidet, et fallitur; Deus videt, et non fallitur. Videre autem nullam necessitatem includit. Sic respondet Laromiguiere (*Leçon de Phil. Leç*. 4.). Et nos ipsi aliorum actiones videntes, illos forsan adigimus? Imo egone pello Titium ad interficiendum Petrum, si illum videns ense districto insequentem istum praevideam, Titium occisurum Petrum? Deus itaque praevidit, quae homo libere facturus est, uti ego video Titium insequentem Petrum; non vero homo facturus est aliqua, quia praevidit Deus, uti non persequitur Titius Petrum, quia ego video. Titius libere insequitur, libere homo agit. Cognitio Dei igitur non agit in liberas hominum voluntates; sed ipse eas videt, uti sunt in seipsis, cum actibus suis liberis, uti videt, causas necessarias necessario agere. Illa cognitio est quid extrinsecum hominum animarum voluntatibus, nec proinde eas afficit. Sed quid plura? Deus est omniscius, anima est libera. Utraque veritas certa est. Mea ignorantia nec illam, nec istam destruit. Neque spernenda est hac de re responsio Augustini, qui (*De lib. arb. l*. 3. *c*. 4.) ait: *sicut tu memoria tua non cogis facta esse, quae praeterie-*

*runt*; *sic Deus praescientia sua non cogit facienda*, *quae futura sunt*. Neque dicas, mentem nostram non posse *concipere* oppositum illius, quod praevisum est, ideoque hoc *necessario* esse eventurum. Nam, posita praevisione infallibili, mens nostra *logica necessitate* cogitur supponere actionem praevisam; sed inde non sequitur, actionem praevisam esse eventuram *reali* necessitate. Cognitio siquidem alicujus eventus est quid extrinsecum tum eventui ipsi, tum causae producenti eventum. Quare hujusmodi cognitio prorsus extrinseca nullimode potest influere in eventum, aut mutare naturam ipsius, qui proinde remanet necessarius, vel liber, prout fuit causa, quae praevisa est actura necessario vel libere. Neque circumstantia temporis, in quo ante effectionem agnoscitur eventus, in naturam eventus influit; cum tempus sive praeteritum, sive praesens, sive futurum nec necessitatem, nec libertatem includit. Vide Galluppi (*Filos. della volon. vol.* 3. §. 26. *ad* 34.). (1)

523. Coronidis loco haec notentur, quae aut intelliguntur, aut sequuntur ex hucusque dictis. Nempe 1. Libertas

(1) Placet hic referre profundissimam responsionem allatae objectioni (§. 521.) factam ab Auctore operis: *Disquisitiones novae de Deo* (*l.* 2. *c.* 2. *n.* 6. 7.). Notat itaque Cl. Auctor, illaesam remanere voluntatis libertatem sub Dei praescientia, si, simul ac Deus metaphysica certitudine *ab aeterno* praecognoscat, voluntatem esse posituram, vel omissuram illos suos actus, voluntas vi sua se determinet ad illos actus ponendos, vel omittendos. Porro haec duo stare posse sine ulla pugna, pluribus demonstrat. Itaque 1. certitudo metaphysica alicujus eventus futuri absolutissima involvit dumtaxat certissimam, verissimamque cognitionem causae, ordinatae ad faciendum aliquando praesentem actum, qui modo futurus est, et proinde modo non datur (§. 289. not.); sed causa potest esse ordinata ad faciendum praesentem eventum, quin reapse illum actu faciat praesentem (ibid. prop. 2.). Ergo causa potest esse libera, licet certitudo habeatur metaphysica positionis, vel omissionis actus futuri. 2. Deus certe ab aeterno vidit eventum futurum, ejusque negationem, quia videns futurum unum vidit quoque oppositum ei futurum (ibid. prop. 3.), cum neuter eventus ad futuri essentiam pertineat (ibid. prop. 1.). Quare nulla est contradictio, quod Deus praesciat futurum, vel ejus omissionem, et simul causa ponat, vel omittat vi sua, seu libere, actum. 3. Fieri nequit, ut praesens fiat id totum, quod Deus praescivit, quia Deus actionem, ejusque omissionem praescivit (ibid. prop. 3.), quae simul ex contradictionis principio stare nequeunt. Ergo fieri potest, ut actio post liberam electionem ponendi vel non ponendi ponatur, vel omittatur, atque simul hoc Deus certissime praecognoscat. 4. Praescire in Deo est scire, cognoscere, videre; sed intuitio actionis vel omissionis nos certos quidem reddit de praesentia vel negatione actionis, non vero de qualitate actionis, vel omissionis. Ergo certitudo metaphysica in Deo haberi potest, remanente tamen actione, ejusve omissione in sua qualitate morali, et libera. Sic e. g. qui scit,

supponit rationem, potentiam agendi, objecta eligenda, vel respuenda. 2. Defectu rationis liberi non sunt, saltem quoad libertatis usum, pueri, phraenetici, delirantes, dormientes, ebrii, qui postremi ideo tantum puniuntur de crimine patrato in ebrietate, quia poterant non ebriari. 3. Libertate quoque destituimur in motibus appetitus, et aversionis sensitivae *primis*, qui rationem praeveniunt. 4. Sub libertatis potestate non cadunt, quae transcendunt rationis usum, uti sunt natura, et facultates animae. 5. Bruta libertate carent, quia ratione destituuntur, uti postea videbimus. 6. Nulla est libertas a necessitate intrinseca, infinito bono, et toto clare cognito, quia nullum defectum in eo ratio invenit, et voluntas, veluti eo repleta, illud prosequitur, adprobat, amplectitur, ipsique adhaeret. 7. Dicere, nos liberos non esse in bono in genere prosequendo, est idem ac dicere, liberos nos non esse in tendentia erga bonum infinitum: alioquin diceremus, bonum existere in abstracto, aut libertatem tolli boni finiti repraesentatione. 8. Libertas nec minuitur, nec aufertur, cum ad agendum magno impellimur timore, sed tantum actiones minus imputantur, quia motiva actiones ponendi majora videntur motivis actiones non ponendi. Vide Galluppi (lez. 91.). 9. Si ratio est veluti libertatis radix, patet, infinita Deum libertate donari, quia infinita gaudet intelligentia. 10. Et nos proinde eo liberiores sumus, quo majori studio ad bonum verum tendimus, ac currimus; 11. Et ideo potentia peccandi potius libertatis defectus, quam exercitium, dicenda est, quia peccare est a ratione deficere.

## CAPUT OCTAVUM

### DE ANIMAE IMMORTALITATE.

524. Anima humana estne immortalis? Eritne altera vita, in qua tradetur virtuti praemium, vitio poena tribuetur? Peribitne, vel post corporis resolutionem anima perdurabit? Haec est quaestio adeo momentosa, ut intellectus lumen amisisse

Petrum cras esse peccaturum, duo scit, Petrum nempe cras esse peccaturum, et libere peccaturum; non enim poterit peccare, nisi libere aget. Qui alia cupit de hac materia, quae tamen non facile respondent doctrinae hucusque ab auctoribus traditae, adest laudatum metaphysicum (*Disquis. Novae de Deo l. s. c. 3. et append. ad c. 3.*), qui quaestionem de *libertate humana*, stylo licet subobscuro, nova quadam via examinat, atque philosophice resolvit.

videatur, qui eam contemptu curaret. Ab hujus quaestionis solutione diversa diversi erunt nostri actus, diversa nostra cogitata, diversae ineundae viae. Impossibile videtur, ut uno recte progrediamur gressu, quin ab ideis, quae in hac evolvuntur materia, initium sumamus. Sic fere ajebat Pascal (*Pensées* 2. *part. art.* 2.). In rem itaque ingredimur, quae postremo animam respicit, quaeque simul est veluti totus psychologiae scopus. Spiritualitatem, et libertatem animae sequitur immortalitas. De hac in toto hoc capite proinde disseremus.

525. Ut vero diligentia et claritate, qua possumus, majori, de hac re loquamur, aliqua praenotare oportet. *Vivere* dicitur ens, quod cum existentia suorum actuum principium continet. Sic *vivere* dicitur arbor, quae existit, atque simul vires suas interiores servat, quibus vegetat, frondescit, fructusque affert. *Mori* autem dicitur ens, quod cum actuali existentia illud actuum suorum principium amittit. *Vita* igitur est continuata entis existentia, una cum suorum actuum principio intrinseco; *mors* vero est vitae cessatio. Quare animae *vita* est status ille, in quo ipsa per facultates suas operationes sibi proprias exercere valet, aut actu exercet. *Mors* vero animae, est ille status, in quo ipsa illas sibi proprias operationes neque exercet, neque exercere potest. *Mortale* itaque dicitur, quod vita privari potest, seu quod ad illum statum redigetur, aut redigi poterit, in quo suas exercere operationes nequibit. *Immortale* proinde est, quod non morietur, aut non poterit mori, seu quod semper cum principio suorum actuum perdurabit. Quapropter mortale habet finem, quem non habet immortale; immortale vita perpetua donatur, qua mortale caret. Immortale est *absolutum*, seu *essentiale*, quod adeo interna necessitate existit et vivit, ut numquam in existentia, et vita deficere possit; *naturale*, quod non existit, et vivit quidem necessitate suae naturae, sed neque a seipso, neque ab alia creatura, neque ab ipso sui conditore, servato legum naturae ordine, expoliari potest existentia et vita; *gratia* demum immortale, quod in existentia et vita praeter naturalem rerum ordinem gratuito tantum sui conditoris beneficio perdurat. *Absolute* immortalis est unus Deus, *qui solus habet immortalitatem*, uti scribit Paulus (*Timoth. c.* 6. *v.* 16.); *natura* immortalis dicitur anima humana; *gratia* immortale fuisset corpus Adae, nisi ipse peccasset.

526. Sed estne anima humana *natura* immortalis? Ut anima dicatur immortalis tria omnino requiruntur; praesertim vero, si ideo immortalis sit, ut praemium, aut poenam

recipiat. Primo requiritur, ut reapse post corporis corruptionem in existentia perduret; secundo, ut perduret in statu distinctarum perceptionum; tertio, ut conscia sit sui, praeteriti sui status memoriam habeat, atque hunc statum ad se pertinere pernoscat. Sic Wolfius docet, et quidem recte. Nam nequit praemium, aut poenam recipere, qui non existit; qui, si existat, quid in se contingat, nescit; qui demum praeteritas operationes, quibus praemium, aut poenam meruit, non recordatur.

527. Animae immortalitatem inter veteres pauci, multi inter recentes inficiati sunt; omnes tamen in duas classes possunt dividi; quarum prima omnes illos complectitur, qui animam materialem profitentes, cum corpore etiam perire crocitarunt. Sic inter antiquos sensere Dicaearchus. Aristoxenus, Leucippus, Democritus, Epicurus, cujus futiles argutias collegit Lucretius; inter recentes vero Hobbesius, Tolandus, Voltairius, Helvetius, Lametrius, Mirabeaus, Cowardus. Altera classis eos continet, qui dicunt, ratione animae immortalitatem demonstrari non posse, ideoque ipsam esse *philosophice* mortalem, immortalem *theologice*. Hanc opinionem habuerunt Pomponatius, Clericus, Perrotus, Baylius, Lockius, Mejerus, Puffendorfius, Jurius. Sed utraque classis in errore versata est.

528. Itaque *anima humana est sua natura immortalis*. Haec veritas pluribus probari potest argumentis. Supponimus heic, animam spiritualem esse (§. 437.); ideoque mori non posse per partium, quibus caret, separationem; et proinde *nec secerni, nec dividi, nec discerpi, nec distrahi posse; nec interire igitur* more corporum, ut ait Tullius (*l.* 1. *qq. Tusc. c.* 29.). Quare, si anima periret, periret per sui annihilationem, cum nequeat nisi tota perire. Tria proinde statuenda sunt, ut anima dicatur *sua natura immortalis*, ipsam nempe numquam posse per annihilationem sua existentia expoliari; semper esse habituram distinctarum perceptionum statum; semperque fore consciam status sui praeteriti (§. 526.). Verum anima numquam sua existentia potest per annihilationem expoliari. Siquidem hoc in casu ipsa in nihilum redigenda foret vel a seipsa, vel ab alia creatura, vel a Deo, servato tamen legum naturalium ordine (§. 525.). Sed in primis anima nequit seipsam in nihilum redigere tum quia nequit seipsam creare; tum quia nesciens modum suae existentiae in corpore, modum quoque seipsam annihilandi ignorat; tum quia ipsa annihilans seipsam agere deberet, nempe exi-

steret annihilans, et annihilaret existens, vitamque eo majorem monstraret, quo major impulsus ad se annihilandam requiritur, quod esse nequit. Neque aliquod ens creatum eam annihilare valet, tum quia nullum ens creatum valet annihilare, cum non valeat creare (§. 355. 12.); tum quia animam deberet etiam vita spoliare, quod esse nequit, quia vita est quid animae intrinsecum, in quod ingredi nequit ens creatum; tum demum quia ens creatum nullo modo scire potest modum animae existendi, ideoque neque eam annihilandi. Neque demum, Deus, servato legum naturae ordine, eam potest annihilare, tum quia nullum ens creatum animae non existentiam postulat; tum quia nullum ens creatum, ideoque neque tota creatae naturae virium, et legum collectio eam annihilare valet (§. 355. 13); tum quia corporis resolutio non postulat animae annihilationem, uti neque cujuscumque corporis resolutio ipsius componentium annihilationem requirit; tum quia Deus, ut auctor naturae, agit accommodate ad creaturarum proprietates, et animae proprietas est, ut cogitet, utque vivat; tum quia nullum nobis praebuit Deus signum, quo nosceremus, animam vita rationali praeditam hac vita fore expoliandam.

Sed anima habebitne secundo distinctas perceptiones? Si ipsa existet, uti probavimus, nequibit existere, nisi in statu distinctarum perceptionum; quia nequit existere sine vita, quae in principio suorum actuum reponitur (§. 525.): quaeque haberi nequit, nisi actu illam suorum actuum servet intensitatem, quae suae naturae est propria, uti optime notat cl. Mastrofini (n. 1287. ad 1292.). Demum sui status praeteriti etiam erit conscia; si enim ipsa, soluto corpore, remanet substantia cogitans, et rationalis, remanet etiam cum proprietate statum praeteritum reminiscendi, uti modo reminiscitur, dum in corpore versatur. Imo, cum, soluto corpore, minores sint se distrahendi causae, ipsaque sibi praesentissima sit, majori etiam claritate praeteritorum sui statuum memoriam habebit, uti magis lucescit sol, ablatis nubibus. Unde ait Tullius (*qq. Tusc. l.* 1. *c.* 20.): *Ea profecto tum multo puriora, et dilucidiora cernentur, cum, quo natura fert, liber animus pervenerit: nam nunc quidem quamquam foramina illa, quae patent ad animum a corpore, callidissimo artificio natura fabricata est, tamen terrenis, concretisque corporibus sunt intersepta quodammodo: cum autem nihil erit praeter animum, nulla res objecta impediet, quominus percipiat quale, quidquid sit.* Igitur anima humana na-

tura sua est immortalis. Neque dicas cum Kantio (*Critica della Ragion pura l.* 2. *c.* 1.), animam nostram, quamvis non per solutionem partium, quibus caret, tamen per imminutionem successivam *intensionis* perfectionis in gradu suarum facultatum, posse perire. Nam numquam imminui potest facultatum *intensio*, quia haec cum natura substantiae spiritualis copulatur. Deinde si in exercitio ponatur facultatum illa *intensionis* remissio, haec esset accidentalis, quod non afficeret animae vitam, aut substantiam. Vide Dmowski (*Psych.* §. 21. *Inst.* 2.), et Mastrofini (n. 1318.)

529. Verum alia argumenta nostrae animae immortalitatem probant. Siquidem 1. in natura nil destruitur, nihil annihilatur; sed, corporibus decompositis, elementa nunc hoc, nunc altero modo connectuntur, ut nova efforment composita. An annihilatur anima, quae substantia spiritualis est, ac omnium terrestrium entium creatorum nobilissima; qua homo omnia praestat animantia; quaeque sua natura postulat, ut existat? Ex quo apparet, minime nos sentire cum Bonneto (*Essai anal. sur les fac. de l'âme ch.* 24.), aut Galluppi (*Lez. di Log. etc: lez.* 65. *p.* 83.), hoc argumentum regi etiam in materialistarum systemate; nam uti optime observat Mancino (*Elem. di Fil.* §. 556.), materialistae, qui cogitationem cerebro, aut istius parti, aut ejus cuidam moleculae tribuunt, dicunt etiam, elementa cerebri cum aliis uniri, destructo corpore, ad alia efformanda corpora, ideoque principium cogitans cum homine perire. Quare materialistarum systema animae mortalitatem includit. Nostrum tamen allatum argumentum ex analogia adhuc valet. 2. Entium creatorum vita erumpitur, pedetentim augetur, vires acquirit, evolvitur, quantum satis est, ad perfectionem pervenit, sensim deperditur, conteritur, moritur. Sic vita corporum est vegetantium, sic et vita animantium. Vita autem animae rationalis numquam ad perfectionis apicem, cujus capax esse potest, pervenit; sed indefinite perfici potest. Si enim percipit, si attendit, si reflectit, si intelligit, et ratiocinatur, adhuc alias, et alias res percipere potest; adhuc attendere et reflectere; adhuc alias veritates intellectu et ratione potest acquirere; adhuc hujusmodi facultates perfectionem possunt admittere. Igitur numquam ad perfectionem anima perveniet, numquam proinde cessabit. 3. Ideo nos dicimus, belluas non extituras, cessato homine, quia illae ad animalem hominum vitam diriguntur, quaecumque sit inter se utilitatis relatio. Ast, corrupto corpore humano,

non illico infertur et animam finire, tum quia vita animae non est copulata cum vita corporis; tum quia corpus propter animam efformatur, non anima propter corpus creatur (anima enim dominatur et regit corpus, et corpore est longe nobilior); tum quia vita animae in corpore nec minuitur, nec attenuatur, nec extinguitur, dum in corpore ipsa versatur. Quare rupta unione animae cum corpore istius interitu, non ideo sequitur et animam interire. Igitur anima natura sua postulat, ut post corporis mortem adhuc existat. 4. Homo continuo cupit scire et intelligere res, et causas rerum; optat errores devitare, et veritates detegere; nullo parcit labori, ut phaenomeni rationem internoscat, utque semper idearum suarum copiam augeat. Attamen nulla cognitione, nullaque veritate ejus repletur intellectus. Alterius vitae spe capitur, in futurum mentem convertit, ibique intellectum impleturum confidit. Igitur desiderium discendi alteram demonstrat vitam. 5. Homo tali detinetur felicitatis desiderio, ut non solum quodcumque malum a se semper repellere nitatur, sed ne rerum quidem hujus mundi possessione acquiescat. Imo earum bonitate saepe illusus ad aliud, et aliud bonum indesinenter se convertit, et irrequieto nisu ad aliquod bonum infinitum rapitur. Desiderium itaque felicitatis pro animae immortalitate pugnat. 6. Nemo est, qui ob praeclare facta, ait Storchenau, suavissimo quodam gaudio non perfundatur, sibique ipsi in mente non applaudat; nec vicissim ullus est, qui ob male facta non erubescat, seque culpae reum reprehendat. Igitur tacito quodam naturae ductu impellimur ad sperandum praemium, et timendam poenam; non certe ab hominibus, qui haec nostra non vident, sed a supremo quodam invisibili Iudice. 7. Homo creatus est ob aliquem finem, qui non sit finis aliarum rerum creatarum, quia est finis substantiae rationalis corpori copulatae. An omnia suum habent finem, et non homo? Ad hunc quemcumque sibi praestitutum finem homo dirigatur oportet. Sed quinam iste finis? Non certe creatae terrestris hujus habitationis res, quae nobilitate homine sunt inferiores. Ergo finis est aliquid homine superius et nobilius, quod ejus valeat replere voluntatem ac intellectum cumulare. Hic unus Deus est. Igitur hunc finem anima nostra debet consequi, et consequi numquam poterit, nisi erit immortalis. 8. Ast si nulla animae erit immortalitas, vita praesens erit etiam summum bonum. Igitur, si temperantia, si humilitas, si justitia, si obedientia, si patientia, aliaeque

virtutes corpori meo noceant, mala sunt, fugienda sunt, spernenda sunt; e contra si vitio aliquo corpus fovere, ac servare possim, vitium bonum est, proinde amplectendum, ipsique inhaerendum est. En consectarium materialistarum! 9. Sublata propterea animae immortalitate, tota societas susque deque ponitur. Nisi enim supremus omnia prospiciens judex timeatur; nullum aderit motivum, quo homines ad vitanda scelera impellantur. Quid enim homines cohiberet? Legum, et poenarum humanarum metus? Frustra haec clamant homini scelesto; homini, qui clanculum scelus patrare potest; homini, qui sperat impunitum iri, homini potenti et diviti. 10. Quid vero dicam de consensu omnium gentium, qui hac in re, paucis exceptis (§. 527.), unus est? Vide Storchenaum (*Psych.* §. 248. *sch.*). Recte proinde ait Seneca (*ep.* 18.): *Cum de animarum immortalitate disserimus, non leve apud nos habet pondus consensus hominum, aut timentium aethera, aut colentium.* Vide etiam Mancino (*Elem. di Filos.* §. 566. 567.).

530. Sed adhuc remanet argumentum, ut eorum querela exsuffletur, qui Deum animam in nihilum redacturum dicunt, aut sperant. Ex justitia enim, ex sapientia, ex bonitate et providentia Dei infertur, animam perenniter esse victuram. *Ex justitia* quidem; nam experientia patet, quosdam scelestissimos cumulatissime honoribus, atque bonis frui in hac vita; atque alios justos miseram, aerumnosam, contemptam vitam ducere. Si nullus post mortem superesset status, in quo laetentur pii, ac nocentes vexentur; ubinam, quaeso, erit Dei justitia? Vide hoc argumentum longius tractatum a doctissimo Galluppi (*Lez.* 66. *pag.* 105.), et Mastrofini (*L.* 4. *c* 3. *a.* 5.). *Ex sapientia* autem, quia sapientis legislatoris est, ut legem suam muniat sanctione praemiorum, et poenarum; sed Deus legem naturalem moralem dedit hominibus, quae non est scripta, sed nata lex; hanc itaque legem sanctione munivit. Sed haec sanctio in hac vita non sentitur. Ergo sapientia Dei postulat, ut in altera vita virtus praemium recipiat, vitium vero poenam. Vide Mancino (*Elem.* §. 563. 564.). *Ex bonitate*; nam Deus certe vult, nos beatos esse, uti patet ex ipsius intrinseca bonitate, ex beneficiis, quae hic quoque large concedit, ex voluptate, qua perfundimur, cum aliquo bono potimur. Verum, si nulla erit altera vita, homo magis excruciaretur, quia hujus terrae bona cupiditatem nostram numquam implendam exacuunt, atque timore ea amittendi exagitant. Igitur, ut bea-

titas, quam inhiamus, sit perfecta, semper duratura est. Ex *providentia*; nam haec postulat, ut haud deficiamus mediis, quibus ad virtutem incitemur, atque retrahamur a vitiis, atque recte instituatur, ac regatur societatis status, ad quem et Deus nos condidit. Sed praemia et poenae aeternae sunt aptissima incitamenta ad virtutem amplectendam, et vitium fugiendum. Igitur ex justitia, bonitate, sapientia, ac providentia Dei prono velut alveo descendit, animam humanam esse immortalem.

531. Ex quibus eruitur, non satis probandos esse Stewart (*Esquis. de phil. mor. p.* 2. *sect.* 1. *art.* 1.), et Galluppi (*Lez. di Log. e Met. lez.* 65. *pag.* 88.), qui asseruerunt, nullam ex probationibus esse sufficientem, si sola accipiatur, ad animae immortalitatem demonstrandam; sed eas simul sumptas vim habere sufficientem, ut philosophus, qui veritatem sincere quaerit, sibi persuadeat. Si enim quaevis probatio singulatim sumpta non sufficeret ad hanc ostendendam veritatem, nec omnes sufficerent, quia quaevis vacillans, aut dubia foret. Quare sunt argumenta multa, quae perenniter hanc ostendunt veritatem; uti illud deductum (§. 528.) ex ipsa animae natura; nec non secundum, et alia, quae sequuntur (§. 529.), uti etiam illud, quod ex Dei attributis eruimus (530.). Quare adeo certum est, etiam philosophice, animam humanam esse immortalem, ut naturae rationali nuncium remittere dicendus sit, qui eam audeat inficiari.

532. Ast multi (§. 527.) *animos quasi capite damnatos morte multant*, ut Tullii verbis utar (*qq. Tusc. l.* 1. *c.* 22.). Dicunt itaque 1. animae proprietates haud exigere, ut ipsa sit immortalis; uti ejus creationem non postulabant. 2. Ex eo quod anima a corpore separata possit cogitare, haud sequi, ipsam esse immortalem, cum ad corpus informandum creata sit. 3. Desiderium felicitatis impleri posse per brevem, non per aeternam vitam futuram. 4. Imo ex hoc desiderio nil concludi, cum et divitias et honores, et longaevam vitam optemus, quin nostra impleantur desideria.

533. Verum ad singula respondemus. Ad 1. itaque dicimus, nullum jus habuisse animae proprietates, ut ipsa crearetur, quia antequam haec e nihilo educeretur, illae possibiles erant. Ast data animae existentia, ejus proprietates immortalitatem animae requirunt. Si enim ipsa corpori superstes erit, quia nequit cum corpore perire; sique tendentiae animae, ejusque variae facultates postulant, ut anima

sit post corporis mortem duratura; non perperam dici potest, animae existentis proprietates exigere, ut ipsa sit immortalis.

534. Ad 2. dicimus, corpus efformatum esse, ut animam recipiat, non vice versa; quod patet tum ex eo, quod anima nobilior sit corpore; tum ex eo, quod ipsa corpori praesit, et dominetur; tum demum quia corpus sit veluti animae instrumentum, et vivum permaneat, usquedum in ipso moretur anima. Deinde non ex eo solum deducimus animae immortalitatem, quod separata a corpore cogitare valeat, sed ex existentia, ex distinctis ideis, ex conscientia suae identitatis, quae omnia habituram esse osteudimus (§. 528.).

535. Ad 3. respondemus, duo hac in re esse certissima; nempe hominem natura sua ferri ad beatitatem, hoc est ad statum perfectae voluptatis, et quietis, omnis doloris, et metus expertem; atque hominis desiderium non satiari per terrena haec bona, ut jugi edocemur experientia. Ex quo deducimus, alteram vitam esse exstituram, in qua anima beata esse possit. Haec vero beatitudo amitti numquam potest, alioquin beatitudo dici nequit. Ad rem Tullius (*l.* 2. *de Fin. c.* 27.) ait: „ Si amitti vita beata potest, beata esse „ non potest. Quis enim confidit semper sibi illud stabile „ et firmum permansurum, quod fragile et caducum sit? „ Qui autem diffidet perpetuitati bonorum suorum, timeat „ necesse est, ne aliquando, amissis illis, sit miser. Bea- „ tus autem esse in maximarum rerum timore nemo pot- „ est ...

535. Ad 4. dicimus, nos quidem divitias, honores, ac vitam longaevam optare, sed veluti media ad nostras explendas necessitates; aut veluti quosdam rivulos ex magno felicitatis desiderio fluentes; aut demum, veluti instrumenta, quibus bene utentes merere beatitatem possumus. Si qui sunt, qui hisce bonis inhaerent, experientia edocentur quotidiana, non esse bona illa, quae eorum postulant corda, quae certe non satiantur. Et haec est ratio, cur non pauci in quavis aetate iuveniantur, qui et divitias et honores, ac corporis sanitatem spernunt, meliora et indeficientia bona inhiantes. Ex bonorum terrenorum proinde desiderio nil contra felicitatis probatur desiderium, ex quo animae immortalitas eruitur.

536. Sed iterum opponunt adversarii, dicentes, 1. animam nasci cum corpore; ergo cum corpore perire debet; 2. animam tristitia affici, cum corpus aegrotat; ergo timet mori.

537. Sed ad primum dicimus, animam non nasci cum corpore, neque eodem modo ac nascitur corpus. Corpus per partium coagmentationem nascitur, nascitur per generationem, nascitur, antequam anima creetur (§. 354,). Anima vero, utpote simplex, per creationem dumtaxat oriri potest (§. 458), et tunc creatur, cum corpus ad obeundas vitales functiones aptum evadit.

538. Ad 2. respondemus, non esse mirum, si tristitia afficiatur anima, cum corpus aegrotet, quia anima dum in corpore moratur, impressiones internas et externas in corpore, vel super corpus factas sentit, et experitur. Ipsa dolorem certe sentit, non corpus, quia corpori copulatur. Deinde tristari potest anima etiam ex incertitudine sortis futurae, uti patet ex probissimis hominibus, quos non admodum intensa tristitia vexat, et quorum aliqui dicunt: *cupio dissolvi, et esse cum Christo*. Ex quo patet, illum moerorem animae potius ipsius favere immortalitati. Quare

*Ut tibi mors felix contingat, vivere disce;*
*Ut felix possis vivere, disce mori.*

539. Ast denuo instant increduli. Nam dicunt 1. virtutem esse sibi praemium, vitium sibi poenam; ideoque justitia Dei animae immortalitatem non includit; 2. Deum honorandum esse, ipsique obtemperandum, quin praemium largiri cogatur; 3. imo certo Deum praemium non esse animabus daturum, alioquin nulla esset in altera vita poenis mancipata, uti dicitur.

540. Ad 1. Hoc est coctum, et recoctum incredulorum argumentum. Verum virtus estne praemium sibi? In primis verissimum est, quod cecinit Ovidius (*de Ponto l. 2. eleg.* 3.); nempe

*Non facile invenies de centum millibus unum,*
*Virtutem pretium, qui putet esse sibi.*

Deinde nimis misera foret virtus. Ecquis enim diceret, in hominum commendatione, in nominis celebritate, in conscientiae pace praemium accepisse eos, qui mortem pro patria, aut Dei amore subierunt? Et nonne saepius latere solet virtus? Ubinam tunc commendatio, et celebritas? Et nonne saepe justi timore assequendi iniquorum sortem, scrupulis-

que vexantur? Nonne multi sunt pii homines, qui morbis cruciantur, calumnia mordentur, probris afficiuntur, rerumque inopia premuntur? Quot dolores sentire, quanto timore agitari, quot curis tabescere, quantam diligentiam adhibere non debent homines justi, ut justi sint? Et virtus quomodo juste potest praemio affici, si ejus ignoretur intensitas, et saepe cum fucata ab hominibus confundatur? Et quodnam praemium recipient, qui pro patria aut pro Deo heroice agunt, atque mortem appetunt? Si moriantur, neque ipsorum superstites erunt animae, nescio quid praemii illi sentire possint. Sed quaenam virtus esse potest sine animae immortalitate (§. 529. n. 8.)? Quomodo justos, et non stultos potius vocabis eos, qui sine spe aeternae vitae in hac terra virtutem exercuerunt? Et nonne pax illa justis interna ab hac spe potius dimanare dicenda est? Sed quid de iniquo dicam? Vitium non semper, uti par est, punitur. Plectunturne satis, qui supremum numen rident, spernunt, negant, quique simul naturae, ac societatis leges perfricta fronte abrumpunt? Quid si claneulum sunt scelera patrata? Quaenam tunc infamia, et vituperatio? Deinde non omnia crimina punit societas; nec omnes probrosi conscientiae morsibus lacerantur; imo aliqui eo feliciores se aestimant, quo magis obdurati sunt. Et nonne multi fuerunt iniquissimi homines, qui divitiis, et honoribus cumulati sunt? Ast si vitium esset sibi poena; quanam, quaeso, justitia criminosos puniret societas? Quamnam ferrent poenam, qui sceleribus scelera copulantes in scelere patrando emorirentur? Imo si vita perenni anima non gauderet, vitii nomen non existeret (§. 529. n. 8.), ant fortes, generosos, bonos vocabis scelestos. Nec isti conscientiae stimulis turbarentur, qui ex idea poenae aeternae persaepe proficiscuntur.

541. Ad 2. non inficiamur, Deum supremo, quo in res omnes potitur, dominio, posse virtutum exercitium ab hominibus sine remunerationis spe postulare. Summa enim potestate, summaque pollet dignitate, qua meretur et coli, et honorari, et amari, et timeri. Verum, inspecta ejus justitia, sapientia, bonitate, ac providentia, nec virtutem sine praemio, nec vitium sine poena relinquit (§. 530.).

542. Ad 3. supra vidimus (§. 530.), Deum velle omnes esse beatos. Verum multi sunt, qui leges laedunt, quas observare tenentur, naturae ordinem evertunt, voluptatibus indulgent, atque pessime sua abutentes libertate, quaecumque per summam audaciam patrant scelera. Dei bonitas

omnes vult beatos, Dei justitia scelestos punit. Quaenam haec esset bonitas, si indiscriminatim bonos et malos praemio afficeret? Nonne bonitas sapientia regi debet, ut justa sit? Igitur non est, cur negetur in altera vita praemium bonis, uti poena iniquis est tribuenda. Boni simus, justi simus, pii simus, et praemium certo certius recipiemus.



# APPENDIX

## DE BELLUARUM ANIMABUS

543. Magna procul dubio ratione cum rebus in hac Psychologia cribratis haec de belluarum animabus tractactio colligatur. De rebus enim agitur aeque simplicibus, aeque creatis, aeque rationis naturalis ductu detectis. Imo non parum ex illa in hanc dimanare potest luminis, cujus dumtaxat ope inter densissimas tenebras aliquid veri respicere valemus. Ita et ipsi egerunt anatomes, et physiologiae tractatores, qui, hominum corporum organizationem, et functiones vitales cum brutorum corporum organizatione et functionibus comparantes, comparatam condiderunt anatomiam, et Physiologiam.

544. Sed habentne animas etiam belluae? Suntne istae animae facultatibus, et proinde illa donatae natura, quibus animae potiuntur humanae? Quaenam est earum vita, cum illorum corpora quocumque modo destruuntur, et pereunt? Hujusmodi quaestiones magnos quidem viros fatigarunt, eorumque detorserunt ingenia; ast nondum, uti par est, dilutae videntur. Dicemus et nos, quod illi cognoverunt.

545. Relictis materialistis, qui de materia tantum sapere videntur; in quatuor classes dispesci possunt, qui de brutorum animabus aliquid opinati sunt. *Prima* est illorum, qui bruta pura automata aestimantes, nullum in illis cogitandi, aut sentiendi principium admiserunt. Sic credidere Diogenes Cynicus, Pherecides, Seneca, multique ex Stoicorum familia; sic dein Gomezius Pereira in sua *Antoniana Margherita* edita a. 1554.; sic demum Cartesius, Legrand, Darmansonius, Malebranchius, Purchotius. *Secunda* est opinio scholae Peripateticae, quae a pluribus usque fere ad nostra tempora retenta fuit, quaeque retur, belluas habere animam sentientem, eamque esse materialem. *Tertia*, quae valde communis est, docet, animas belluarum sentientes esse, ac immateriales. *Quarta* classis tandem putat, belluarum animas etiam reflexione et ratiocinio, licet non eodem gradu ac hominum animas, donari. Hoc placuit Condillacho, Darwinio, Francisco Suavio, aliisque.

546. Quapropter quaerendum est 1. utrum bruta sint pura automata, seu utrum animas habeant; 2. utrum hu-

jusmodi animae sint simplices; 3. utrum aliquod discrimen inter hominum, atque brutorum animas intercedat; 4. quodnam fatum brutorum animae sint habiturae. A prima quaestione resolvenda incipiamus.

547. *Bruta non sunt pura automata.* Nam 1. sensatio certe non est corporis, aut cujusvis machinae, uti alias probavimus (§. 430.); sed bruta sensationes experiuntur. Siquidem colores saepe distinguunt; vocem, et sonos audiunt; odores non raro percipiunt; ciborum sapores degustant; calorem et frigus omnia fere sentiunt; dolent, laetantur. An canis baculo percussus non magis dolet, quam arboris truncus, qui caeditur? An ipse laetatur, si esurienti magna carnis portio projiciatur, veluti arbor, ad cujus radices stercora rusticus depouit? An sus cultro jugulatus aeque dolorem sentit, ac horologium, cujus rotulae violenter disrumpuntur? Igitur bruta non sunt pura automata, sed animas habent. 2. Belluae plurimae, praesertim quae perfectiores vocantur, habent quinque organa sensoria nostris simillima, nervos a singulis organis ad cerebrum exporrectos, cerebrum ejusdem conformationis cum nostro. Verum haec omnia non alia ratione homini donata sunt, nisi ut impressio ab externis objectis facta in organa sensoria ab anima sentiatur (§. 365.). Ergo et brutis tributa sunt, ut sentiant. Nonne revera objecta externa in eorum organa agunt? Nonne motus nervorum ope ad cerebrum propagatur? Nonne illico brutum sentit? Si tu caedas, aut nexu liges nervum bruto, nihil amplius certe sub ligatura sentit (§. 374: n. 3.). 3. Si automata forent bruta, proportio inter causam et effectum, inter vim causae moventis, et motum communicatum videretur. Sed quaenam proportio inter e. g. particulas e floribus emissas, et varios motus apis, quae ex alveo egreditur, assurgit, vadit, redit, circuit, apte ad flores sibi convenientes se dirigit, varia itinera percurrens non errat, ad alvearium revertitur, propriam mansiunculam invenit, ibique collectam cruribus ceram accommodat? 4. Si automata forent bruta, profecto in iisdem circumstantiis eosdem producerent effectus; sed contrarium docet experientia. Nam si videt e. g. canis dominum venationis arma sumentem, illico prosilit, laetabundus exultat, signisque innumeris monstrat, se admodum oblectari, quod non facit, si extraneus arripiat arma. Eadem est causa physica, ac eaedem sunt circumstantiae, diversi tamen sunt effectus. 5. Si bruta sunt machinae affabre factae, certe in quiete vel motu posita non

moverentur, aut quiescerent, nisi a causa externa ad motum impellerentur, aut ad quietem redigerentur. Oppositum vero docet experientia. Certe equus in stabulo clausus, mane adveniente, si januam reclusam videat, egreditur, nunc huc, nunc illuc mira currit velocitate, offendicula devitat, sistit, currit denuo, domini vocem non audit, adstantium rumore non detinetur, demum ex se ad stabulum regreditur, atque a domino tacitus fraenum recipit. Patet itaque, bruta non esse pura automata, ideoque animam habere.

548. Contra tam indubiam veritatem aliqua tamen scrupula militare videntur. Dicunt nempe Cartesiani; 1. Deum certe potuisse efficere, ut bruta, licet sint pura automata, cunctas suas functiones peragerent; 2. homines plures efformasse machinas, quae volarunt ut aves; natarunt ut anates; luserunt ut homines; aliqua mira effecerunt, quae hominibus tribuimus; 3. quasdam plantas, ut sensitivam, et retimuscam, et alias, sensibilitatis signa exhibere, quin sentiant; 4. miseras fore bestias sine culpa, nisi forent pura automata, quia dolores, sine culpa sentirent.

549. Sed ad primum respondemus, hic non de eo, quod Deus facere potuisset, nos loqui, sed de eo, quod reapse fecit. Verum Deum non fecisse bruta pura automata, patet ex eo, quod bruta more artificialium automatum non agant. Imo animose asserimus, Deum non potuisse efficere, ut bruta essent pura automata, et simul functiones, quas peragunt, peragerent. Cum enim multae brutorum operationes, uti vidimus (§. 547.), mechanicas leges haud sequantur, imo eas continuo perrumpant, certe aut alias mechanicas leges, quas ignoramus, brutis Deus praestituit, aut bruta semper hujusmodi notas leges violant. Primum vero esse nequit, quia leges mechanicae ex materiae natura, seu ex inertia, extensione, impenetrabilitate derivantur; et omnes, quaecumque sint, ad motum reducuntur; secundum autem, quia ordinem naturae bruta turbarent.

550. Ad 2. dicimus, multa, quae de machinis narrantur, esse conficta, cum nulla certa constent historia. Deinde illa, quae machinis tribuuntur artificialibus, perficiuntur etiam a brutis, sed non omnia, quae a brutis fiunt, a machinis umquam sunt effecta. Insuper omnes machinarum operationes facili negotio per leges mechanicas explicantur, quas constanter sequuntur; non ita vero est de brutis. Certe machinae, quaecumque sint, non praecavent offendiculum, aut scrobem, non inflectunt iter, non sistunt, non transiliunt,

sed pronae in foveam incidunt, atque in offendiculum incurrunt. Haec tamen bruta devitant.

551. Ad 3. idem fere dicimus, ac in antecedenti responsione, quia et plantae quaecumque materiae leges sequuntur, quin necesse sit, ut in ipsis animam sensitivam, uti Bonneto placuit, admittamus. Deinde quaedam brutorum, et vegetantium species ita inter se ad invicem accedunt, ut difficile admodum sit judicare, ad quod genus pertineant; uti est polypus aquae dulcis, et sensitiva, et *zeophyti*, quasi plantae animales, dicuntur.

552. Ad 4. demum respondemus, belluas multo minus pati, quam prima fronte videatur; cum in futurum non porrigant attentionem, et reflexionem; mala majora non imaginentur; ipsa quae sustinent, diu duratura non praevideant. Deinde brutorum dolores voluptatibus compensantur, quarum sunt capacia, et quibus perfruuntur absque ullo merito. Quare, alternantibus sensationibus gratis et ingratis, potest dici majores esse ingratis gratas.

553. Sed cujusnam naturae sunt hujusmodi brutorum animae? (§. 546.). *Sunt omnino simplices.* Siquidem 1. sensatio non potest inveniri nisi in simplici substantia (§. 430.); sed animae brutorum sentiunt (§. 547.); igitur simplices ipsae sunt. 2. Bruta procul dubio dominum suum ab extraneo distinguunt, uti videre est in equis, in canibus, atque in aliis domesticis belluis; illos distinguunt, qui alimenta ipsis praebent; distinguunt vocem, qua vocantur, a voce, qua ejiciuntur; escam ab esca, herbam ab herba, aquam ab aqua secernunt; inter duas vias in eumdem locum ducentes breviorem, et commodiorem eligunt, ac errorem corrigunt, si viam erant ingressa non propriam; ad trivium pervenientia, explorato uno et altero tramite, animadversoque odoratus ope, neutro feram fugisse, tertium sine nova indagine ingrediuntur. Verum secernere rem a re, unam amplecti sibi aptiorem, inter tres unam seligere utiliorem, sunt operationes, quae materiae quomodocumque organizatae nequeunt convenire, cum haec quoddam judicium saltem supponant (431.). Igitur brutorum animae simplices esse debent. 3. Bruta certe memoriam habent; recordantur enim apes alvearium, ad quod redeunt, postquam longissime in prata avolarunt; hyrundines, transacta hyeme, ex longinquis regionibus revertentes, prioris anni nidos repetunt; domestica bruta sine duce ad ovile, ad stabulum, ad domum redeunt, imo saepe duces sunt ipsis hominibus; belluae silvestres cryptas suas, et ca-

vernas reminiscuntur; res alias visas licet a multo tempore in memoriam revocant, uti canis Ulyssis, qui dominum post annos viginti cognovit; deinde imaginatione gaudent, ac somniorum signa in canibus, in equis, in simiis, aliisque belluis deprehendimus. Sed memoria et imaginatio sunt substantiae simplicis facultates (§§. 394. 399.). 4. Affectibus agitantur bruta; ipsa enim aviditate pabulum quaerunt; praedam rapiunt; irritata, inflammato vultu, arrectis pilis, candentibus oculis, excandescunt; raptis catulis, doloris, ac tristitiae signa edunt, *qualis populea moerens philomela sub umbra*; propter cibum et venerem pugnant; erubescunt, si damnum aliquod attulerint; aliqua sua invanescunt pulchritudine; filios amant et defendunt; saepe ulciscuntur, si verbera ab homine receperint. Verum affectus sunt status animae, et non corporis, quia ideas boni, malique, seu utilis et noxii supponunt. 5. Bruta educationis, et instructionis capacia se ostendunt; nam equi ad ambulandum, canes ad venandum, aves ad canendum, et alia ad saltationem, et ad ludos instruuntur: verum anima tantum instructionis et educationis est capax, quia ad hoc requiritur, ut memoria ideae alias habitae retineantur, atque denuo praesentes sistant. 6. Bruta aliqua societatem ineunt, atque unum inter se ducem eligunt, qui regat, uti videre est in formicis, apibus, simiis, piscibus, avibus, ibicibus, muribus alpinis; quod certe intelligi nequit, quin in ipsis substantia admittatur, quae simplex, atque aliquo modo praevidens quoque sit. 7. Quoddam analogum rationis in brutis reponendum esse quoque videtur, quod in eo consistit, ut in similibus circumstantiis posita eosdem expectent, sperent, timeant effectus (§. 392.). Sic canis videns herum truci vultu elevantem baculum fugit cum ejulatu, quia timet verbera, quae alias cum dolore expertus est; e contra, si quoties ad datum locum panem recepit, eodem cum domino adventans panem ab illo expectat. Neque vero qualecumque rationis analogum sine substantia simplici, quae in hisce casibus similes expectat effectus, potest intelligi.

554. Sed dicunt Peripatetici, serpentis cauda obtruncata, istam adhuc moveri; polypum aquae dulcis in plures partes dissectum in totidem polypos abire; aliquas belluas, ablato capite, adhuc vivere. Ex quo concludunt, animas belluarum esse materiales.

555. Verum respondemus, serpentis obtruncatam caudam quosdam motus vitales praeseferre post abscissionem; qui motus tantum irritabilitatem, quae vegetabilibus communis

est, quaeque seusim extinguitur, probant, non vero sensibilitatem. Polypi aquae dulcis, uti multi putant, sunt involucra quaedam, in quibus multa animalia continentur, aut germinum involucra capacium alios polypos producendi, in quibus animas Deus creat, juxta statutas a se leges; uti eas hominum corporibus efformatis infundit. Belluae, quibus caput abscinditur, vivunt parum temporis, aut si diu vivunt, sedem animae non habent in cerebro, quod certe non repugnat (§. 464.).

556. Neque dicas, ex animarum brutorum simplicitate erui posse, et ipsas esse spirituales, uti sunt animae humanae; aut saltem istas cum illis idem esse habiturum fatum. Nam primum erui non potest, quia ad spiritualitatem requiritur voluntas libera, et ratio (§. 436.), quibus, uti videbimus (§. 557.), destituuntur belluae. Nec alterum potest erui, quia animarum hominum immortalitas requiritur a desiderio felicitatis, et sciendi, ab attributis Dei, atque ab aliis fundamentis, quae de brutis statui nequeunt. Deinde nihil, uti postea dicemus (§. 564), decerni potest de brutorum animarum statu futuro, quem certo scimus de hominum animabus.

557. Sed in quo praecise animae brutorum ab hominum animabus discriminantur? *Multae sunt notabiles differentiae*. Nam 1. non eodem modo animae brutorum, neque eadem objecta ac hominum animae sentiunt. Caelum e. g. sideribus ornatum non commovet bruta, imo in aliquibus ne quidem caeli idea initialis habetur; aquam tantum bruta generice degustant, homines vero fere omnes liquores; aliqua bruta non omnes quinque sensus, ut homines habent; fibris diversis aliquorum corpora fabricantur. 2. Brutorum judicia sunt semper singularia, atque objecta apta ad suos appetitus explendos semper respiciunt; ast nullum possunt judicium efformare de rebus abstractis, et universalibus, aut cujus attributum ideam universalem exprimit; sed homines similitudinis relationem intuentur; identitatem objectorum introspiciunt, species, genera, aliasque sibi cudunt ideas universales. 3. Memoria brutorum circa res, quas saepe adhibuerunt, saepe viderunt, et audierunt, et quarum utilitatem experti sunt, versatur; parentes enim brutorum fere post alium partum filios primos obliviscuntur, ac relinquunt, licet in eodem maneant ovili; saepe dominum mutant, et primum non recordantur; memoria voluntaria prorsus carent, quae humanarum cognitionum thesaurum constituit; imaginatione utuntur circa res mere

sensibiles, atque visas, auditas, gustatas, odoratas, tactas; homo vero imaginatione componit ideas vivide reproductas, artes politiores creat, in futurum transgreditur. 4. Bruta, quid faciant, saepe non intelligunt; ita passer nidum sine mare efformat; mirmicoleon conum in arena sine utilitate componit, uti horologium in meo cubili horas indicat, licet nullus sit, qui audiat; gracilla lapillis in nido suo repositis sine ulla spe incubat; formica granum colligit, quin eo unquam forsan utatur, quia in hyeme frigore correpta manet; homines vero aliquem sibi finem semper praestituunt in suis operationibus, et nullus illorum agit, nisi propter aliquem finem. 5. Bruta constanter eodem modo actiones edunt: hyrundo e. g. Mogoli nidum efformat, uti hyrundo in Italia; argumentosa apis cellulas componit in Italia, uti alia in India; canis ubique eodem modo allatrat, leo rugit, equus nitrit, bos mugit; numquam perficiunt domos suas castores; formica tempore industrior non est facta; nullum novum inventum fecerunt bruta, ut suas melius explerent necessitates; non novas excogitarunt insidias ad praedam arripiendam; non nova arma sibi compararunt, ut defenderentur; non linguam, non scripturam, non artes politiores aut invenerunt, aut didicerunt. Haec vero homines potuisse, et posse etiam nova excogitare, acquirere, invenire, efformare, quotidiana docet experientia. 6. Demum ratione et libertate, quibus homo pollet, carent bruta. Carent quidem ratione; nam signa rationis sunt acquisitio scientiarum, artiumque, earum praesertim, quae ideis, aut principiis universalibus innituntur; diversus operandi modus pro diversa aetate, et quidem perfectior in perfecta aetate; excogitatio novorum inventorum pro utilitate propria, aut speciei. Sed bruta non ediscunt abstracta, uti scientias mathematicas, et metaphysicas; operantur in quavis aetate eodem modo, nidulos semper eadem materia et eadem forma conficiunt, eodem modo edunt cibos, eodem modo sonos inarticulatos emittunt; nullas novas artes, nullas scientias, nulla instrumenta, nullas regulas invenere. Carent vero libertate indifferentiae, tum quia haec libertas rationem, qua destituuntur, supponit; tum quia justitiam, et injustitiam, bonitatem et malitiam moralem non capiunt; tum quia ad auctorem suum, et ad officia nequeunt se attollere; tum quia meriti et demeriti sunt incapacia. Recte paucis haec omnia complectitur Tullius (*l. 1. de off. c. 4.*) „ Inter hominem et belluam „ hoc maxime interest, quod haec tantum quantum sensu „ movetur, ad id solum, quod adest, quodque praesens est,

„ se accommodat, paululum admodum sentiens praeteritum „ aut futurum. Homo autem, quod rationis est particeps, „ per quam consequentia cernit, causas rerum videt, earum- „ que progressus, et quasi antecessiones non ignorat, simili- „ tudines comparat, et rebus praesentibus adjungit, atque „ annectit futuras, facile totius vitae cursum videt „.

558. Sed opponunt, qui se belluis assimilant. 1. Ratio, cur belluae non loquantur, est repetenda a constitutione organorum, quae diversa est in homine. Ergo si eamdem haberent organizationem, intellectu, et ratione gauderent. 2. Belluae educantur et discunt, et quidem aliquae facilius, difficilius aliae, uti videre est etiam in hominibus. 3. Quaedam belluae objecta reapse comparant, judicia efformant, atque ex duobus cognitis tertiam deducunt ideam, uti canis in trivio positus, qui, duabus examinatis, tertiam ingreditur viam.

559. Sed ad 1. dicimus, jam nos demonstrasse non in una externa, aut interna corporis constitutione consistere discrimen belluas inter et homines. Deinde falsum omnino est, rationem, cur bruta non loquantur, esse repetendam ab organorum constitutione, quae diversa dicitur in homine. Nam in aliquibus saltem brutis organa sunt apta ad loquendum, uti in psittacis, picis, sturnis. Imo aliquando verba prolata sunt ab equis, uti refert Bomar, et canibus, uti narrat Wolfius apud Mastrofiui (*L'anima ecc.* §. 1412.). Attamen non loquuntur. Imo saepe bruta domestica audiunt inter se homines colloquentes, quin intelligant, aut loqui addiscant. Quare porro hoc, nisi quia verborum ideas non intelligunt, ideoque quia intellectu et ratione carent? Si aliqua bruta organa apta habeant, sique opportunitas sermonem addiscendi saepe ipsis offeratur, si objecta verbis expressa saepe praesto sint, quare non loquuntur? Deest nempe ipsis facultas intelligendi, et ratiocinandi, quae verborum copiam auget, atque a verbis etiam augetur.

560. Ad 2. respondemus, belluas instrui quidem, sed post multa verbera, ac longo tempore, et circa ea solum, quae omnino singularia sunt, ac sensibilia. Ad haec vero addiscenda sufficit illa memoria, illa imaginatio, illudque rationis analogum, quae et in belluis recognoscimus (§. 553.). Revera belluarum institutores illum docendi modum tenent, qui praeter sensum, memoriam, et imaginationem aliud non postulat.

561. Ad 3. Judicia, et comparationes, et quaecumque ratiocinia, quae specie ratiocinia sunt, brutis tributa, de rebus sunt singularibus, quae eorum animarum non superant acti-

vitatem. Canis in trivio positus odoratu viam a lepore, aut a domino peractam distinguit, quin ratiocinium compleat.

562. Quare animae belluarum interno, ac essentiali discrimine ab hominum animabus differunt, quia diversis potiuntur facultatibus, aliisque carent, quibus homines pollent. Hinc absurda reputanda est opinio illorum, qui putide docent, bestiarum corpora ab infelicibus geniis animari; tum quia belluae meliori modo ac homines, ratiocinia componerent, tum quia cacodaemones sunt substantiae ex se completae, uti Revelatio docet. Sed simul absurda est sententia Helvetii, Gall, Broussais, qui docuerunt, homines a brutis sola externa differre organizatione, aut cerebri mole, aut manibus, et pedibus. Imo bruta sunt, quae organis auctioribus ornantur, quam homines; nam

*Nos aper auditu, lynx visu, simia gustu,*
*Vultur odoratu praecedit, aranea tactu.*

563. Quid vero statuendum est de brutorum *instinctu*, quem aliqui vocabulum inane et a scholis ejiciendum reputarunt, alii autem ad caelum extulerunt? Instinctum illum animalium motum vocamus, qui fit ex mechanico impulsu absque ulla animae advertentia, et cujus ope saepe imminens evadimus periculum, aut alicui satisfit necessitati (1). Bonnetus, Condillachus, Darwinius, Franciscus Soave (*Psic. sez.* 2. c. 6.), Mastrofini (*L'anima ecc.* §. 1408.) instinctum rejiciunt, atque actiones, quae instinctui tribuimus, ab experientia, ab habitudine, a reflexione repetunt. Ast oppido falluntur. Dicant enim, quaeso, quisnam aves artificiali calore industria humana ab ovis eductas edocuit nidulos efformare, quos non viderant, et conficiunt? Quamnam experientiam adhibuere aves, apes, araneae, ut suos nidulos componerent, cellulas conderent, texerent telas? Undenam pisces, et reptiles illico didicerunt easdem, ac alii actionum series ponere? Quanam habitudine infantes hominum ora movere intellexerunt, ut lac sugerent, ac alios mittere motus, ut illud deglutirent? Nonne natura impellente, et nos, fallente pede, manu nitimur sine ulla reflexione? *Quel lavorare il bozzolo, e serrarvisi nei*

(1) Aliqui distingnunt *instinctum* in *mechanicum*, quem ponunt in musculis, et fibris relate ad sanguinis circuitionem, et ad digestionem; et in *animalem*, quem constituunt in voluptatibus, et doloribus relate e. g. ad escam, ad potum, ad somnum; huncque distinguunt in *concupiscibilem*, quem ponunt in voluptatibus relate ad famem, sitim, amorem physicum; et *irascibilem*, quem statuunt in doloribus relate ad motus, clamoresque ex occasione rei noxiae.

*vermi da seta è necessità e progresso d'interno stato*, ait Mastrofini. Ast illa necessitas interni status, et non progressus, cur nequit dici instinctus? Videatur Gioja (*Ideol. part.* 1. *art.* 2.), Paulus Costa (*Del modo di comporre le idee c.* 7.), Maucino (*Elem. di Fil.* §. 539.). Ceterum et nos concedimus, experientiam adjuvare instinctum; sed negamus, ab experientia oriri operationes, quae Dei adsistentiae in sensu Cartesiano tribuendae forent, ni instinctui tribuamus.

564. Quid demum (§. 546.) sentiendum sit de fato brutorum animarum post eorum corporum corruptionem, non facile est statuere. Sunt, qui putant ipsas transmigrare de corpore in corpus; sed haec sententia nullo fulcitur fundamento, et metempsychosim (§. 456.) in vitam revocaret. Alii docent, ipsas annihilari a Deo; ast neque haec videtur admitti posse sententia, quia nullum ens simplex a Deo annihilatur, cum corpora in elementis suis adhuc persistant (§. 429. n. 1.). Tenent alii, hoc se ignorare, nec brutorum animarum fatum intelligi aliquando posse; sed haec sententia dubium relinquit, utrum annihilentur, necne. Opinamur et nos cum ipsis. Nam duo nobis constant, nempe animas brutorum esse simplices, ideoque non posse mori, nisi per annihilationem; atque ipsas ratione et libertate carere; ideoque nullum meritum, nullumque habere demeritum; nullum proinde merere praemium, nullamque poenam. Quare nescimus. ad quid eas servaverit Deus, nisi annihilet; nescimus simul ad quid eas annihilet, cum corporum elementa in nihilum non reducat. Vide de his Gerdilium, Spagnium, Del Giudice, sed praecipue opus recens P. I. S. de Breyne (*Pensées d'un croyant Catholique* in articulo: *Notice sur l'ame des bêtes*).

565. Finem huic praecipuae philosophiae rationalis parti, quae psychologia vocatur, imponere in animo est, juvenes solertissimi. Quantae veritates, et quam pulchrae, quam certae, quam utiles in ipsa veluti collectae non reperiantur? Cognitis praecipuis animae operationibus in logica, in prima hujus Psychologiae sectione ad varias illius facultates examinandas sumus progressi. Statuto prius ordine, quo ipsae evolvuntur in humana anima, earum ope in secunda sectione de animae natura, et essentia, quam in actuali cogitatione haud esse repositam diximus, licet in perenni cogitatione anima versetur, egimus. Multa dein argumentorum serie maxima, qua potuimus, claritate proposita, animae nostrae simplicitatem et spiritualitatem contra materialistas vindicavimus. Enucleata sic animae natura, ejus originem perquirentes, per

creationem ortum habuisse, apto jam corpore ad functiones vitales obeundas, statuimus, refutatis hac de re nonnullis opinamentis. Distincta sic animae natura et ortu, a natura et ortu corporis, de ejus sede, quam habet in corpore, disquisivimus, atque, ea in cerebri medio statuta, mirabilem nexum, quo eadem anima corpori heic copulata manet, quantum recentes permisere doctrinae, enucleavimus. Ideis praeterea innatis exsufflatis, in cudendis omnibus suis ideis animae vires, quas perenniter exerit, expendimus. Hinc ad propugnandum, omni argumentorum genere, liberum arbitrium, quo domini nostrarum actionum efficimur, et sumus, atque, si velimus, felicitatem, quam unusquisque inhiat, possimus acquirere, contra fatalistas processimus, nil in hac re fere desiderandum relinquentes. Ad capitalem philosophiae veritatem, quae et Religionis dogma est, quaeque animae vitam respicit perennem, demum accessimus, eamque ab incredulorum saepe recoctis argutiis asseruimus, vindicavimus, defendimus. Quoniam vero maximo copulatur nexu cum re psychologica de brutorum animabus tractatio; ideo eam, summis licet labiis, heic adneximus, atque belluinas animas, quamvis ab humanis essentialiter distinctas, simplices demonstravimus, atque instinctu in suis actibus fere semper ductas. Eja igitur, juvenes ad magna vocati, totam hanc rem omni excolitote conatu, omni fovete studio, ac in sanguinem et succum, uti dicitur, convertite. Rem magnam postulamus, si veritates in hac Psychologia detectas consideretis; sed parva est, si quantum, auxiliante Deo, potestis, in mente recogitetis.



# DE IDEOLOGIA SPECULATIVA

## PARS SECUNDA

SEU

## COSMOLOGIA

566. Jam innuimus (§. 357.), alterum nostrae cognoscendi facultatis objectum esse mundum. Verum de mundo duplici modo possumus disserere, nempe aut veluti abstrahendo ab hoc adspectabili, et sensibili mundo, eaque evolvendo, quae mundo generice sumpto conveniunt; aut speciatim de hoc agendo, eaque perpendendo, quae in mundo hoc existunt, eorumque proprietates. Hoc in secundo sensu mundus acceptus est Physicae objectum, in altero vero est Cosmologiae; quae proinde, a duabus graecis vocibus orta, *sermonem de mundo* significat, nomine accepto a Pythagora, qui *cosmos*, seu ordinem, mundum appellavit (§. 31.). Hoc in posteriori sensu et nos mundum accipimus. Ideologia enim circa fundamentales, atque universales rerum sensibilium proprietates animam nostram dirigit, et componit (1).

567. Primus omnium Christianus Wolfius de mundo doctrinam in rationalem invexit Philosophiam; eamque utilissimam omnes aestimarunt philosophi, tum ut de universo, ejusque legibus generalem cognitionem acquiramus, tum ut hac cognitione suffulti facilius ad causam primam assurgamus. Hanc philosophiae partem recentiores Ideologi omiserunt, uti alias utiliores veritates; plura vero in ipsa Wolfiani tractarunt inutilia. Restituta tamen in suum locum hac di-

(1) Kantius, posita distinctione inter *noumena* seu objecta intelligibilia, et *phaenomena*, seu apparentia objecta externa, statuit, mundum acceptum in suo toto complexu absoluto esse meram *rationis purae* ideam, nulloque modo ejus existentiam evinci posse. Quare Kantiani, rejecta parte, quae agit de toto complexu absoluto, quaeque *Cosmologia* dicitur, de sola pertractant mundi sensibilis metaphysica, quam *philosophiam naturae* appellant.

sciplina, omissisque inutilibus quaestiunculis, plures enucleandae sunt veritates, pluraque principia statuenda, quae naturali Theologiae, veluti fundamenta, inserviunt. Haec omnia in quatuor capitibus nos exolvemus. Agemus proinde in primo de mundi existentia, in secundo de mundi origine, in tertio de fine et perfectione mundi, in quarto tandem de effectibus, quos in mundo respicimus.

## CAPUT PRIMUM

### DE MUNDI EXISTENTIA

568. De mundi existentia inquirentes, plura expendere debemus. Nam quaeri simul potest, 1. utrum existant, quae in mundo videmus, audimus, olfacimus, degustamus, tangimus; 2. quaenam sint, ex quibus haec omnia primitus coalescunt; 3. quibusnam legibus regatur mundus; 4. quidnam sit statuendum de fato. Quatuor proinde in articulos hoc caput dispescimus.

## ARTICULUS PRIMUS

### DE EXISTENTIA RERUM, QUAS IN MUNDO EXPERIMUR.

569. Duo heic inquirenda se offerunt, nempe utrum reapse existant corpora, quae in nostri corporis organa sensoria agere sentimus; et utrum, praeter corpora, aliae existant in hoc mundo substantiae. Verum hanc alteram inquisitionem heic ultro praeterimus, quia satis superque in antecedenti Ideologiae parte animarum hominum, et brutorum existentiam statuimus. De Deo in sequenti loquemur parte. Theologis demum de Angelis, aliisque spiritibus tractatum relinquimus, cum de rebus agatur, quae Revelatione fulciuntur. Quare tota nostra haec disceptatio circa corporum existentiam versatur.

570. Cum de corporum existentia inquirimus, haud solliciti erimus de modo, quo puer corporis ideam acquirit. Nam quaecumque fuerit ratio, qua corporis ideam adepti sumus; nunc proculdubio persuasi vivimus, corpora reali existentia donari. Quare dumtaxat quaerimus, utrum de reali

corporum existentia per demonstrationem suaderi possimus. De modo, quo corporis ideam acquirimus, vide Suavium ( *Ontol. sez.* 1. ).

571. Sed quid corporis nomine intelligimus? Hic sufficit ideam de corpore magis obviam tradere, tum quia de ejus essentia disputatur; tum quia hic de corpore loquimur, uti nobis videtur. Nominalis definitio satis est, ne in ambiguo inhaereamus. Corpus definimus *objectum quodcumque extensum*, *resistens*, *impenetrabile*. Quare corpus distinguimus a *materia*, quam dicimus *elementa illa*, *ex quibus corpus coalescit*. In corpore aliae *primariae*, aliae *secundariae* qualitates distinguuntur. Illae proprietates corporis *essentiales*, istae vero sunt qualitates *sensibiles*. Inter primarias corporis proprietates recensentur *extensio*, *inertia*, *impenetrabilitas*, *gravitas*. *Extensio* duplici in sensu accipi potest, nempe in sensu *relativo*, et *absoluto*. Primo sensu accepta consideratur juxta nostrum concipiendi modum; atque positionem, figuram, distantiam, motum includit. Hinc dicimus, aliquod corpus esse sursum, aut deorsum, parvum, aut magnum, remotum, aut proximum. Altero sensu accepta extensio exprimit *ordinem simultaneorum*, uti definiunt Leibnitiani, quia corpus est aggregatum plurium entium, quae viribus suis copulantur, corpusque efformant. *Inertia* est illa quaecumque proprietas, qua corpus statum quietis, vel motus, absque alia causa impellente, vel cohibente continuo nititur servare. *Impenetrabilitas*, quae et *soliditas* vocatur, est illa proprietas, qua corpus alterum e loco, quem actu occupat, excludit. Ex impenetrabilitate extensio oritur, quia corporis componentia ab eodem loco se invicem excludere debent, ut corpus efficiant. *Gravitas* demum est illa proprietas, qua corpus deorsum fertur, aliaque sibi corpora inferiora premit. Inter *secundarias* corporis proprietates, quae *qualitates sensibiles* potius dicuntur, sunt color, odor, sapor, sonus, frigus, calor, asperitas, mollitudo, aliaque hujusmodi. Hae qualitates tamen in sensu methaphysico non in corporibus, sed in nobis insunt, quia sunt merae sensationes. Quare nec color est in lilio, nec odor in rosa, nec sapor in pyro, nec sonus in cithara, nec frigus in gelu, nec calor in igne, nec asperitas aut mollitudo in aliquo corpore; sed haec omnia sunt varii animae nostrae existendi status, et modi; in corporibus vero sunt dumtaxat particulae illae, quae harum sensationum causae sunt, aut occasiones, quatenus in organa corporis sensoria agunt. Hanc ipsam doctrinam de qualitatibus sensibilibus cum Atomistis

Lucretius videtur docuisse ( *De rer. nat. l.* 2. *v.* 730. *et* 842.), atque reapse docuere contra Aristotelem Cartesius, Galilaeus, Lockius, et recte quidem; nulla enim datur proportio inter aeris motum et ideam soni: inter corporis moleculas et ideam saporis, et odoris, inter lucis vibrationem et ideam coloris. Haec vero proportio dari deberet, si sensibiles qualitates forent *objectivae*. Ceterum, cum dicimus qualitates secundarias esse modificationes nostrae animae, non excludimus in corporibus, quae dicuntur e. g. soporifera, odorifera, sonora, aliquas vires, quarum ope hujusmodi modificationes in anima efficiuntur; fundamentum enim istarum modificationum est objectivum, ideoque objecta supponunt, quae eas efficiunt.

572. Cum itaque quaeritur, utrum corporum existentiam demonstrare possimus, una quaeritur, utrum momenta nobis praesto sint, quibus existentiam valemus probare objectorum, quae sunt simul extensa, inertia, impenetrabilia, gravia, quaeque causae nostrarum sensationum existunt. *Idealistae* dicuntur, qui unas animas, ideasque in animabus repositas confitentur, atque omnia inficiantur corpora. Quare omnia *subjectiva* sunt juxta Idealistas, nihil vero *objectivum*. *Egoistae* autem dicuntur, qui suae animae tantum existentiam probant, ideoque aliorum animas negant. Sic in societate *egoistae* dicuntur, qui sibi solis prospiciunt, quasi soli existerent. Putavit Leibnitius, corpora esse elementorum simplicium aggregata, ideoque veluti nostras repraesentationes, ac apparentia phaenomena extensionem, et qualitates sensibiles aestimavit. Hoc modo via Idealistis stravit praesertim quia huic aliud de harmonia praestabilita ( §. 470. ) addidit systema. Malebranchius quoque suis causis occasionalibus (§. 346.) Idealistarum opinioni praelusisse creditur, quod non indubie etiam colligitur ex eo, quod sola Dei revelantia auctoritate corporum existentiam nobis innotescere profiteatur (*De la Recherche de la vérité t.* 1. *l.* 1. *ch.* 10., et alibi). Ast primus, qui aperte idealismum professus est, videtur fuisse Michael Angelus Fardella, cujus vestigia pressit Gregorius Berkeleyus hibernus, praecipue in opere, *Dialogues entre Hylas, et Philonous*. Uterque corporum existentiam inficiatus est, uterque spiritus solummodo admisit, uterque affectiones nostrae animae aestimavit proprietates quascumque, quas corporibus tribuimus. Horum patrocinium suscepit Baylius, Arthurus Collier anglus, David Humius; qui postremus, connexionem causam inter et effectum sciri non posse statuens, negavit, nostras affectiones, et ideas indigere causa.

Demum inter Idealistas reponitur Kantius, utpote qui subjectivam tantum nostrarum idearum admisit causam, ideoque totum mundum inter phaenomena retulit (§. 566. nota); Fichteus, Schellingius, Hegelus, aliique Transcendentales. Quare omnes Idealistae sensationes, quas ex corporum actione in organa sensoria nos dicimus habere, repetunt aut ab actione Dei in nostram animam, aut ab ipsius animae vi intrinseca, et necessaria.

573. Sed *ratione demonstrari potest, corpora existere.* Nam 1. certe anima nostra, dum sentit in se, sentit simul aliquid, quod non est ex se. Sentit e. g. odoris affectionem, sed simul sentit, aliunde hanc derivari affectionem, non vero ex se. Idem dic de sapore, colore, sono, frigore, calore. Igitur aliam causam admittere cogitur extra se (1). Et quoniam varia, disparata, contraria sentit, ideo extra se alias et varias causas existere concludit. In hisce causis anima distinguit partes extra partes, quae totum unum extensum constituunt: eas inertes observat, impenetrabiles, graves. Sed objecta, quae extensione, inertia, impenetrabilitate, gravitate donantur, sunt corpora (§. 571.). Igitur ratiocinio ad corporum existentiam possumus pervenire. 2. Dum anima sentit, duo phaenomena experiri potest, nempe aut unam sensationem, aut duas habet; si duas in parte nempe tangentis, et tacta, utramque partem sui corporis experitur; si unam in partem tangentis tantum, alia corpora et sentit, et probat; unusquisque potest in se experimentum tentare. Neque in hac re unquam illuditur, quia constanter haec phaenomena experitur (§. 369.n.6.). 3. Totum dubium in hac re ex statu somnii potest haberi; atqui nos distinguimus ea, quae in somniis videmus, ab iis, quae in vigilia experimur, et quidem eorum diversa claritate (§.409.410.). Ergo nullum remanet dubium circa eorum realitatem, quae perenniter sensibus habemus. 4. Nos propensionem habemus nostras ideas referendi ad objecta externa, quae vocamus corpora, et haec propensio universalis est, et constans; nam unusquisque in se experitur, animam suam in objecta externa

(1) Si enim alia causa non foret admittenda extra se, anima simul ageret, et pateretur, dum *sentit*, quia simul in se produceret illam sensationem, atque hanc nequiret non experiri. Et nota, quod causa agens extra animam nequeat esse modus, utpote qui nequit agere, et existere absque substantia (§. 305.). Adde, quod anima procul dubio *sentiat*, cum corporis ideam sibi efformat; ideoque *sentiat*, antequam ideam corporis cudat. Si corpus non existeret, profecto anima non *sentiret*, sed tantum ideam corporis haberet.

veluti rapi, eaque veluti immediate attingere, licet organorum ministerio attingat; imo in ipsa vi sua transilire, pervadere, transgredi. Et hoc patet etiam ex eo, quod aliquando nollemus nostras referre ideas ad haec externa objecta, attamen ipsam propensionem cohibere non valemus, uti est in doloribus, et tristitiae sensu. Igitur natura admonemur, haec objecta existere. 5. Nisi objecta externa corporea existerent, illa, quae nobis corporea apparent, forent nostrarum animarum ideae; sed ideae ob animae activitatem innumeras subeunt mutationes; quae autem nobis corporea videntur, mutationibus ad animae arbitrium non subjiciuntur. 6. Idealistae comedunt, bibunt, dormiunt, ambulant, pecunias inhiant, vias *ferratas* petunt, aliaque agunt ad sua exhilaranda corpora; imo clamant, rumorem movent, ad judicem deferunt, si quis eorum domum, gregem, agrum aggrediatur. Eorum igitur cura de corporibus satis probat, ipsos ludere, non demonstrare, cum corpora inficiantur. Sensus intimus itaque, uti Reid (*Essai sur les facultés de l' Esprit humain t.* 3. *ch.*5.), Royer Collard, Galluppi docent, ipsos Idealistas de corporum existentia suadet.

574. Quae opponunt adversarii, ad haec reduci possunt: 1. sensationes, quas habemus, a Deo in anima produci possunt; ergo ab ipsis nequit corporum existentia colligi. 2. Certe in somniis multas habemus ideas, quae sensationibus, et ideis vigiliae aequantur; quis autem scire valet, si et in vigiliae statu somniemus? 3. Nos dicimus aliqua corpora alba, aut nigra; sapida, aut insipida; bene, aut male olentia; mollia, aut aspera; quin tamen qualitates hujusmodi in corporibus reperiantur. Ergo neque in corporibus sunt extensio, inertia, impenetrabilitas, gravitas; ideoque neque existunt corpora. 4. Inter sensationes, quae sunt nostrae animae, quae simplex est, modificationes, et corpora, quae composita et extensa supponuntur, nulla datur proportio. Quomodo igitur ex sensationibus corporum deducitur existentia?

575. Sed ad 1. dicimus, Deum jugiter nos fallere, si in anima sensationes produceret. Nam intimo sensu sentimus propensionem referendi animae varios essendi modos ad objecta externa; sentimus, causas hujusmodi modorum *essendi* non esse ab ipsa anima. Nonne illuderemur, si reapse externae non existerent causae? Deinde si a Deo essent hujusmodi sensationes; numquam ab ipsis possent subduci animae nostrae, quia a Dei influxu eripi nequeunt; contrarium vero docet experientia.

576. Ad 2. vero respondemus, ideas in somno visas esse ideas in vigilia habitas, uti alibi diximus ( §. 410. ); non ita porro esse ideas, et sensationes, quas in vigilia ipsa per organa sensoria anima acquirit. Quare in somnio objecta videntur idearum, quae reproducuntur; in vigilia vero objecta videntur, audiuntur, olent, tanguntur. Ideae somnii corpora supponunt, quia supponunt animas corporibus copulatas, supponunt corpora, quae in organa sensoria egerunt.

577. Ad 3. respondentes concedimus, non in corporibus, sed in animabus nostris esse colorum, saporum, odorum, sonorum sensationes, ac omnes qualitates sensibiles corporum ( §. 571. ); verum quaenam hujusmodi sensationum sunt causae? Certe corpora externa. Igitur ex hoc nil concluditur. Deinde quaestio, utrum qualitates sensibiles sint in corporibus, an in animabus, cognitam corporum existentiam supponit. Sed proprietates primariae in corporibus semper, et constantes sunt, neque corpora sine illis intelliguntur. Si proinde extensa, inertia, impenetrabilia, gravia objecta nos pulsent in corpore, et constanti lege hoc perspiciamus, corpora existere certo deducendum est. Qui haec negat, nonne dementior est non sano Oreste? (1).

578. Ad ultimum demum dicimus, perperam asseri, nullam dari proportionem inter animas, et corpora externa. Si enim corpora externa agant in organa sensoria; sique motus ad cerebrum usque communicetur; si demum anima, quin cerebrum tangat, vi sua sentiat ( §. 369. ); si sensatio sit aliquis animi existendi modus; ecquis negabit proportionem animas inter, et corpora reperiri? Nempe anima humana activitate donatur, qua in corpus suum dominatur, et regit, omnesque videt, intuetur, capit mutationes, quae in corpore fiunt; dummodo ipsa attendat, atque corpus non sit aliquo modo vitiatum in parte, in quam aliud externum corpus agit. Corpus vero nostrum ab aliis corporibus distinguimus 1. ex eo, quod nostrum tangentes duplicem, alia vero unam sensationem experiamur ( §. 573. n. 2. ); ex eo, quod nostrum corpus absque organorum sensoriorum adjutorio, istorum vero

(1) Sensus itaque tantum primarias, non secundarias corporum qualitates ( §. 571. ) nobis patefaciunt. *Figuram* proinde reapse habet corpus, quod *figuratum* oculis exhibetur, suppositis tamen regulis ( §. 212. ); sed non reapse est *sapidum* objectum, quod ori meo sapidum videtur. Illae sunt *objectivae*, istae *subjectivae* qualitates.

ope alia corpora capiamus; 3. ex eo, quod nostrum corpus nostra voluntate, alia vero corpora nostris membris moveamus.

## ARTICULUS SECUNDUS

### DE PRIMIS CORPORUM ELEMENTIS

579. Corporum *elementa* dicimus illa quaecumque initia, quibus constant, et ad quae ultimo, saltem cogitatione, corpora resolvuntur. *Corpuscula* vero dicuntur composita adeo exigua, ut sensus etiam armatos effugiant. Ipsa dicuntur *primitiva*, si ex elementis consteot; *derivativa* autem, si ex primitivis confleutur. Corpus, quod coalescit ex ejusdem speciei corpusculis primitivis, *homogeneum*; quod vero ex corpusculis diversae speciei primitivis constat, *heterogeneum* vocatur. Alio modo physici, et chymici, et alio modo metaphysici de corporum elementis inquirunt. Antiquitus docebant physici, quodvis corpus constare ex quatuor homogeneis elementis, nempe aqua, aere, terra, igne. Sed ad quinquaginta duo hic numerus proxime elapso saeculo elevatus est, non sioe spe ulterius progrediendi. Metaphysici autem de elementorum numero parum solliciti, hoc unum inquirunt, utrum prima elementa, in quae quodvis resolvi, saltem cogitatione, potest corpus, sint simplicia, an vero composita.

580. Leucippus, Protagoras, Democritus, Epicurus, Lucretius, Gassendus, Newtonus elementa corporum statueruut atomos insectiles, diversa magnitudine, et figura. Aristotelici elementa corporum dixerunt suam proclamatam materiam primam, quam massam informem, continuam, divisibilem in infinitum statuerunt. Higgins, Dalton, Berselius atomisticum systema excolentes, corpora constare docuerunt moleculis, quibus certam tribuere figuram, volumen, pondus, easque atomos appellaruot, et in infinitum metaphysice, ast finito numero physice divisibiles dixerunt. Idem sentit cl. P. Pianciani in suis recentissimis institutionibus *physico-Chimicis*. Qui hoc systema tuentur, atomis *vim attractivam*, qua in mutuos amplexus ruunt, et arcte cohaerent, et *vim repulsivam*, qua mutuo renisu repelluntur in data distantia, attribuunt. Ex hoc vero fit, ut in quovis corpore vacuum majus sit, quam in materia, uti ait Fischer (*Physique mechanique sect.* 1. *ch.* 4.).

Omnes laudati philosophi igitur composita dicunt prima elementa. Ast sententia plurium est, ipsa omnino esse simplicia. Zeno siquidem dixit, hujusmodi elementa *puncta mathematica*, quae postea sunt vocata *zenonistica*, eaque inextensa, indivisibilia; similia putavit Leibnitius, veluti numerum corpus reputans; sicut numerus in unitates resolvitur, corpus ita credidit in entia simplicia, quae *monades* appellavit, resolvi. Quatuor monadum classes statuit Leibnitius, in quarum prima Deum, in secunda hominum animas, in tertia animas brutorum, in quarta corporum elementa reposuit. Docuit insuper, monades, quae corpora efformant, nullimode a causa externa posse mutationem recipere, sed ex principio sibi interno mutari; statum monadis praesentem natura sua a praecedente sequi, atque futurum continere; quamcumque monadem habere vim sibi universum obscure repraesentandi, atque perceptionem sine *apperceptione*, seu sine conscientia sui; quamvis monadem vi sua transire de perceptione in perceptionem; ideoque gaudere *appetitu*; nullam esse alteri similem. Hoc systema dicitur *monadologia*. At quomodo hujusmodi monades inter se cohaereant, ut corpora efformarent, quin compenetrarentur? Boschovicius (*Phil. nat. theor.* 214.) putavit, monades illas viribus attractiva, et repulsiva potiri, atque harum virium ope in aequa remanere distantia, sicque corpora efficere. Leibnitiauum systema versibus constrinxit Thomas Natale. Simplicia, licet dissimilia, dixerunt etiam prima elementa corporum Wolfius, Genuensis, Storchenau, D. Ahrens, Galluppi (*Lez. di Log. e Met. lez.* 83.), Antonius Pezzi (*Filos. della mente* e *del cuore t.* 2. *n.* 351.). Hanc sententiam, quam et tuiti sunt Itali Baldinotti in sua *Metaphysica generali*, Bonelli in suis *Institutionibus Logico-Metaphysicis*; Melillo in suo *Novo cursu Philosophiae Intellectualis*, Auctor *Novarum disquisitionum de Deo*, aliique, Pytgahorae, et Platoni etiam tribuunt eruditi. Sed quaenam est nostra sententia?

581. *Prima corporum elementa sunt continuo extensa, et indivisibilia.* Sunt *continuo extensa*; nam 1. ex inextensis elementis numquam extensum, ideoque numquam corpus potest exsurgere; uti ex caecorum multitudine unus non exsurgit videns, aut zerorum concervo unitas. Neque vis attractiva, et repulsiva illis tributa simplicibus elementis rem conficit, tum quia haec vis corporibus competit, atque extensionem supponit; tum quia adhuc dubium remaneret

circa modum, quo simplicia elementa corpora efformarent. 2. Si ex simplicibus elementis oriretur corpus, extensio foret phaenomenon, et non quid *objectivum* in corpore. Quod certe viam ad idealismum sternit, uti recte monet Maucino (*Elem.* §. 676.) contra Galluppi, qui (*Lez.* 83. *p.* 48. *ediz. di Napoli* 1840.) dicit, *quamvis vim simplicem esse substantiam.* (*V. Mastrofini* §. 687. *et seqq.*) (1). Sunt vero *indivisibilia*, quia alioquin orirentur ab aliis, in quae dividerentur, ideoque prima non forent.

582. *Neque in infinitum dividi potest corpus.* Siquidem 1. deberemus admittere in ente finito numerum actu infinitum, quod repugnat; 2. duo corpora, quorum unum est duplex alterius, forent aeque ponderosa, et extensa, quia aeque in infinitum divisibilia; 3. darentur in hac hypothesi duo infinita, quorum unum foret alterius infiniti duplex; 4. quodvis corpus finitum contineret partium numerum infinitum, quod esse nequit, quia foret simul finitum et infinitum. 5. Si a corpore diviso partem tolles, certe finitum tollis; quod remanet, esse infinitum nequit, quia partem abstulisti; ergo erit finitum; si addendo partem ablatam toto habebis infinitum, ex duobus finitis, infinitum exsurgeret, quod esse repugnat. Vide Galluppi (*lez.* 84.), et cl. Antonium Genuensem; qui *statos divisionum corporis terminos, quos ultra naturae vires non progrediantur*, probat (*Met. t.* 1. *prop.* 69. *sch.*, *prop.* 156. *sch.*, *et prop.* 157.).

583. *Multo minus admitti potest monadum systema* in sensu Leibnitiano, 1. quia hoc systema supponit monades simplices, quod esse nequit (§. 581.); 2. quia nititur falsa hypothesi, quod illae monades donentur vi sibi repraesentandi universum; quod certe repugnat; cum hoc in casu omnibus tribus entium Naturae ordinibus conveniret perceptio, quod absurdum est (§. 430.); 3. quia, si monas in monadem agere nequeat, quomodo quaevis monas sibi repraesentabit universum, in quo aliae sunt monades? 4. quia intelligi nullimode potest, monadis transitum de perceptione in perceptionem esse appetitum.

584. Nos non latet, primam illam propositionem (§. 581.) suis urgeri difficultatibus; praesertim vero, quia non viden-

(1) Quare Melillo, qui elementa simplicia defendit. docet (*Nuovo corso, etc; vol.* 3 *Ideol. speciale dell' Univ. c.* 1. *a.* 2 §. 3.), nihil aliud esse extensionem, *che un fenomeno, ma un fenomeno sostanziale, perchè derivante dalla natura delle sostanze.*

tur prima elementa illae atomi, si sint extensae, utut continuo. Ast in primis indivisibiles eas supponimus, et tales revera sunt, saltem humana industria. Deinde nonne majoribus premuntur difficultatibus simplices monades? Plurimum quidem ad has diluendas adlaboravit acutissimus Paschalis Galluppi; sed nescimus quo felici exitu. Ceterum de re admodum obscura agitur, et unusquisque potest in suo sensu abundare (1).

## ARTICULUS TERTIUS

### DE LEGIBUS, QUIBUS REGITUR MUNDUS.

585. Mundus itaque entibus prope innumeris coalescit materialibus, atque simplicibus. Ast quidnam mundus est? Magna haec habetur perquisitio, quae philosophos etiam sapientissimos exterruit. Quis enim mundi generalem finem, universam naturam, omnes naturae partes singulas tum permanentes, tum successivas, partium omnes speciales fines, vires cujuscumque entis, omnium, singulorumque entium essentiam, attributa, qualitates, omnium quoque partium inter se concentum, atque ad communem finem conspirationem valet a *posteriori* simul internoscere? Hoc supra vires nostrae cognoscendi facultatis positum est. Verum fines speciales, nexum, harmoniam, ordinem aliquarum partium, ex quibus argumento ab analogia idem de toto mundo merito dicere possumus, introspicere non est nobis negatum. Revera caelum, et terram nostris oculis se praebent conspicienda. In caelo ubique corpora veluti sata cernimus, et ipsorum aliqua nostra tellure majora, aliqua minora reperimus, licet minima ob distantiam specie tenus videantur. Omnia haec corpora ab occasu ad ortum moventur, quamvis ab ortu ad occasum spatia percurrere nudis oculis credatur. Circa

(1) Argumenta oppositae sententiae ad haec reduci possunt. 1. Si *prima* elementa forent composita, non essent *prima*. 2. Composita supponunt conditionem in elementis, quae, si forent composita, conditionem supponerent et ipsa, quin umquam haec eorum conditio reperiretur. 3. Si corpora elementis simplicibus non constarent, eorum elementa forent in infinitum divisibilis. 4. Quaevis substantia ab alis non debet dependere, cui inhaereat, ut existat, ergo debet esse simplex. Vide Storchenaum, et supra laudatos (§. 580.) pro hac opinione. Nos contrariam sustinuimus, et proinde alibi (§ 311. 8. 9) prima elementa simplicia, vel indecomponibilia vocavimus, ut unicuique libertas esset cogitandi pro libito.

solem moventur tum planetae primarii, quos circumeunt secundarii, dicti *satellites*, tum cometae. Luna ambit terram, quae circa solem et ipsa movetur. Innumera quoque existunt hinc inde in caelo volitantia diversi nominis, et ordinis sidera. Non tamen illa corpora in orbitis suis circa solem idem impendunt tempus; nam Mercurius dies 88. impendit, Venus 223, Terra 365, Mars 687., et ita porro ad Uranum usque, qui dies impendit 30689. Suos habere incolas haec corpora, licet dissimiles terrae brutis, et hominibus, qui magnum Urani frigus, caloremque Mercurii ferre non posseut, multi putant. A caelestibus corporibus, quae omnia simul sumpta systema caeleste conficiunt, ad terram, quae, si cum aliis corporibus comparetur, punctus est, descendamus. Vix quarta ipsius pars est aquis subducta, innumerisque entibus ubique repleta conspicitur. Circa solem ambiens non eamdem semper servat distantiam, licet in suo inconstanti motu sit constans. Motu suo circa suum axem dies, noctesque producit, ac varia anni tempora annuo motu gignit. Animalium habitaculum facta a quodam elastico, subtilissimo ac ponderoso est circumdata fluido, nempe aere, sine quo nec bruta nec homines viverent. Solis influxu quasi tota foecundatur, fructusque varios ex sinu suo brutis ac hominibus praebet, et vegetabilibus, belluis, atque hominibus domus apta sese offert. Neque proxime soli accedit, ne tota dissolvatur, neque aequo longius distat, ne omnia inertia, ac veluti moles indigesta fiant, quae in ipsa reperiuntur. Neque multum arida et dura est, ut facilius ipsam scindere, ac ab ejus sinu alimenta possent belluae, ac homines carpere; neque mollis adeo est, ut incolas suos sustinere non valeret. Quivis terrae tractus aliquos fructus, non omnes producit, alioquin societatem non inirent homines. Multa entia in ipsa oriuntur, crescuut, contabescunt, moriuntur, uti arbor, planta, brutum, homo; alia vero semper eadem perseverant; illa interius, ista exterius augentur; illa alterius entis similis germina, ista nullum germen supponunt. Sed illa adhuc inter se discriminantur; aliqua enim organis donantur, ex se de loco in locum moventur, alimenta quaerunt, pericula devitare satagunt, voluptatem, et dolorem experiuntur, ideoque animam habent, regnumque *animale* constituunt, alia vero hisce omnibus destituuntur, ac regnum *vegetabile* efformant. Itaque tres magnae sunt entium classes, seu *regna*, nempe mineralis, vegetabilis, animalis. Una ex istis classibus mirabili graduum perfectionum progressione cum alia classe connectitur, et o-

mnes copulatae, quamvis essentialiter diversae, annulis intermediis, sine ulla interruptione cuique examinanti patescunt.

586. Mineralia diversi ordinis et ipsa sunt, et hinc inde prostrata jacent. Vegetabilia motu spontaneo destituta terrae adhaerent, alias vivere non possent; aerem oxigeno, quod animalium vitae necessarium est, replent; pulchram efficiunt, praesertim in vere, naturam. Animalia vero non pari omnia necessitate tenentur, quia nec eamdem habent organizationem, neque in iisdem circumstantiis vivere pelluntur. Pisces ornantur squamis, quibus defenduntur, cauda et pinnis, quibus, veluti remis, per aquas incedunt, vesica natatoria, qua repleta azoto corpora sua nec justo graviora, nec leviora in undis reddunt. Aves per aetherem ire coactae donantur magno pulmone, quo aerem recipiant, alis, quibus aerem fendunt, musculis pectoralibus, quibus ad motum cientur, pedibus quatuor digitos habentibus, quibus in arborum ramos valeant insidere. Quadrupedia animalia alia sunt erbivora, alia carnivora. Illa proinde dentes incidentes et molares, ut herbas carpant; ista dentes habent dilaniantes, ut praedam discerpant; illa pedibus instar calonum ornantur, ut herbas in pratis quaerant; ista pedibus unguibus armatis, ut praedam dilanient; illa stomachum longum, et multiplicem, ut facilius herbas digererent; ista breviorem, ut carnem suae naturae homogeneam concoquerent, receperunt. Quid de corpore humano dicemus? ipsum est adeo miraculum naturae, ut nulla a situ suo pars aliqua possit auferri, quin tota destruatur, vel saltem turbetur machina. Una sufficiat descriptio, quam paucis cl. Genuensis de hominis corpore effecit (*Met. Theol. nat. c. 1. sch. n. 7.*):„ Universa hominis machina temperata est ad vitam humanam efficiendam, et conservandam; is est omnium partium, „ quibus ea constat, communis finis. Itaque omnes ejus partes ita constructae, et dispositae sunt, ut hanc vitam conficere, et conservare possint. Nempe homo vivere nequit, „ nisi anima, quae vitae est principium, omnes corporis „ partes ordinatissime moveat. Ut vero motiones istae ordinatim fiant, necesse est, ut singulae hominis partes ad „ motus suos aptae sint, atque ita aliae cum aliis contextae, ut motus suos aptissime continuare possint. Iam ita „ dispositae sunt, ut nihil aptius et consonantius excogitari „ possit. Nervi totam machinae harmoniam, et structuram faciunt, ac continent, iique omnes ex uno fonte, idest cerebro, derivantur. Venae, et arteriae, aliaque vasa ductan-

„ dis liquoribus per totam machinam aptata sunt. Singulis „ prope partibus tributi sunt musculi, et fibrae motibus „ conficiendis consentanei, veluti totius machinae elateres „ quidam. Ossa machinam sustinent ne collabatur. Ne vero „ motibus officiant, non uno continuo corpore continentur, „ sed in partes secta sunt, ac ligamentis conjuncta. Oculi, „ aures, et alia organa sensoria excipiendis impressionibus „ rerum externarum facta sunt idonea. Cor impellendo san- „ guini aptum: pulmones aeri excipiendo: ventriculus exci- „ piendis, et concoquendis cibis; lien, et jecur bili prae- „ parandae, quae in primis digestioni necessaria est. Tum „ aptata intestina ad excernenda superflua nutritioni. His „ vero partibus infinitae aliae perpetuo minores inserviunt, „ ut nulla omnino sit in corpore humano pars, quae non ad „ communem vitae finem spectet „.

587. Omnia entia in mundo aut sibi invicem succedunt, aut simultanea sunt. Constanter diebus subeunt noctes; aestati autumnus; huic hyems; hyemi ver succedit; constanter vapores ex mari sol attrahit; vapores in nubes in aere rariori coeunt; nubes congestae in guttas colliguntur; guttae aquam componunt, quae terram reddit vegetam, ac brutis, hominibusque multimode inservit; constanter ex seminibus plantae, ex plantis fructus carpimus; constanter in toto orbe terrarum unis alia entia substituuntur, ac veluti perenni motu eveniunt. Innumera sunt exempla in plantis, belluis, hominibus. Habemus igitur seriem quamdam successivorum in hoc mundo adspectabili continuo oculis nostris obviam, uti recte dicit Wolfius (*Theol. nat.* §. 665.). Iam vero alia in eo contineri conspicimus entia, quae simul coexistunt; conspicimus namque solem, terram, atque in terra mineralia, vegetabilia, animalia diversi ordinis et classis; conspicimus solem terrae suo inservire influxu, ac in terra quodvis naturae regnum alteri veluti substratum esse, unamque classem alteri manum porrigere. Habemus igitur seriem simultaneorum in hoc mundo adspectabili. Siquidem idem per analogiam de corporibus caelestibus dicendum est, quia et ipsa per varia systemata distributa sunt.

488. Istae duae series itaque successivorum, et simultaneorum totum efformant mundum. Quoniam vero entia successiva ita inter se copulantur, ut unum alterius in se rationem contineat; ideo per causas efficientes inter se connexa existunt. Idem dicas oportet de simultaneis, quorum unum alteri ita inservit, alterum tertio, et ita deinceps, ut unum

sit finis alterius, et alterum tertii, et ita in tota serie. Quapropter *mundus est series successivorum, ac simultaneorum inter se per causas efficientes. et finales connexorum*, uti illum definit Wolfius. Vide Galluppi (*Lez. di Log. e Met. lez.* 125.). et Mancino (*Cosm. Sez.* 1. *c.* 1. e *sez.* 2. *c.* 2.).

589. Ex quibus sequitur, 1. nullum dari *saltum* in mundo; quia saltus est transitus ab uno ad alterum extremum, relictis mediis, mundus vero est entium series, quae arctissimo nexu copulata sunt; 2. neque dari *casum*, seu effectum sine causa efficiente; quod certe nexum, qui inter entia existit, abrumperet; 3. ac proinde *casum* aut effectum significare, cujus causam ignoramus, aut vocabulum esse inane (1); 4. ordinem propterea esse in mundo, quia tum simultanea, tum successiva, quae mundum constituunt (§. 588.), ordinem efformant (§. 326.); 5. ideoque sapientissimam esse hujus mundi causam, quae entia quaeque ad fines suos ordinavit.

590. Sublato casu, patet, de omnibus adesse rationem sufficientem, de qua alias sumus locuti (§. 267. *et seqq.*). Hinc non bene Galluppi (*Lez. di Log. e Met. lez.* 35.), et Mancino (*Elem.* §. 332. *et seqq.*) carpunt Storchenaum, quasi *ratio sufficiens* veritatibus contingentibus, et empiricis demonstrandis non inserviat. Nam hoc solum nos tali principio contendimus, rationem semper adesse debere, cur subiecto attributum conveniat, ac veritatem nos ignorare, si illam rationem ignoremus. Quare ratiu sufficiens rapit nostrum assensum in veritatibus empiricis, et contingentibus, quarum principium proinde dici debet; alias casus foret in natura.

591. Ast si in mundo est ordo, sunt etiam certae regulae, sine quibus ordo nequit intelligi. Quod et patet ex eo, quod alia aliis entibus connexa esse nequirent finalibus, atque efficientibus caussis, nisi datis legibus copularentur. Quare leges omnes tum ex proprietatibus entium, tum ex eorum inter se relationibus emanant. Non tamen unius generis hujusmodi leges sunt; aliae enim mundum physicum, aliae spiritus corporibus copulatos; aliae dumtaxat spiritus; aliae

(1) Alii *casum* dicunt effectum productum a causa, quae caret intellectu, quaeque proinde agit sine intentione producendi datum effectum. Hac tamen in hypothesi effectum illum ad Dei providentiam, omnia regentem, referimus; quia relate ad causas secundas multa reapse eveniunt praeter ipsarum intentionem, quae proinde, *casu* fieri, potes dicere, uti notat Galluppi (*Filos. della volon. vol.* 3. §. 45.).

homines erga Divinitatem, erga seipsos, erga alios homines devinciunt; aliae demum homines, inter se in societate connexos, respiciunt. Leges, quae pertinent ad regimen mundi physici, *physicas* vocamus; *pneumaticas*, quae respiciunt spiritus; *metaphysicas*, quae actiones corporum, et animarum mutuas dirigunt; *morales* generice, quae homines dirigunt erga Divinitatem, erga seipsos, erga alios; *civiles* aut *sociales*, quae ad homines in societate copulatos apectant. Omnes fere hujusmodi leges in varias veluti classes distribuuntur, prout earum diversum est subjectum, vel objectum. De Legibus *physicis* est hic tantum sermo.

592. Leges *physicae* ad motum referuntur, quia effectus motus sunt omnia phaenomena, quae hisce reguntur legibus. Motibus curvilineis reapse corpora caelestia inter se connectuntur; motu nox succedit diei; motu eclypses fiunt; motu omnes tum in magnis operationes perficiuntur, tum in parvis corporibus. Sed quid *motus*? *Motus* est transitus corporis de loco in locum, uti *quies* est corporis perseverantia in aliquo loco. In motu tria praecipue sunt consideranda, *corpus*, quod cum sua movetur mole; *spatium*, quod in longum metimur; *tempus*, quod corpus in spatio percurrendo impendit. Motus aut *aequabilis* est, si corpus percurrat aequalia spatia aequalibus temporibus, uti indicis motus in horologio; est *varius*, si corpus aequalia spatia inaequalibus temporibus percurrat, aut viceversa, uti motus navis, qui a ventorum vi dependet. Motus *retardatus* proinde habetur, cum corpus majus impendit tempus, quam ante in percurrendo eodem spatio; *acceleratus* vero, si minus impendit tempus, quam ante, in percurrendo eodem spatio. Ex relatione spatii percursi ad tempus impensum nascitur *velocitas*, quae major est, prout majus spatium minori tempore corpus percurrit. Motus deinde relate ad vires, a quibus producitur, est *simplex*, si una vis; est *compositus*, si plures vires corpus ad motum impellant. Demum motus relate ad spatium est *rectilineus*, si spatium rectam repraesentans percurrat corpus; *curvilineus* vero si spatium curvam repraesentet.

593. Leges motus hae sunt 1. quodcumque corpus, sive in quiete, sive in motu, in quiete persistit aut in motu rectilineo, et aequabili, si a nulla turbetur externa causa. 2. Quivis motus est semper in ratione directa vis, quae illum producit, atque via motricis directionem sequitur. 3. Si duo corpora contrariis et aequalibus viribus repellantur,

aequilibrium fiet; si vero inaequalibus viribus repellantur, unum corpus movetur in directione alterius, quod majorem vim receperat; et quidem viribus, quae post ictum mutuum excedunt. 4. Ideoque actio impellentis corporis est aequalis et contraria reactioni corporis impulsi. Tertia ad quartam reducitur legem. Hujusmodi motus leges corporibus terrestribus aeque ac caelestibus conveniunt, quia natura eodem modo uniformi ubique procedit. Qui plura cupit, adeat physicae tractatores. Examinanti patet corpora, omnemque materiam, esse *inertia* (§. 571.), ac motum semper causam extrinsecam supponere, quae in motum ciet materiam, et corpora ad motum indifferentia.

594. *Leges motus non sunt necessariae*. Nam 1. nulla est ratio, cur leges hujusmodi ita debeant esse, licet experientia edoceamur, ita esse. Sed quod potest esse aliud ac est, non est certe necessarium, sed contingens (§. 307.). Igitur contingentes sunt hujusmodi leges. 2. Motus oritur a viribus causae moventis, igitur non est corporis essentialis. Sed leges physicae ipsius motus sunt quaedam modificationes; ergo nec ipsae sunt corporibus essentiales. Quod essentiale non est, aliter esse potest. 3. Nos potestate donamur corpora aliqua transponendi, conjungendi, separandi; actiones viventium abrumpendi; plantas evellendi; semina foecundationi inepta reddendi; impediendi corporis lapsum supposito obstaculo; corpus in motum ciendi, in contrariam dirigendi partem; atque alia innumera. Verum, si necessariae motus leges forent, numquam eas violare possemus, uti rerum essentias metaphysicas nequimus abrumpere, aut aliquo modo temerare. 4. Istae leges profecto a liberrimo totius mundi auctoris arbitrio dependent, qui in mundi molitione finem aliquem sibi praestituit (§. 589. n. 5.). Igitur a fine auctoris hujusmodi leges repetendae sunt, ideoque relate ad res, quas dirigunt, nec sunt nec vocari possunt necessariae.

595. Ex quibus inferimus, mutabiles quoque esse has leges, uti videbimus postea (§. 679. et seqq.). Ceterum, ne et nos redarguat Antonius Genuensis, qui (*Elem. Met. par.* 1. *prop.* 92. *sch.*, *et in toto capite sexto*) immutabiles dicit leges mechanicas ac nescio quem carpit Theologum; ab ipso haud nos distare confitemur. Nempe *quousque praesens rerum universitas existet, ut esse alia nequit, quam est; ita ne aliis quidem legibus regi, quam quibus regitur, potest, ac proinde etiam harum legum existentia est ex*

*hypothesi necessaria* (*sch. cit.*). Itaque has leges, quae ad motum reducuntur (§. 593.), dicimus et mutabiles, et immutabiles; mutabiles, quatenus ille, qui eas tulit rebus creatis, potest abrogare, subrogare, derogare; immutabiles vero *hypothetice*, nempe facta hypothesi, quod Deus hunc rerum ordinem velit, ideoque has leges; alioquin secum pugnaret.

## ARTICULUS QUARTUS

### DE FATO.

596. De fato heic loqui statuimus, quia leges, de quibus articulo praecedenti disseruimus, frangit, aut servat; tollit, aut perperam explicat, aut confirmat. Deinde cum fatum in causarum, effectuumque serie reponatur; quid de ipso sentiendum sit, enucleare oportet, ut sarta, tectaque maneat, quam de mundo dedimus, definitio (§. 588.). Itaque fatum, uti ait cl. Antonius Genuensis (*Elem. Met. p.* 1. *def.* 53:), *est talis omnium mundi causarum, et effectuum connexio, ut altera ab altera necessario pendeat, ita ut nulla in parte concatenatio abrumpi possit*; ideoque omnium rerum contingentiam destruit, ac libertati adversatur.

597. Multiplex fatum recensetur. Primum fatum *Democriticum*, quod est quaedam necessaria causarum, effectuumque omnium series ab aeterno a necessariis materiae viribus, et legibus fluens. Democrito, qui docuit, atomos esse improductas, et aeterno et necessario motu per inane infinitum percitas omnium rerum extitisse causas, adrisit haec opinio, quam et suam fecit Lucretius. Secundum fatum *Stoicum*, quod est non interrupta causarum, effectuumque series a Dei voluntate necessaria, et ineluctabili emanans. Vide Genuensem (*loc. cit. def.* 56.), et Storchenaum (*Cosm.* §. 51.). Tertium fatum dicitur *Spinozisticum*, quod est non interrupta causarum, et effectuum series ab aeterno, et necessario *emanatione essentiali* ab ipsa Dei natura fluens. Hoc fatum nititur errore, unam nempe esse substantiam, idest Deum, eamque donari infinita extensione, et cogitatione, omniaque ex legibus naturae divinae, et necessario fieri. Quartum fatum vocatur *Aristotelicum*, quod est necessaria mundi procreatio ab aeterno facta, uti ait ipse Genuensis; nam Aristoteles est opinatus, ut nonnulli volunt, mundum a Deo ab aeterno, et necessario productum fuisse. Quintum fatum appel-

latur *Astronomicum*, quod est causarum, effectuumque series ineluctabilis ab astrorum vi, et energia proveniens. Sextum fatum est *mahumedanum*, quod est absoluta, et immutabilis causarum, et effectuum ineluctabilis series, libera quidem in Deo, in ipsa vero serie rerum necessaria. His addi potest fatum *Christianum*, quod Providentiam melius vocabis, de qua postea.

598 Verum illa fata repugnant. Repugnat nempe *Democriticum*, tum quia fulcitur falsa hypothesi atomorum non productarum, de quibus sequenti capite disseremus (§. 612); tum quia Deum e medio tollit; tum quia casum probat in fortuito atomorum concursu; tum quia libertatem humanam eliminat. Repugnat *Stoicum*, quia Dei, hominumque libertatem necat, Deumque proinde imperfectum reddit, bonitatem ac malitiam actionum nostrarum exterminat. Repugnat *Spinozisticum*, et quia falsa doctrina unius substantiae nititur, et quia Deum imperfectissimum, peccatorumque auctorem efficit, et quia omnem aufert libertatem. Repugnat *Aristotelicum*, quia aufert Deo libertatem, et mundum, quem creatum capite sequenti monstrabimus, aeternum supponit. Repugnat *Astronomicum* tum quia libertatem destruit, tum quia nulla datur inter sidera, et nostras animas connexio, tum quia et in terra plurium phaenomenorum causas reperimus. Repugnat demum *Mahumedanum*, quod necessitatem statuit, qua humana libertas omnino aufertur. De his vide Genuensem (*Elem. Met. c.* 3. *prop*. 185. *ad* 189.), Storchenaum (*Cosm. sect.* 1. *c.* 3.), Del Giudice (*Ontol. c.* 15. *art.* 4.). Nam diutius in hisce fatis confutandis immorari, esset tempus frustra terere; quia omnia falsis hypothesibus nituntur, quas huc, illucque, in hac Ideologia impugnamus.

## CAPUT SECUNDUM

### DE MUNDI ORIGINE

599. Magna quaestio hic discutienda nobis offertur. Mundus hic habuitne ortum, an semper extiterit? A seipso existit, an vero ab alio ente existentiam receperit? In quavis aetate haec quaestio agitata fuit. Sex circa ipsam hucusque, quod sciamus, habentur sententiae. Itaque 1. mundum aeternum esse, et quidem sua ornatum forma, sunt arbitrati Aristo-

teles, Proclus, Ocellus, Lucanus. Fuerunt quidem, qui sententiam Aristotelis mitigare, aut omnem erroris suspicionem ab eo removere conati sunt, sed actum egerunt, quia nimis aperta est hac in re Aristotelis doctrina. Vide Antonium Genuensem ( *Elem. T.* 5. *Dissert.* 1. *c.* 2. §. 4., *et Disser.* 2. ). 2. Putarunt vero materiam aeternam Thales, Anaximander, Anaxogoras, Archelaus, Socrates, Plato, aliique ex schola Ionica; sed eam a mente divina in ordinem redactam dixerunt. Idem sensisse Pythagoras, plurimique Stoici creduntur. Certum tamen est, gentes orientales fere omnes, exceptis Hebraeis, Chaldaeos, Persas, Sinenses, Aegyptios, Phoenices, Indos ex schola *Sankya Kapilae*, uti refert Cousinus ( *Cours de l'Hist. de la phil. leç.* 6. 7. 8.), credidisse terram cum aqua permixtam ab aeterno extitisse, dictos proinde *chaologos*; atque ab igne, quem veluti Deum habebant, et colebant, illam fuisse ordinatam, sicque omnium rerum fuisse productricem (1). Idem tenent auctor systematis naturae, Dupuisius, Volneyus. 3. Materiam aeternam quoque probarunt Democritus, Heraclitus, Epicurus, Lucretius, Strato Lampsacenus; sed hac in re singularis est eorum opinio. Rebantur ipsi, duo esse omnium rerum principia, *plenum*, idest *atomos*, et *inane* scilicet *vacuum*; illas numero, istud vero extensione, et numero infinitum. Dixerunt porro, hujusmodi atomos esse ex se ab aeterno existentes; varia *figura*, et exigua *magnitudine*, imo et *pondere*, uti putavit Epicurus, donatas; in infinito vacuo continuo volitantes motu *obliquo*, uti Democrito, *directo*, et *declinatorio*, uti Epicuro adrisit; agitatas in se mutuo impactas, postea repulsas, inde consociatas cohaesisse, atque sua collisione et cohaesione mundum, omnesque in eo res efformasse. Hanc absurdam opinionem, quam a Mosco Phoenicio, et Anaximandro ortam derivarunt eruditi (§§. 11. 20.), et ipse probavit Maupertuisius, et Helvetius, uti apposite notat Spagnius ( *De mundo. prop.* 2. *sect.* 1. ). 4. Orpheus, Hesiodus, Pythagoraei aliqui, Porphyrius, Iamblicus inter illos recensentur, qui docuerunt, mundum ex ipsa natura divina ab aeterno fluxisse, imo divinam naturam quamdam partem esse. 5. Ceteri omnes creatum mundum, et materiam putant; ast aliqui inter quos Suarius, Dariesius, Wiucklerus, sunt

(1) *Chaos* significat *vacuum*, *vastum*, *hiatum*, *inane*. De ipso Hesiodus ( *Theog. v.* 116. ) ait: *primo omnium quidem chaos fuit*, *et deinde Tellus lato pectore praedita.*

arbitrati, saltem potuisse mundum ab aeterno creari. 6. Demum qui mundum creatum nullimode inficiantur, de tempore disputant, in quo a Deo ipse creatus sit.

600. Quare in sex articulos totum dividimus caput, ut claritati consulamus. Loquemur proinde in primo de mundi aeternitate; in secundo de aeternitate materiae; in tertio de atomorum systemate; in quarto de mundi emanatione a divina substantia; in quinto de creatione mundi in tempore, et ejus possibilitate ab aeterno; in sexto tandem de tempore, in quo muudus creatus sit.

## ARTICULUS PRIMUS

### DE MUNDI AETERNITATE

601. Quum de mundi aeternitate disputationem instituimus, mundum ab aeternitate existentem, sua vestitum forma, suoque ordine compactum supponimus. Alia siquidem est disputatio de mundi aeternitate, et alia de aeternitate materiae. Licet enim, qui mundum aeternum asserit, materiam quoque mundi aeternam supponat; non omnes tamen, qui materiae aeternitatem tribuunt, hanc quoque mundo largiuntur. Hoc discrimen est inter primam et secundam sententiam ( §. 599. ).

602. *Mundus itaque non potest esse aeternus.* Siquidem 1. mundus profecto est ens compositum ex pluribus entium seriebus, quarum quaeque et ipsa composita est (§. 588.). Verum ens compositum est contingens (§. 311.7.). Ergo mundus est ens contingens, ideoque aeternus esse nequit (§.308.9.). 2. Omnia, quae in mundo sunt, continuis mutationibus, ac vicissitudinibus subjiciuntur, corpora quaecumque, hominum animae, bruta; uti quotidiana docet experientia. Imo structura mundi, seu ratio, qua partes ejus universae ad singulas, et singulae ad singulas, atque ad universas referuntur, est continuo fluxa, et variabilis. Sed quod mutabile est, contingens sit oportet ( §. 307. ), ideoque non semper existens. Ergo mundus non semper potuit existere; ideoque aeternus esse nequit. 3. Quod aliter concipi potest, ac est, quodque existentia expoliari potest, quin sequatur absurdum, certe aeternum esse nequit; quia aeternum est necessarium, et necessarium neque aliter concipi potest ac est, neque existentia orbari (§. 308. 6. ). Sed mundus, et quae in mundo sunt, aliter concipi pos-

sunt ac sunt, et existentia possunt expoliari, quin sequatur absurdum. Nonne enim potest concipi mundus aliter ac est? Quodnam sequeretur absurdum, si Iupiter quatuor non haberet satellites? si terra splendesceret, et sol foret opacus? Si Jovis moles aliorum planetarum molem non vinceret? Si terra non existeret? Imo si totus, quantus est universus, numquam extitisset? Mundus itaque nequit esse aeternus. 4. Si mundus foret aeternus, ait doctissimus Gerdilius ( *Demonstrat. mathem. cont. l'étern. de la mat. art.* 3. *dissert.* 1. ), quaevis solis revolutio infinitas solis revolutiones sequeretur, quia, si finitae numero praecedentes admitterentur revolutiones, initium solis revolutio habuisset, ideoque mundus non foret aeternus. Sed infinitae numero solis revolutiones repugnant, quia repugnat series numero infinita (§. 313. 7. ). Ergo et repugnat mundum ab aeterno extitisse. 5. Idem dic de materia hujus mundi, quae extensione donatur. Nam si mundus aeternus sit, aeterna est materia, et quidem materia extensa. Sed extensio in materia finitane est, an infinita? Si finitam dicis, certe materia, et proinde mundus aeternus esse nequit; quia quod est finitum, augeri potest, et quod augeri potest, aliter esse potest; ideoque contingens est (§.307.), et proinde non aeternum. Si vero dicis infinitam, dicis simul dari partium numerum infinitum, quia extensio est partium extra partes positio ( §. 509. ). Sed numerus infinitus repugnat, quia si est numerus, est quantitas; si est quantitas, augmenti est capax; si augmenti est capax, numquam infinitus esse potest. Igitur mundus aeternus esse nequit. 6. Quod vero mundus reapse non sit aeternus, ex eo quoque colligi potest, quod omnia novitatem in hoc mundo praeseferant. Sed de hoc in quinto articulo hujus capitis disseremus.

603. Ad labefactandam hanc demonstrationem plura collegerunt adversarii. Ponunt 1. progressum causarum, et effectuum contingentium infinitum, quem tamen non eodem modo explicant. Aliqui quidem seriem *rectilineam* admittentes, unum ab alio, tertium a secundo, et ita deinceps usque in infinitum derivari commenti sunt. Alii vero *circularem* seriem probantes, omnes hujus mundi substantias centies, et millies, et infinitis vicibus, modo nasci, modo corrumpi, aliasque efformare, hasque denuo easdem vicissitudines subire, quin unquam hoc phaenomenon finem haberet, autumarunt ( §. 352. 8. ). Dicunt 2. ex contingentia singulorum entium, quae in mundo existunt, haud sequi totam contingentium seriem, ideoque mundum ipsum esse contingentem; nam

neque unitates sunt numerus, et numerum efformant, neque singuli milites sunt exercitus, et milites singuli exercitum componunt; plures causae unum effectum producunt, licet singulae illum nequirent producere; unum organum animal non efformat, efformant vero omnia simul sumpta. 3. Demum arguunt hoc modo. Series causarum subordinatarum absque ultima certe esse potest, quidui absque prima?

604. Sed haec absurda sunt. Nam prima in objectione haec latent pugnantia. Repuguat numerus causarum, et effectuum infinitus. Siquidem, si numerum dicas, unitatum colletionem dicis; si collectionem unitatum asseras, asseris simul capacitatem augmenti, alioquin numerus non foret, non foret magnitudo, non foret quantitas; si capacitatem augmenti probes, probas simul, numquam hanc capacitatem terminum invenire; si hoc confitearis, confiteri simul cogeris, sine fine esse hanc capacitatem; ideoque numerum cum fine semper concipere, et admittere poteris, imo teneberis. Sed quod finem, seu terminum habet, infinitum non est ( §. 312. ). Igitur infinita causarum, et effectuum contingentium series sive rectilinea, sive circularis omnino repugnat. Vide Gerdilium (*loc. cit. art.* 1. *et* 2.). Deinde repugnat, seriem esse necessariam, dum contingentibus constat. Summa seriei est profecto collectio terminorum, qui eam efformant. Si itaque termini seriem efformantes contingentes sunt, tota seriei summa et contingens erit. In quonam enim suae necessitatis rationem haberet illa seriei summa? Non in entibus contingentibus, quae eam componerent, quia nemo dat, quod non habet; non extra illa coutingentia, quia nullum aliud ens in hac progressus infiniti hypothesi datur. Igitur series illa, quaecumque sit, infinita esse nequit, alias necessaria foret. Demum repugnat, infinitam seriem sine ente, quod illam veluti sustentet, existere; quia quaevis series primum unum supponit, a quo tota series pendet, uti tota catena unum primum supponit annulum. Hoc unum porro infinita vi pollere debet, ut infinitam seriem sustentet. Sed in serie contingentium nullum est, quod hac vi gaudeat, quia quodvis contingens finitum est, et infinita vi donari nequit. Constat itaque, causarum, effectuumque infinitam seriem contingentium nullimode posse existere, ideoque nec mundum esse necessarium, ideoque neque aeternum.

605. Ad 2. responsio eruitur ex antecedenti responsione, ex qua patet, numquam ex contingentibus seriem necessariam exsurgere. Neque ad rem faciunt allata exempla. Siquidem

natura collectionis ea est, ut sequatur illam singulorum, ex quibus collectio enascitur. Quare collectioni negandum est, quod singulis collectionis partibus negatur; tribuendum vero quod partibus saltem *inadaequate*, et *inchoative* convenit. Ita numquam videntem vocabis multitudinem caecorum, quia nullus ex illa caecus videt; numquam numerum dices zerorum coacervum, quia nullum zerum habet aliquid, ut numerum componat; numquam cogitantem putabis materiae cumulum, quia nulla ex illa pars inchoativam habet cogitandi vim. E contra numerum recte appellabis unitatum collectionem, quia quaevis unitas aliquid ponit, ex quo numerus efficitur; exercitum autumabis militum catervam, quia quivis miles inchoat exercitum; animal dices organorum omnium collectionem, quia quodvis organum ad totum concurrit. Primo sensu accipienda sunt contingentia, quae nil necessitatis continent, nil immutabilitatis, imo omnem necessitatem ex suo excludunt conceptu. Quomodo igitur necessitatem existentiae valent collectioni largiri? Igitur recte ex insufficientia contingentium ad existendum inferimus, totam contingentium seriem ad existendum ex se esse insufficientem, seu esse contingentem.

606. Ad 3. demum dicimus, seriem causarum sine ultima non repugnare, quia haec ultima nil in causas influit antecedentes; et quia in ipsa serie quaevis causa suum producit effectum, qui in causam abit, novumque effectum producit; et quia omnes hujusmodi causae subordinatae primam supponunt, a qua omnes pendent. Ast non ita est dicendum de serie sine causa prima, qua deficiente, omnes illae seriei causae subordinatae insufficientes sunt, quia nulla est necessaria ( §. 604. ).

## ARTICULUS SECUNDUS

### DE MATERIAE AETERNITATE

607. Materiam hic accipimus pro quibuscumque elementis, ex quibus mundus corporeus efformatus est, sive molem confusam, sive chaos, sive atomos, sive materiam primam, sive corpuscula vocabis (§. 571.). Materiam enim hic accipimus sine dispositione, sine forma, sine ornatu, sed veluti rudem, ac indigestam quamcumque molem. Haec est secunda sententia ( §. 599. ).

608. *Materia nequit esse aeterna.* Quandoquidem 1. illud non est aeternum, quod sine existentia concipi potest, quin sequatur absurdum; sed materia sine existentia concipi potest, atque existentia expoliari, quin aliquod sequatur absurdum. 2. Si materia foret aeterna, a nullo pendere deberet, alioquin principium ab illo haberet, a quo penderet; sed materia improducta, et aeterna supponitur dependens a Deo, qui eam disposuit. Ergo foret dependens et independens, quod repugnat. 3. Supposita materiae aeternitate, et a Deo in ordinem dispositae, Deus iniquus fuisset, quia sibi subjecisset materiam, quae ex sua natura erat ex se existens, et ab ipso independens. 4. Si materia foret aeterna, foret quoque necessaria, ideoque immutabilis (§. 308.). Sed materia continuo mutatur, uti unicuique patet. 5. Si materia foret aeterna, foret quoque infinita, ideoque infinitis partibus constaret. Sed numerus infinitus repugnat (§. 313. 7.). 6. Si materia foret aeterna, et proinde infinita, finitisne partibus, an intensive infinitis constaret? Non primum, alioquin infinitum oriretur a finito ( §. 582. n. 6. ), quod esse nequit; non alterum, alioquin darentur infinita entia infinita, quod etiam repugnat. 7. Si materia foret aeterna, ideoque infinita, totum repleret spatium infinitum; ergo nullum vacuum foret, nullus motus, quod experientiae opponitur. 8. Si materia foret aeterna, existeret a se, ideoque esset ens necessarium, ac proinde aliquem etiam haberet existendi modum necessarium, quia sine aliquo existendi modo concipi nequiret, si existeret. Sed nullus existendi modus in materia est necessarius, quia aeque concipi potest in motu , et in quiete, hac, aut illa modificatione decorata. 9. Si materia esset aeterna, et proinde necessaria, quaevis ejus particula necessaria foret, haberetque suum existendi modum necessarium, a quavis alia particula independentem, ideoque nulli subjecta. Ergo numquam variari, numquam aliis modificationibus subjici, numquam suo modo essendi expoliari possent materiae particulae. Hoc vero cum experientia pugnat. Patet igitur materiam aeternam esse non posse. Totam hanc demonstrationem paucis ac eleganter protulit Emus Poliniacus ( *Anti-Lucr. lib.* 3. *v.* 1049. )

„ Materies porro, seu massam intelligis omnem,
„ Seu varias ejus partes, consistere numquam
„ Absque modis potuit: non hunc, aliumve requirens
„ Per se, naturamque suam ( quia quos semel olim
„ Per se, naturamque suam tenuisset ab aevo,
„ Numquam hos ex ulla posset deponere causa),

„ Ast aliquem semper, nempe hunc aliumve, perinde est.
„ Ergo quos habuit primos, servatque tenaces,
„ Vel quos deponit semper, semperque resumit;
„ Hos quum non habeat per sese, habuisse necesse est
„ Ab alio. Et quoniam revera tempore nullo
„ Stare potest informis, et omni cassa figura
„ Materies, sequitur per se consistere nullam
„ Materiem, atque ab eo totum hoc sumpsisse, quod habet,
„ A quo etiam hoc sumpsit talis vel talis ut esset.
„ Propterea quidquid per se est variabile, non est
„ Aeternum; et pendere aliquo ex moderante necesse est.
„ Talis materies nequit ergo aeterna vocari:
„ At si materies non est aeterna, creari
„ Debuit e nihilo; per sese non fuit unquam,
„ Est tamen; e nihilo semper existere debet „.

609. Ad haec reduci possunt, quae materiae aeternitati favere videntur. 1. Materia, et quaevis ejus particula est semper in motu, ac numquam quiescit; motus igitur est materiae essentialis; ideoque posita materia ab aeterno existente, cum motu stare potuit. 2. Si materia non foret aeterna, ad aliquem finem creata fuisset; sed nullus finis concipi potest, et finem statuit usus.

610. Ad 1. dicimus, motum haud materiae competere vi essentiae, quia materia ad motum aeque ac ad quietem est indiffereus, et in motu concipi potest aeque ac in quiete; porro quod enti competit vi essentiae numquam ab ente abest. Ex quo sequitur, materiam non esse aeternam; cum enim ipsa nequeat existere nisi in motu, vel in quiete; cumque ad motum, et ad quietem sit indifferens; illa determinatio, quae necessario habere ad motum, vel quietem debet, ab alio certe derivatur. Quoniam vero existere sine aliqua nequeat determinatione vel ad motum, vel ad quietem; patet, una cum hac determinatione existentiam recipere debuisse. Si enim tu finges, materiam extitisse sine determinatione ad motum, vel ad quietem, admittere cogeris, extitisse absque ulla determinatione, nempe absque ullo existendi modo, quod certe esse nequit, quia quodvis ens, dum existit, debet aliquem existendi modum habere. Quare ex hoc ipso, quod materia ad motum, et ad quietem sit indifferens, recte eruitur, ipsam aeternam non esse. Neque materiae particulis motus est essentialis, si collective sumantur; quia in hac hypothesi, antequam ratione reciproca agerent, statum quietis haberent; nam aliquem statum existentiae debent habere, et actio, quam quaelibet par-

ticula in alteram exerit, supponit aliquem existendi statum, qui nequit esse nisi status quietis, quia actio ita supponitur ex reciproca actione orta, ut, si unum elementum existeret, nullam haberet actionem. Porro hic status quietis ante actionem repugnat, quia motus, et quietis status aeque competit materiae, quae in quiete esse nequit, neque in motu, nisi ab alio ad alterutrum statum determinetur. Hypothesis proinde destruit seipsam. Deinde actio illa reciproca partium materiae aliquem profecto existendi statum supponit; hic status existendi non dependet ab actione, quae sequitur existentiam, et existentiae statum. Igitur ab alio hic existentiae status derivatur; sed hoc aliud non est certe ipsa materiae natura, tum quia nulla relatio distantiae, situs, loci est materiae essentialis; tum quia modo in quiete, modo in motu est, quin naturam mutet. Igitur aliud ens requiritur, quod ad aliquem existendi statum determinet illas materiae particulas, ut ad invicem agere possint. Quare hoc aliud illis particulis statum existendi tribuens, existentiam, quae sine illo statu existendi concipi nequit, etiam largitur. Posito autem hoc alio, quod existentiam, et existendi statum largitur, non amplius aeterna materia est, et ratio reddi potest, cur ad motum, vel ad quietem determinetur. Igitur neque materiae, neque materiae partibus motus est essentialis; neque proinde aeterna fingi potest materia. Vide Gerdilium ( *dissert.* 2. *loc. cit.* ).

611. Ad alterum vero respondemus, aliquem certe finem sibi Deum praestituisse, uti videbimus in sequenti capite. Imo omnes philosophi, cum in natura aliquid inveniunt, aut detegunt, finem semper, ad quem illud dirigitur, noscere nituntur, pro certo habentes, omnia finalibus causis effecta esse, uti notat Stewart (*Esquis. de phil.mor.sect.*1.*ch.*2.*ar.*2.§.11.). Finis quidem singularis et immediatus alicujus entis ignorari potest; sed finis semper adest, quia ubique ordo videtur, ubique infinitae sapientiae argumenta. Nonne oculus ad videndum datus est, auris ad audiendum? Quare igitur non videmus auribus, ac oculis audimus? Falsum vero est, ex usu derivari finem, quia ante usum finis supponitur in agente, uti artifex primum finem respicit, et postea horologium componit. Omnia ad aliquem usum praestabilita sunt, ideoque ad aliquem finem ex usu obtinendum, sed antea respectum. Vide Mancino (*Elem. di Fil. v.* 2. §. 729. *ad* 731., *et* 737. 738.).

## ARTICULUS TERTIUS

### DE ATOMORUM SYSTEMATE

612. Ad tertiam convellendam hypothesim ( §. 599. ) de Domocriticis atomis, quam et recentes increduli promovent, hic articulus dirigitur. Itaque *nullo modo fieri potuit*, *ut atomi mundum efformarent*. Nam 1. omnia argumenta, superius allata ( 608. ) contra materiae aeternitatem, demonstrant quoque, atomos improductas et aeternas, uti supponitur in hac hypothesi, numquam extitisse. 2. Ruit haec opinio etiam ex iis, quibus ostendimus (§. 610.), motum non esse materiae, aut materiae particulis essentialem, contra ac in hac supponitur Epicurea sententia. 3. Falsum patet hoc systema etiam ex eo, quod plures existant in mundo substantiae cogitantes, et cogitatio atomis convenire non posset, uti alias docuimus , ( §. 430.). 4. Insuper atomi illae fueruntne numero finitae, an infinitae? Non certe finitae, quia quaelibet extitisset suae naturae necessitate, et nulla est ratio, cur haec aliquibus, et non infinitis tribuatur. Sed neque infinitae, tum quia numerus infinitus repugnat (§. 313. n.7.); tum quia spatium replevissent, et motum destruissent, numquamque proinde corpora et mundum efformassent. 5. Sed existebantne illae atomi in aliquo loco, an in nullo? Non hoc postremum, quia nihil fuissent. Si vero alterum; cum necessitate suae naturae extitissent, fuissent in illo quaeque loco determinatae. Ast in hac hypothesi numquam locum suum quaelibet reliquisset atomus , ideoque nulla earum mota fuisset, et proinde numquam mundum essent molitae. 6. Ast illae atomi motum habuerunt in eadam directione, eademque velocitate, an diversa? Non *eadem*; quia numquam agere, numquam incurrere in se invicem potuissent, ideoque nec secum sociari, nec corpora compingere, sed semper inter se distantiam servassent. Non *diversa*; quia nulla est ratio admittendi hanc directionis et velocitatis diversitatem in entibus aeque necessariis, aeque aeternis, aeque in motum natura sua percitis. 7. Verum quomodo corpora his efformata atomis harmoniam et ordinem, quem in mundo suspicimus, statuerunt? Quisnam primitus impulsum illis est largitus corporibus, ut solem, et lunam, aliasque planetas componerent hac lege, ut ceteri circa solem moverentur? Certe hi planetae *perseverabant quidem in orbibus suis per*

*leges gravitatis*, *sed regularium orbium situm primitus acquirere per leges hasce minime potuerunt*, uti docet Newtonus (*Princ. math. phil. nat. l.* 2. *sch. gen.*). 8. Et undenam est, ut tot saeculorum fluxu ordo praesens imperturbatus, ac constans continuo persistat? *Quod si mundum efficere potest concursus atomorum*, *cur porticum*, *cur domum*, *cur urbem non potest*, *quae sunt minus operosa*, *et multo quidem faciliora*? Ait Tullius ( *De nat. deor. l.* 2. *c.* 37. ).

613. Sed dicunt hujus systematis fautores, quorum patrocinium, inter recentes suscepit Diderotus (*Pensées philosophiques. n.* 21.). Praesens rerum conformatio inter infinitas possibiles conformationes possibilis erat; praesertim si atomis improductis aliquod a recta linea tribuatur clinamen. Ergo forsan est. Verum 1. impossibilis est haec conformatio ob aequalem directionem et velocitatem, quam ipsae atomi habere debuissent. 2. Absurda prorsus videtur haec conformatio ex fortuito atomorum concursu, quia legibus omnia sunt constricta generalibus, et quia quodvis ad singularem finem, omnia hujusmodi entia ad finem generalem diriguntur, quem casus respicere nequivit. 3. *Clinamen* illud systema destruit, quia directio in lineam rectam aut essentialis est aut non; si essentialis, *clinamen* illud est impossibile, si non essentialis, quaenam causa est clinaminis? Eccur per lineam rectam, uti Epicurei admittunt, atomi currunt? Nonne clinamine rudem molem produxissent? Vide Tullium (*De fato c.* 10.), et Fenelonium ( *De l'existence de Dieu par.* 2. *n.* 85. ).

## ARTICULUS QUARTUS

### DE MUNDI EMANATIONE A DIVINA SUBSTANTIA

614. Triplici in sensu accipi potest mundus, aut mundi materia a Dei substantia emanata. Nam aut mundus est ipsa Dei substantia; aut est quiddam a Deo diversum, sed ab ejus substantia, uti tela ab aranea, evoluta (1); aut mundus est veluti

(1) *Emanatistae*, qui cum Spinoza Deum cum mundo confundunt, docent, mundum *evolutum* a Deo per actionem *immanentem*; qui vero dicunt, mundum a Deo, uti telam ab aranea, *evolutum*, docent, *evolutum* per actionem *transeuntem*. Huc referri potest kabbalistarum error, dicentium, mundum a Deo emanari per divinae substantiae *radiationes* (§. 456 ). In quocumque tamen casu verus habetur pantheismus, ait Galluppi contra Frideri-

quoddam magnum animal, cujus anima sit Deus, quem Stoici, uti cecinit Virgilius (*Georg. l. 4. v.* 222.), dixere ....*ire per omnes*

*Terrasque, tractusque maris, caelumque profundum;*
*Hinc pecudes, armenta, viros, genus omne ferarum,*
*Quemque sibi tenues, nascentem arcessere vitas.*

Verum videbimus in sequenti hujus nostrae philosophiae parte de prima inquisitione. Quaerimus heic proinde duo, utrum mundus a Deo emanatus sit, et utrum mundus habeat suam animam.

615. *Mundus non est ortus per emanationem a Dei substantia.* Nam si a Dei substantia mundus emanasset, foret aut ipsa Dei substantia diffusa, et, ut ita dicam, dilatata; aut Dei substantiae quaedam portio; aut quocumque modo per decisionem divinae substantiae productus. Primum repugnat, quia Deus simplex est; quod vero est simplex, in substantia idem semper est natura sua. Secundum esse non potest, et quia Dei simplicitatem auferret, et quia tot Dii forent, quot sunt substantiae, aut particulae materiae mundi. Tertium pugnat cum iis, quae diximus (§. 355. 5.) de productione substantiae ab alia, nam nullum ens ab alio produci potest a nihilo per sui decisionem. Sed haec in Theologia Naturali longius evolventur (§. 714.), ubi Pantheismus convelletur.

616. *Anima mundi non extat.* Nam haec anima mundi est aut Deus et simplex, aut Deus et materialis, aut aliud ens spirituale, aut aliud ens materiale. *Si Deus est et simplex*, anima non est; quia Deus neque rebus, uti anima in corpore humana, sedet; neque a rebus ullo modo movetur, uti, cum de Dei immensitate et ejus independentia, et impassibilitate, in sequenti parte docebimus. *Si Deus et materialis est*, tunc anima non est; quia foret ipsa materia improducta, et aeterna jamjam refutata (§. 608.). *Si aliud ens spirituale* a Deo distinctum dicitur, neque anima est; quia nulla fulcitur ratione, cum nulla utilitas, nullum commodum, nulla necessitas istud ens spirituale admittendi noscatur, et, ubique esse, numquam probetur. *Si aliud est ens a Deo* distinctum materiale, anima non est; quia perperam anima diceretur, et adhuc pro-

cum Schlegel (*Filos. della volon. vol. 4. c.* 1 §. 45.); quia in systemate *emanationis* Deus asseritur omnia absolute ante mundum; post mundum vero Deus *sese explicat, et evolvit per emanationes, et affluxiones a summis ad ima, quibus constituuntur diversae rerum creatarum formae, et ordines*, ut ait Burnetus (*archeol. philos. l.* 1. *c.* 7.)

bandum foret, esse ubique. Igitur anima mundi non extat. Vide Geuuensem ( *Elem. met. par.* 1. *prop.* 160. *sch.*).

617. Ex lucusque dictis in hoc capite patet, mundum, cujus jam statuimus existentiam (§. 573.), neque quoad dispositionem, et ordinem (§. 602.); neque quoad materiam, ex qua conflatur, esse aeternum (§. 608.); neque a concursu atomorum fortuito potuisse oriri (§. 612.); neque a Dei emanare substantia (§. 615.). Igitur ortus qer creationem dicendus est, quia alia fieri nequit hypothesis. Sed melius constabit ex sequenti articulo.

## ARTICULUS QUINTUS

### DE MUNDI CREATIONE IN TEMPORE, ET DE POSSIBILITATE EJUS CREATIONIS AB AETERNO

618. Iam vidimus alibi (§. 354.), creationem esse actionem, qua ad existentiam educitur aliquid, quod prius existentiam non habebat. Quaeritur itaque, utrum mundus creatus sit a tota aeternitate, aut saltem a tota aeternitate creari potuerit. Cum de creatione facta inquirimus, factum ipsum expendendum, ac examinandum est; cum de possibilitate creationis quaerimus, rationes afferendae potius sunt cribrandae. Insuper, cum de creatiouis possibilitate quaerimus, copulative sumimus haec duo, utrum Deus ab aeterno creare potuerit, et utrum mundus ab aeterno potuerit existentiam recipere. Nam plures sunt, qui notant, Deum, quia ab aeterno omnipotentia donatus est, ab aeterno quoque potuisse mundo existentiam largiri, atque mundum, licet ens a se non existens, potuisse, ispectum quoad suam intrinsecam possibilitatem, existentiam ab aeterno recipere. Quare nos quaerimus, utrum Deus ab aeterno creare potuerit mundum, et utrum mundus capax fuerit creationis ab aeterno.

619. *Mundus non fuit creatus ab aeterno.* Nam 1 *totum hominum genus quocumque patet tellus, omnique tempore vetusta, nec uspiam interrupta traditione homines, atque nunc nostrum globum, aliquando caepisse docuit*; ait Cl. Antonius Genuensis (*Discip. met. t.* 5. *dissert.* 2.). Dissident siquidem gentes, serius an citius incaeperit; sed in eo sunt constantes, mundum hunc originem non pluribus retro saeculis habuisse. Id vetustissimi praecipiebant populi Aegyptii, Phaenices, Judaei, Persae, Chaldaei, Aethiopes, Scythae, Thraces, Graeci veteres, Etrusci; id Indi, Siamenses, Sinen-

ses, Peruani, Mexicani.... Nonne in tam concordem sententiam vetustissima, et non interrupta illi venere traditione? 2. Ejus rei argumenta, ait ibidem Genuensis, satis ampla sunt in rebus humanis, in artibus, in religiosis cultibus, linguis, gentium originibus. Artes enim a Phaenicia, et Aegypto sunt oriundae; cultus ubique erga aliquod supremum numen obtinet, sed preces, et fruges primum illi sacrificabant; mox etiam pecora, dein solis cultus ubique; linguae unam, communemque matrem praeseferunt; coloniae, et populorum origines primae ex oriente exiere, uti vetera docent documenta. Omnia ostendunt, mundum heri, aut nudius tertius initium habuisse. 3. Nulla est historia, nullum monumentum, nulla inscriptio, nullum numisma, quod infinita mundo concedat saecula. Eccur hoc, nisi quia haec saecula non praecesserint? 4. Geologi ipsi, uti inter ceteros Cl. Cuvierus (licet iste creationem hominis ab illa aliarum rerum distinguens, totam creationem septem veluti revolutionibus annorum factam esse, non sine ausu statuerit), modo mira consensione docent, monumenta, quae in ima terra inveniuntur, mineralium, vegetabilium, animalium, satis superque monstrare, mundum ab hinc septuaginta saeculis, aut circiter incaepisse. 5. Si terra haec, quam incolimus, ab aeterno creata fuisset superficiem fere ubique planam haberet, ait Pluche; nam torrentes, pluviae, ventorumque agitationes, montes deprimunt, elevant valles. Ast hoc roboratur etiam sequenti demonstratione. (1).

620. *Sed neque ab aeterno a Deo potuit creari mundus.* Siquidem 1. creatione aliquid suae existentiae initium sumit; quod vero aeternum est, nullum habet initium. Pugnat vero aliquid habere, et non habere initium; et quod pugnat, a Deo fieri nequit. 2. In mundo dantur profecto entia successiva (§. 588.), quae infinita numero esse possent, si mundus ab aeterno potuisset creari. Ast numerus infinitus repugnat, uti saepius diximus. 3. Idem dic de animabus, quae simultanee, quia numquam deficiunt, existunt, quaeque numero infinitae esse possent, si possibilis foret mundi ab aeterno creatio. 5. Sed in hac hypothesi quinam fuisset primus, nox, an dies? Simul esse non potuissent, quia successiva sunt;

(1) Sed curiosus quinam postulabit: effecitne Deus aliquid ante hunc mundum? Poterat efficere, sed utrum effecerit, ratio omnino silet. Fide tamen scimus, *in principio creasse Deum caelum, et terram, et omnia, quae in eis sunt*; imo *firmiter credimus* cum PP. Conc. Lat. IV., *quod Deus simul ab initio temporis utramque condidit naturam spiritualem, et corporalem, et humanam inter utramque mediam.*

nullus vero primus, alioquin temporis initium statueretur. Igitur aut initium fuit, aut nulla creatio. Vide Dmowski (*Cosmol.* §. 18). (1)

621. Sed multa opponunt contra dicta (§. 619. et 620.), qui Aristotelis, Procli, Averrois ineptias recoquere nituntur. Dicunt itaque, 1. creatio est impossibilis; ergo mundus initium non habuit. 2. A nihilo nihil fit; ergo mundus semper extitit; 3. Deus ab aeterno est bonus, et sui diffusivus; ergo ab aeterno mundo est largitus existentiam. 4. Deus ab aeterno voluit creare mundum; ergo ab aeterno creavit. 5. Causa efficiens existit cum suo effectu; ergo mundus est aeternus, uti ipse Deus est.

622. Ad 1. Modum, quo creatio fit, ignoramus, ejus autem possibilitatem luculentissime probamus ex rei creandae possibilitate, et ex Dei omnipotentia infinita, quae omnia potest, dummodo non sint impossibilia (§. 281.). Deinde, cum omnia mundi entia sint contingentia; cumque mundus, uti probatum est, nequeat esse aeternus; certe si existat, per creationem existentiam debuit recipere. Igitur creatio est possibilis. Vide Genuensem (*Elem. phil. par.* 1. *prop.* 63. *sch.*). (2)

623. Ad 2. Ex nihilo, tamquam subjecto, aut materia, aut causa efficiente, certe nihil fit. Ex nihilo nil potest sibi

(1) Neque dicas, creationem ex nihilo tantum includere, quod materia non sit praeexistens, non autem quod habeat initium. Nam hoc ipso, quod materia non praeextiterit, recte infertur, quod initium habuerit.

(2) Putat auctor Fragmentorum Cosmologiae (*Dissert.* 1. *n.* 13. *ad* 21. *cum nota c.*) ante *emersionem* extantiom entium hujus mundi e nihilo supponendum esse statum antecedentem, *intermedium* inter aeternum ordinem possibilium, et istorum existentiam. Siquidem possibilia gaudent *aeterno*, *necessarioque ordine*, qui ex eorum fluit natura, et a quo non fluit necessario ipsorum possibilium existentia; alioquin necessaria, et aeterna foret ipsa eorum existentia, modusque existendi, contra ac fert contingentiom natura. (§ 307.). Deus autem creare volens haec possibilia, super ipsa effectricem suam actionem exercuit, ut rationem effectus habuisset id, quod in ipsis produxit, *ordinando* nempe, et *praeparando* possibilia ad *proxime* extandum. E. g. *A.* moveat *B*; ut motus *B.* existeret, deberet *A.* uti anteriore impulsione, quae foret *praeparatio proximi* motus *B.* Haec autem praeparatio, et ordinatio Dei possibiliom ad existendum non est existentiae communicatio, alioqoin possibilia existerent praeparata, et ordinata ante praeparationem. Quare concipiendus est *primus ordo* ad extandom *remotus*, secundus *proximus*, tertius ipsa *emersio* e nihilo. Posito secundo, evanescit primus, oti evanescit secundus, posito tertio. Haec doctrina videtur non improbanda, quum quaevis causa reapse praeparet, et disponat ens, super quod suam vim exerit. Sic scribere volens, calamum primo, hinc calamum in manu, dein manum super chartam aptare, ordinare, praeparare mihi opus est; post haec demum habetur scriptio.

donare existentiam. Ex nihilo, licet centies per seipsum ductum, nil profecto sequitur. Nihil est sine causa efficiente; et nihili nullae sunt proprietates reales. Hi sunt sensus nihili (§. 277.). Ast si sumamus nihil pro aliquo ente possibili, quo in sensu revera accipimus; certe, ex nihilo potest fieri aliquid, nempe quod est possibile, potest fieri existens, si Deus, qui omnia possibilia potentia sua complectitur, voluerit. Vide Cl. Galluppi (*Lez. di Log.* e *Met. Lez.* 122.). Neque desunt exempla, quae aliquo modo creationis possibilitatem illustrant, uti sunt cogitationis efformatio, et successio in mente nostra, nec non motus, quem anima corpori imprimit. Hac de re legatur, si licet, Baylius (*Dict. art. Ovid. Rem.* 5.).

624. Ad 3. Deus ab aeterno bonus est, sed quid inde? Est bonus et ideo pronus ad res creandas; sed liberrimus est, ideoque quando vult, creationem peragit. Homo ipse aliqua bonitate bonus est; attamen haud semper est sui diffusivus. Si Deus necessario ageret, certe ab aeterno ad extra egisset. Deinde non ideo praecipue mundus ab aeterno non est creatus, quia Deus noluit seipsum diffundere, sed quia res possibilis incapax est existentiae aeternae.

625. Ad 4. Deus quidem ab aeterno voluit mundum, quia quidquid in Deo est, ab aeterno est, neque ulla est ratio, cur prius non voluerit, quod postea vult. Adde, quod Deus mutatus esset, si noluisset ab aeterno, quod voluit in tempore. Sed mundum voluit ab aeterno creandum in tempore, quia nequivit ab aeterno creare, nam creatio et aeternitas secum invicem pugnant, et Deus nequit impossibilia efficere.

626. Ad 5. Falsum omnino est, causam eodem tempore existere debere, quo effectus existit. Nam duplici in sensu causa accipienda est; aut quatenus est illud ens, quod postea agit, et causa dicitur; aut quatenus reapse agit. In primo sensu causa existit tempore ante effectum, uti existit pater ante filium humanum, et artifex ante horologium ab ipso efformatum. In secundo sensu causa, uti causa illius effectus est, cum effectu existit (§. 452. 4.). Deus ab aeterno existit; sed creator mundi seu causa mundi est in tempore, quia ab aeterno repugnat mundi existentia, habentis per creationem initium.

627. Sed urgent adversarii 1. Deus semper facit melius; sed melius est, mundum existere ab aeterno, quam in tempore; 2. Deus est immutabilis; ergo non potuit creare in tempore, quod non creavit ab aeterno; 3. ratio creandi mundum in Deo est aeterna; ergo et mundus aeternus; 4. Deus ab aeterno cognovit mundum, ergo et ab aeterno voluit; 5. qua-

re ab aeterno Deus mundum non condidit? invidus fuisset, si noluit; impotens, si nequivit; inscius, si nescivit.

628. Ad 1. Deus semper meliora, imo optima operatur; ast quae sunt optima? Profecto quae fini praestituto magis respondent (§. 298.). Verum scisne tu, magis Dei fini mundum aeteruum, quam mundum in tempore creatum respondere? Adde, quod numquam melius sit, quod est impossibile; impossibilis vero est mundus ab aeterno creatus.

629. Ad 2. Deus opera mutat, consilia non mutat; quia ab aeterno semper voluit, quae in tempore facit. Mutaturne qui hodie decernit, cras iturum Neapolim, et cras reapse Neapolim petit? A tota aeternitate Deus statuit mundum in tempore creare; creavit reapse. In quo est Deus mutatus? Sed prius non erat creans? Concedimus non fuisse creantem prius, quam mundum crearet, quatenus mundus non existebat, antequam existeret; sed creans erat Deus quia decreverat creare; ast decrevit, et voluit creare in tempore. Creavit reapse, mundusque ex non existente factus est existens, atque ita terminus mutatus est, non Dei voluntas, quae denominatur creans ob *relationem* externam ad terminum, et non quoad se, quia in se semper creans est. Neque dicas, *a potentia transisse in actum*, quia semper in actu fuit Dei voluutas respectu sui. Sed quaeso, mutaturne Deus, cum ea et modo creat, quae prius non erant, quaeque ipse ab aeterno statuit in tempore creanda?

630. Ad 3. Ratio quidem creandi mundum est aeterna in Deo; ast simul cum ratione creandi in tempore. Ratio itaque fuit in Deo, eaque sapientissima, sed haec ipsa ratio requirit, ut mundus in tempore existentiam reciperet.

631. Ad 4. Deus quidem ab aeterno cognovit mundum inter possibiles, et possibilem cognovit. Verum omnia, quae cognovit Deus, fecit? Si hoc verum foret, omnia possibilia creasset, ac omnino exhausta foret ejus omnipotentia. Sed quisnam effutiet demens, Deum omnia condidisse possibilia? Nonne possibiles sunt alii, et alii mundi huic nostro similes? Et tu facisne omnia, quae cognoscis? Deus liber est in operibus *ad extra*. Igitur facit, quae suo sapientissimo congruunt fini. Deus nil commodi a rebus creatis mendicare potest, quia ipse sibi sufficientissimus est, ac beatissimus. Eccur itaque debebat creare, quae nolebat?

632. Ad 5. Quare ab aeterno Deus mundum non condidit? Quia nequivit; nam res, quae creatur, nequit non habere initium; initium vero non habuisset mundus, si ab ae-

terno fuisset creatus. Quae vero impossibilia sunt, Deus nequit efficere, non defectu suae omnipotentiae, sed defectu rei, quae nequit in duplici contradictorio statu esse. Deinde, noluit Deus ab aeterno mundum creare, quia poterat nolle; nam liber est, et quae vult, facit. Impotens vero Deus, qui omnia potest? Invidus Deus, qui nullo indiget? Credat de Maillet, nos non credimus. Decrevit Deus libere, creavit mundum in tempore, et libere creavit; potuit velle in hoc, potuit in altero tempore ( si tamen tempus ante mundum daretur); voluit, creavit. Tu quis es, o Epicure, qui contumeliose postulas: *cur tanto tempore feriatus sit Deus?*

633. Contra alteram propositionem ( §. 620. ) sic insurgunt, qui mundo ab aeterno creationis possibilitatem tribuunt. 1. Mundi possibilitas est aeterna; ergo possibilis ejus creatio ab aeterno. 2. Deus ab aeterno potuit creare mundum. 3. Creatura potest semper durare; ergo potuit ab aeterno creari.

634. Ad 1. Possibilitas reponitur in attributorum convenientia. Porro mundus, uti nunc est, non repugnabat. Ex quo unum sequitur, Deum potuisse mundum creare. Verum ad hoc, ut mundus crearetur *ab aeterno*, requiritur praeterea, ut nulla sit pugna creationem inter, et aeternitatem. Cum porro haec pugna nequeat auferri, impossibilis est creatio ab aeterno.

635. Ad 2. Deus potuit creare mundum, nempe potuit mundo, qui possibilis erat, dare existentiam, vi cujus mundus initium habere potuit. Verum, quod initium habet, ab aeterno esse nequit. Ergo ab aeterno Deus mundum creare sine initio et cum initio nequivit.

636. Ad 3. Creatura potest semper durare, uti in existentia perseverabunt omnes creati spiritus; nulla enim est contradictio, ut creatura semper vivat. Verum, inter creationem et aeternitatem magna pugna est; ideoque nequit, quod durare semper potest, ab aeterno creari.

## ARTICULUS SEXTUS

### DE TEMPORE, QUO CREATUS EST MUNDUS.

637. Duo hic inquirenda forent, *modus* nempe, quo Deus mundum in ordine redegerit; et *tempus*, quo mundum creaverit. Haec sunt duo facta, quae potius ex historia colli-

gere deberemus, quam ope ratiocinii. Verum cuinam adhaerebimus monumento, quamnam sequemur chronologiam? Nullum apud gentes indubium extat monumentum, quod aliqua praefulgeat antiquitate; nulla invenitur historia, quae deformibus non scateat fabellis; nulla superest chronologia, quae alteri non contradicat. Relictis veteribus circa creationis modum opinamentis, quae fere omnia pro materiae aeternitate pugnabaut, multae exortae sunt recentes hypotheses, quae plus, minusve a sacra recesserunt historia, aut illi omnino adhaeserunt. Non hic sententias recensemus Cartesii, Burneti, Wisthoni, Woodwardi, Buffoni, Wallerii, De La Metrie, Pini, Bozzae, de Luc; quorum alter unam, alter alteram viam inivit. Neque hic commemorare opus est systema aliquorum, qui mundi creationem ab hominis creatione distiuguentes, sex periodos, aut epochas excogitaverunt, iu quibus Deus mundum creavit, uti prae ceteris hisce temporibus Cuvier, et Roselly, aliique geologi, qui dies Mosaicos pro temporibus sunt interpretati. Quid de veteribus circa mundi aetatem dicimus? Sinae 40000. annos; Chaldaicae observationes 472000, Aegyptii 36525, Indi 100000, mundo adscribere videntur, nisi unum, et alterum zerum forsan delendum sit. Quare sive rationem, sive monumenta hac in re consulamus, ubique in contradictionem incidimus.

638. Unus liber extat, unum monumeutum, una historia, quae vetustate, simplicitate, ac veritate communi omnium recentium consensione cetera praestat, Moysis Pentateuchus. De Mose revera, ejusque librorum doctrina loquuti sunt Manetho, Cheremon, Lysimacus, Trogus Pompejus, Ellenicus, Phylochorus, Castor, Alexander Polistores, Ptolomaeus Alexandrinus, quos et ipse recenset Iosephus. Vide Natalem Alex. ( 4. *aet. mundi* c. 6. ), et Du-Clot (*Bibb. Vend. Oper. Prelim.* ). A Mose plura excerpserunt veteres poetae, philosophi, et oratores, pluraque foedarunt; nam Hevam in Pandora, Noachum in Saturno, et Baccho, turrem babelicam in opere gigantum, uxorem Lothi in Niobe, aliaque in alias trastulere fabellis. Vide Natalem Alex. ( 2. *aetat. M.* c. 2.). Moysis pentateuchus, uti docent Clemens Alex., Eusebius, Augustinus, Huetius, Natalis Alexander, Graveson, Dell'Aquila, aliique eruditi, in graecum ante Alexandrum M. versus est, ideoque etiam ante versionem LXX. interpretum notus. Ex ipso proinde, etiamsi velut divinum opus non accipiatur, veritatem requirere oportet, ne abripiamur omni vento doctrinae, atque in iufandos prolabamur errores. Moy-

ses itaque, in sex dies opera creationis distribuens, docet, Deum primo die caelum, et terram, ac lucem creasse; secundo die divisisse aquas ab aquis; tertio die terram detexisse, ac eam virentem reddidisse et frugiferam; in quarto solem, et lunam, et alias produxisse stellas; in quinto ortum dedisse reptilibus, volatilibus, et piscibus; in sexto animalia terrestria, ac demum hominem creasse. Haec omnia vero mire cum iis cohaerent, quae hodie geologia, aliaeque naturales scientiae docent. Neque te moveat, quod lucem in primo die, solem vero in quarto, Moyses creatum recenseat; nam et physici hodie docent, lucem non emanationem corporis luminosi esse, sed potius motus aetheris effectus. De his sex diebus vide Bonald (*Mosè e i Geologi Moderni*), et meum opellum ( *Riflessioni di un Teologo su Rossely de Lorgues* ).

639. Nos non fallit, interpretes in varias abiisse opiniones in temporis ratione habenda, quod in rebus hujusmodi fieri assolet. Hinc usque ad septuaginta Chronologiae systemata inventa sunt, ut aetatem mundi juxta Moysis historiam constabilirent. Praecipua inter ipsa sunt, quae confecerunt usque ad Christi nativitatem Ricciolus, qui mundo annos juxta septuaginta Interpretes 5674., Vulgata nostra quae 3951., Scaliger, qui 3950, Keplerus, qui 3963, Petavius, qui 3984, Salianus, qui 4054, Eusebius, qui 5200, Usserius, qui 4004, Tabulae Alphonsinae, quae 6934 tribueruut.

640. *Quare pro certo tenendum est, mundum conditum fuisse ea aetate, quam refert Moysis historia.* Nam 1. omnes laudatae paulo ante opiniones in eo conveniunt, mundum adhinc circiter septuaginta saeculis initium habuisse. 2. Hoc idem statuunt historiae ethnicorum, quae origines populorum perquireutes, ad oras mediterranei maris omnes recenter ortas demonstrant. 3. Hoc idem respondet epochae astronomicae, cujus rationem subduxit Laplace, qui eam Mosaicae narrationi respondere docuit ( *Exposition du systeme du monde liv. 4. ch.* 3. ). 4. Imo cum terrae stratis, in quibus diversa corpora vegetabilium, et animalium reperta sunt, apprime haec eadem respondet aetas, uti ostendit prae ceteris cl. Cuvier ( *Essai sur la theorie de la terre* ).

641. Contra hanc probationem plura cogerunt Deistae, ut Mosaicae historiae veritatem convellerent, si superis placet. Et dicunt 1. Chronologiae Babilonensis, Aegyptiaca, Inda, Sinensis, quae antiquissimae sunt, non cohaerent cum historia Moysis. 2. Zodiacus inventus in Pendarae templo

in Aegypto longissimam aetatem culturae Aegyptiis tribuit. 3. Multae geologicae inventiones pro multa aetate deponunt. 4. Adamus ab aliquo evasit cataclysmo, uti de Noe narrat Moyses, et ita de aliis, quae Adamum praecesserant, tenendum est.

642. Ad 1. Illae chronologiae, quas buccis crepantibus Deistae coquunt, et recoquunt, certe fuerunt conditae ab illis populis, ut suam antiquitatem dilaudarent. Ipsae enim multa mendacii, atque fabellae praesceferunt argumenta, nullum autem veritatis characterem, uti ostendit doctissimus Cuvier (*Discours sur les revolutions de la surface du globe*), qui praeterea demonstravit, nationum culturam commode explicari posse inter relatas (§. 639.) epochas. De his vide Du-Clot (*Bibbia vend. tom.* 1.*pref.*), Spagnum (*De mundo cap.* 7. *sect.* 3.), Rosellyium, aliosque recentiores, qui rem extra omnem dubitationis aleam posuerunt.

643. Ad 2. Zodiacus, de quo rumorem movit Dupuisius (*Origines des cultes t.* 3.) praesefert aetatem, in qua Aegyptii erant sub Romanorum dominatione, atque ad tempora Tiberii Caesaris refertur. Sed de hoc non amplius gloriautur increduli. Vide Du-Clut (*loc. cit.*), et Palmerium (*Analisi ragionata dei sistemi dell'Ateismo.t.*2.*par*.1.).

644. Ad 3. Cuvier, terrae stratibus examinatis, ad quinque, aut sex mille annorum refert diluvium. Recentissimi vero geologi demonstrarunt, cum corporibus belluarum etiam humana inventa esse in terrae stratibus. Vide Mancino (*Elem. di Filos.* §. 742.), et praesertim Bucklandum (*La geologie, et la minéralogie dans leurs rapportes avec la théologie naturelle*). Quare recentissima geologia nostram sententiam magis confirmat.

645. Ad 4. A quanam historia acceperint increduli, alios homines praecessisse Adamum, uti Prae-Adamitae commenti sunt, atque Adamum a communi infortunio evasisse, certe non demonstrant. Comminiscitur itaque Montesquieu (*Lettres Pers. lett.* 99.), qui alias, et alias generationes ante Adamum nullo nixus fundamento ponit. Verum si Moses Noemi incolumitatem retulit, cur illam Adami praetermiserit? Cur imo Adamum a Deo conditum narraverit? *Quis enim, si homines universi aut igni, aut aqua consumpti sunt, praeteritorum vitam nuntiavit? Si vero a communi interitu servati sunt aliqui, cur ii, secus ac fecit Noe a*

*diluvio servatus, nil prorsus de majoribus suis tradiderunt?* ait doctissimus Lau. Berti ( Brev. *hist. t.* 1. *c.* 9. ). Nos nescimus, neque aliquis scit in absurda hac hypothesi.

## CAPUT TERTIUM

### DE FINE, ET PERFECTIONE MUNDI

646. Iam alias docuimus (§. 344.), quid sit *finis*, et quotuplicis sit generis. Hic pro re tractanda haec prae oculis sunt habenda. 1. Finis *ultimus* est ille, ad quem totum dirigitur, et ratione sui intenditur; *immediatus* vero est ille, ad quem quaeque partes totius diriguntur, sed *ultimo* inserviunt, tamquam media. In horologio uterque finis considerari potest; nam finis *ultimus* horologii est temporis mensura, finis vero *immediatus* alicujus horologii partis est ex. gr. vim elaterii temperare. 2. Est *finis agentis*, nempe id, propter quod agens operatur; et *operis*, scilicet id, ad quod opus dirigitur. Persaepe finis agentis est etiam finis operis; sed aliquando discriminantur. Sic pictor iconem efformat, ut Alexandrum repraesentet, et icon ad hoc reapse dirigitur; sed potest pictor *lucri causa* iconem efficere, quae Alexandrum repraesentet.

647. Quod partibus, aut facultatibus, aut attributis constat, quae amice ad aliquem finem conspirant, dicitur *perfectum*. Sic recte *perfectum* dicimus horologium, cum partes ejus ita inter se copulatae existunt, ut tempus exacte mensuret. Quare *perfectum* requirit finem, ad quem partes diriguntur; plures partes, seu facultates, seu attributa; partium, saltem cogitatione distinctarum, ad finem consensus ( §. 326. ).

648. Verum duplici modo potest mundus dici perfectus, nempe 1. in se inspectus; 2. acceptus relate ad alios possibiles mundos. In primo sensu inspectus potest duplici pacto intelligi, scilicet 1. quatenus fini creationis apprime respondet; 2. quatenus in ipso habentur entia simultanea et successiva, quae proinde nexum, ordinem, pulchritudinem praeseferunt. In secundo sensu acceptus, idest relate ad alios possibiles mundos, etiam duplici modo potest considerari, 1. scilicet quatenus hic mundus prae ceteris possibilibus ita Dei perfectiones patefacit, ut istarum major manifestatio haberi nequeat; 2. quatenus alios possibiles

entitate, et intensitate rerum, et perfectionum realium, quae in ipso mundo reperiuntur, antecellat. In primo sensu mundus inspectus, dicitur perfectus *in genere suo*; in secundo sensu acceptus, dicitur *optimus*. Quare haec tria perquirenda sunt; 1. quinam sit finis, quem sibi Deus praestituit in hujus mundi creatione; 2. utrum hic mundus, quem incolimus, sit in genere suo perfectus; 3. utrum ipse mundus sit optimus. Haec omnia tribus discutiemus articulis.

## ARTICULUS PRIMUS

### DE FINE, QUEM SIBI PRAESTITUIT DEUS IN HUIUS MUNDI CREATIONE

649. In hoc condendo mundo Deus aliquem sibi finem praestituit; nam quaevis causa intelligentia, et sapientia pollens, cum agit, semper aliquem respicit finem, atque insipiens est, et dicitur, qui sine aliquo sibi praestituto fine agit ( §. 344. 1. ). An Deus, qui infinita intelligentia, et sapientia donatur, nullum finem in molitione hujus mundi respexerit? Impium foret hoc asserere. Sed quinam fuerit hic finis?

650. *Manifestatio suarum perfectionum fuit finis, quem sibi Deus praestituit in hujus mundi creatione.* Siquidem 1. Deus creavit profecto mundum propter aliquod bonum sua majestate dignum; sed nullum bonum adest, et multo minus ante mundi molitionem adesse poterat Dei majestate dignum praeter ipsum Deum. Ergo propter semetipsum Deus mundum creavit, hoc est propter suae gloriae manifestationem. 2. Eligere finem ignobiliorem prae aliis nobilibus finibus est imperfectionis argumentum; sed Deus perfectissimus est. Finem igitur perfectissimum eligere debebat, si mundum condere vellet. Sed nullus prae sua gloria finis adinveniri potest perfectior. Haec igitur finis ejus fuit. 3. Deus illud pro fine sibi poterat, et debebat constituere, quod semper et perenniter esset assequuturus; alioquin nec sapientissimus fuisset, nec omnipotens. Verum suam gloriam perenniter patefacit, et, velint nolint, omnes creaturae eam semper pandunt, planetae, astra, entia omnia, quaevis atomus. 4. Hoc ipsum ex perenni, quod homines experiuntur, felicitatis desiderio, non perperam colligitur; haec enim felicitas, ut completa, adaequata, indeficiens sit, in Deo reponi debet. I-

gitur ad Deum *ultimo* homines tendunt, et quidem etiam iniquissimi, et impiissimi, qui certe Dei justitiam non effugient, uti ejus experientur misericordiam, qui aequi piique sunt. 5. Finis, ad quem adipiscendum media adhibentur, nobilior certe esse debet ipsis mediis. Igitur finis, quem sibi praefixit Deus in mundi creatione, debebat esse ipso mundo nobilior. Sed quisnam hic finis esse poterat, nisi ipse Deus?

651. Contra hanc veritatem opponitur 1. Si Deus ad suam gloriam manifestandam mundum creasset, ambitionis desiderio ductus fuisset, uti artifex humanus, qui, ut honoraretur, statuam conficeret. Hoc vero indignum Deo est. 2. Deus si propter se mundum molitus esset, creaturis indiguisset. Hoc autem de Ente sibi sufficientissimo dici nequit. 3. Deus sapientissimus adhuc fuisset, si cuique creaturae finem praefixisset specialem, quin toti mundo communem aliquem praestituisset. 4. Deus a bonitate sua praecipue ducitur, cum agit ad *extra*, uti dicitur; pro bono igitur creaturarum muudum Deus condidit, et non pro se, qui in nullo deficiebat.

652. Verum ad 1. respondemus, Deum, cum decrevisset libere mundum condere, non potuisse non praestituere sibi pro fine suae gloriae manifestationem. Nam cum ipse aliquod bonum in mundi creatione debuisset respicere, cumque ipse sit bonum infinitum, oportebat, ut seipsum prae omnibus bonis finitis amaret, omniaque alia ad se referret. Igitur non captandae gloriae desiderio, sed ordinem sapientiae legum servandi causa mundum pro suae gloriae manifestatione Deus creavit. Deinde Deus nulla re indigebat, nulla destituebatur perfectione, summa potiebatur beatitudine; nullo proinde captandae gloriae indebitae, aut ambitionis studio poterat abripi, aut duci. Quare non bene Voltairius, et Baylius, qui Plotini obsoletam argutiam ad vitam revocarunt, de Deo cogitarunt.

653. Ad 2. Poterat Deus mundum condere, quia hic possibilis erat, ille omnipotens. Antequam conderet, beatissimus erat, sibique sufficientissimus. Voluit creare mundum, quia poterat creare, poterat velle. Quemnam debebat sibi finem praestituere? Certe seipsum (§. 650.). Igitur non creavit mundum, quia creaturis indigebat; sed creavit, quia potuit et voluit, et creando debuit suae velle gloriae manifestationem. Sed quomodo creaturis, quae nondum existebant,

quae nil perfectionis habebant, quae demum, quidquid postea habuerunt, a Deo acceperunt, poterat Deus indigere? Apage nugas!

654. Ad 3. Poterat Deus unicuique creaturae suum praefigere specialem finem; imo praefixit. Nonne enim omnia in hoc mundo sunt inter se connexa per causas efficientes et finales (§. 588.)? Verum hi fines speciales sunt veluti media, quibus omnia entia simultanea et successiva ad ultimum diriguntur finem, qui in divinae gloriae manifestatione consistat oportet. Si enim Deus hunc tantum finem sibi debebat praestituere, uti saepius diximus; omnes speciales fines huic unico ultimo, et generali subdere juxta suas sapientiae leges poterat, et debebat.

655. Ad 4. Deus non una bonitate, sed sapientia bonitati conjuncta *ad extra* operatur. Sed divinae sapientiae (quae nobiliorem finem semper eligit) ordo postulat, ut Deus mundum propter semetipsum creasset. Igitur non poterat sibi praestituere creaturarum bonum pro mundi creationis fine. Deinde finis Dei omnes debebat creaturas respicere; ast quaedam, et quidem numero majores sunt, quae felicitatis, et proinde gaudii sunt incapaces, ideoque bonitatis Dei effectus nequeunt experiri. Insuper finis Dei hujusmodi esse debebat, ut numquam suo frustraretur effectu. Ast quot homines non ibunt in ignem aeternum Dei justitiam manifestaturi? Quodnam bonum hi recepissent, si propter ipsos Deus eos creasset? Igitur gloria Dei poterat et debebat esse, ac demum fuit hujus mundi finis. Ceterum non immerito dicere possumus, beatitatem rationalium creaturarum fuisse finem *secundarium*, quem sibi Deus praestituit. Sed beatitas creaturarum fini illi primario subditur, ad quem quoque refertur; quia et bonitas, et sapientia, et misericordia, et omnipotentia Dei creaturarum bonitate splendescunt. Quare acute ait Moshemius (*Adnot. cap.* 5. *Syst. Intel. Cudw.*): *dum homines et mundum condidit Deus, ut haberet, quibus benefaceret, simul gloriam suam stabilivit; dumque gloriam suam in mundo declaravit, hominum simul saluti consuluit.* Gratias ergo perennes Deo agamus, qui cum sua gloria nostram copulavit felicitatem.

## ARTICULUS SECUNDUS

### DE MUNDI PERFECTIONE IN GENERE SUO

656. Multi sunt, qui hunc mundum in genere suo imperfectum dicunt. Nam aliqui cum Manichaeis principium malum admittentes, ab isto mundum creatum venditarunt; alii cum Stoicis materiam aeternam profitentes, mundum ab ista, cujus pertinaciam tandem vicit, Deum efformasse, dicunt; alii cum Baylio mala metaphysica, physica, et moralia in mundo respicientes, hunc imperfectissimum rentur. Ast Manichaeos in Theologia Naturali impugnabimus; materiae aeternitatem alibi (§. 608.) refutavimus; remanet igitur rejicienda de malorum origine Baylii doctrina. Quare

657. *Mundus, quem incolimus, in suo genere perfectus est.* Siquidem hic mundus Dei fini apprime respondet; si enim non responderet, Deus aut nescivisset, aut non potuisset, aut noluisset medium aptum eligere ad finem sibi praestitutum consequendum. Hoc autem repugnat sapientiae, et omnipotentiae Dei. Igitur hic mundus est in suo genere perfectus (§. 648.). Haec demonstratio est, uti dicitur, a *priori*. Demonstratio autem adaequata a *posteriori* a nobis nequit confici, quia deberemus omnia, ex quibus mundus coalescit, entia simultanea et successiva, eorum actiones, et leges omnes, quibus reguntur, eorum nexum inter se, ac ordinem, fines speciales, eorumque ad communem finem consensum internoscere. Hoc vero nobis negatum est, qui ne eorum quidem nexum semper scire possumus, quae jam jam cognovimus. Non negamus et unam atomum ad Deum conducere, atque mundum per causas sufficientes, et finales regi (§. 588.); verum non inde licet evidenter colligere, mundum hunc Dei perfectiones eo in gradu patefacere, quem Deus constituit. Ceterum si a *posteriori* mundi perfectionem adaequate colligere nequimus, multominus imperfectionem ex aliquibus, qui creduntur, defectibus possumus eruere; quia eadem, imo major valet ratio. Attamen audiamus illos specie gemebundos homines, qui ubique imperfectum conspiciunt mundum.

658. Dicunt itaque 1. Mundus hic gloriam Dei non pandit in gradu infinito; ergo imperfectus est. 2. Possibilis est mundus, uti fuit ante Adae peccatum; ergo iste imperfectus. 3. In hoc mundo sunt multae res noxiae, inutiles, viles, mon-

struosae, scelera cujuscumque generis, moerores, tristitia, morbi: sed haec omnia sunt imperfectiones.

659. Ad 1. Et nos concedimus, hunc mundum non pandere gloriam Dei infinitam, neque modo infinito. Quod vero de hoc dicimus, de quocumque alio mundo intelligas oportet; quia quicumque supponatur mundus, finitus est, ideoque nequit Dei perfectiones patefacere infinitas. Verum ex hoc sequitur quidem, mundum non esse infinitum, non vero esse imperfectum. Ad hoc ut perfectus sit, sufficit, ut Creatoris fini respondeat; respondet vero (§. 657.). Igitur perfectus est. Deus libere voluit aliquem mundum condere; suam gloriam debuit manifestare; nequit omnes *intensive*, et *extensive* suas perfectiones patefacere, quia mundus quicumque est finitus; libere voluit gradum aliquem, qui sibi libuit, gloriae manifestare; debuit illum mundum eligere et condere, qui aptissimus ad libere electum gradum gloriae manifestandum foret. Ex quo eruitur, mundum esse perfectum, quin in gradu infinito Dei gloriam pandat.

660. Ad 2. Ille mundus ante Adae peccatum erat mundus post Adae peccatum, et mundus, quem incolimus; tum quia idem finis Creatoris est; tum quia in sua non est mutatus essentia; tum quia mundus complectitur non solum simultanea, sed etiam successiva, et proinde entia praeterita, praesentia, et futura. Igitur non ille isto perfectior; praesertim, quia perfectio unius partis non influit in totius perfectionem, neque imperfectio in imperfectionem; et saepe, quod imperfectio nobis videtur, totius forsan concurrit perfectioni, et proinde fini praestituto. Vide Storchenaum (*Cosm.* §. 79. *sch.* 2. *Obj.*2.).

661. Ad 3. Plura hic conglomerata sunt. Sed 1. dicant, quaeso, adversarii, undenam noscunt ipsi, haec omnia cum integro mundi systemate non connecti? Certe tu rideres muscam, quae aedificium aliquod imperfectum diceret, si posset, quia juxta suum intelligendi modum aliquos in ipso defectus detegeret. 2. Dicant iterum, potuitne Deus haec omnia e mundo exterminare, servatis legibus ab ipso statutis, et fine sibi praefixo? Minime gentium, quia multa ex his, quae objiciuntur, a legibus mechanicis, a libertatis abusu, atque ab aliis causis, quas Deus nequit destruere, hoc rerum ordine servato, pendent. 3. Quot bona ab istis non proficiscuntur malis? Labore impenditur tempus, dolores ad acquirenda medicamina consulunt, fame cibus sapidus est, aqua dulcis siti, libertate meremur. Sed de his in Theologia Naturali, in qua de malorum origine profusius disseremus.

## ARTICULUS TERTIUS

### DE MUNDO OPTIMO

662. Optimum mundum definivimus supra (§. 648.). Sententiam hanc propugnarunt inter veteres Plato, et postea Petrus Abailardus; inter recentes vero Leibnitius, Wolfius, Watel, Beimberk, Malebranchius, Baumeisterus, paucique alii. Contra ipsos tota pugnat philosophorum schola. Quare

663. *Hic mundus non est omnium possibilium optimus.* Et re quidem ipsa 1. mundus hic est ens creatum (§. 617.), ergo contingens. Est quoque ens compositum, uti patet, entibus successivis, et simultaneis; ergo augeri, minuique potest. Sed ens contingens potest deficere, et ens, quod potest augeri, numquam valet perfectionis apicem pertingere. Ergo hic mundus non est optimus. 2. Gloria Dei numquam in gradu infinito manifestari potest, quia infinitum numquam potest exhauriri, et quia nulla creatura, quantumvis perfecta, valet infinitum aequare; ergo neque hic mundus, neque quivis alius, adeo optimus concipi potest, ut in gradu infinito Dei gloriam manifestet. 3. Certe concipi potest aliis et aliis substantiarum generibus refertus alius mundus; aliis et aliis speciebus quodcumque genus existens conflatum; aliis et aliis individuis quaevis actualis species coalescens; quodvis individuum concipi potest majus, praestantius, pulchrius, potentius. Igitur dari potest alius mundus hoc adspectabili numero, entitate, intensitate perfectior; ideoque omnium possibilium optimus non est hic mundus. 4. Dum inter possibiles hic versaretur mundus, nulla ratio boni in ipso poterat concipi, neque in alio quocumque possibili mundo; quia, licet ob perfectiones possibiles unus possibilis perfectior alio possibili mundo concipiatur, tamen hae possibiles perfectiones sunt merum nihil. Ergo nulla major perfectio, ideoque inter possibiles non erat optimus. 5. Haec de mundi optimi sententia destruit Dei libertatem; quia, posito hoc mundo in se optimo inter possibiles mundos, illum non poterat Deus non eligere, cum natura Dei ad optimum continuo tendat. 6. Destruit etiam Dei omnipotentiam; et quia, posito hoc mundo possibilium optimo, Deus nil amplius addere posset; et quia Deus alium mundum creare nequiret, minore numero et intensitate perfectionum refertum. 7. Ducit ad Pantheismum; quia, supposito hoc mundo omnium possibilium optimo, in-

finitis ipse deberet nitere perfectionibus, ideoque esse idem ac Deus. 8. Ducit proinde ad mundi aeternitatem; quia, quod perfectissimum est, semper existit. 9. Ducit ad Fatalismum; quia mundus, et quae in mundo sunt, necessaria forent, sine contingentia, sine libertate. 10. Opinio haec tota nititur ratione sufficiente objectiva; cum nulla subjectiva detur in systemate Leibnitiano (§. 242.). Sed hoc perperam asseritur, cum plura possit Deus, plura et homo juxta rationes, et motiva in Deo, ac in hominum animabus reposita. Recte proinde de Leibnitio concludit Storchenau (*Cosm.* §. 84. *sch.* 1.): *Vir doctissimus causam Dei, quam una ex parte egregie contra Baylium tuitus est, altera ex parte prodidit.*

664. Quae favere videntur Leibnitianis ad haec reduci possunt. 1. Deus est perfectissimus; perfectissimo modo Deus operatur; finis Dei fuit optimus; optima est Dei idea, cui mundus respondet. Igitur et mundus optimus esse debet. 2. Intellectui Dei magis congrua est optimi electio; voluntati ejus magis optimum adridet; optimum medium majori possibili gloriae manifestationi respondet. Ergo optimum mundum elegit, voluit, creavit. 3. Si optimus hic inter possibiles non foret mundus, Deus sine ratione sufficienti egisset; quia minus prae majori elegisset bonum; quia medium non aptum ad finem adhibuisset; quia minus bonum cum divinae gloriae manifestatione non congruit.

665. Ad 1. Et nos concedimus, Deum esse ens *intensive*, et *extensive*, uti dicitur, perfectum; sed quid inde? An omnia, quae facere potest Deus, fecit? Minime certe. An omnia opera Dei infinitam debent complecti perfectionem? Nequaquam; alias et ipsa forent alii dii. Igitur ex eo, quod Deus sit perfectissimus, haud sequitur, mundum et optimum esse entitate sua. Deinde *operatur quidem Deus modo perfectissimo, quia non potest facere ex majori sapientia, et bonitate*, uti inquit Angelicus (1. *p. q.* 25. *a.* 6. *ad* 1.). Verum non inde eruitur, opera ejus esse perfectissima, et optima; nam, praeter quam quod hujusmodi opera sint impossibilia, operatio Dei, ejusque operandi modus quavis in re, etiam minima, semper summa est; ipse enim *ita magnus est in operibus magnis, ut minor non sit in minimis*, uti philosophice inquit Augustinus (*l.* 21. *cont. Faus. c.* 5.). Insuper *finis Dei fuit optimus*; ecquis hoc negare praesumet? Imo quicumque Dei finis optimus, quia ab infinita statutus sapientia. In mundi molitione Deus suam voluit, et debuit gloriam pandere. En finem optimum. Verum medium ad hunc consequendum finem debebat eligere. Quod-

nam autem medium? Profecto illud, quod huic consequendo fini apprime responderet. Ergo optimum medium? Optimum quidem, si quoad finem respiciatur; quia hoc Dei postulabat sapientia (§. 657.). Ast non entitate sua optimum; quia optimum hoc sensu esse nequibat, cum nulla esse possit creatura perfectissima; et quia tota medii perfectio non ex perfectione finis, sed ex aptitudine, quam ad finis consequutionem habet, desumenda est. Deinde nonne suam gloriam Deus patefecit, et patefacit gradibus finitis, qui sibi libuerint? Igitur et medium finitum, et mundum non optimum eligere debuit. Demum *ideae Dei optimae mundus respondet*; sed idea Dei potest considerari *in se*, nempe *comparate* ad Dei intellectum, in quo inest; et hoc in sensu perfectissima est, quia a Deo intelligente revera non differt; atque *comparate* ad mundum repraesentatum, seu *obiective*, uti dicunt, et hoc in sensu tanta est, quantus mundus in perfectione, quia est mundi ipsius cognitio et notio, quae mundum perfecte repraesentat. Igitur huic ideae Dei mundus respondet, qui proinde haud optimus dicendus est.

666. Ad 2. *Optimi electio est magis congrua divino intellectui*; imo congruissima; sed optimum, cum de electione loquamur, illud est, quod apprime fini agentis respondet. Deus mundum elegit, ut suam patefaceret gloriam in illo gradu, qui sibi libuit. Hanc gloriam mundus patefacit. Mundi igitur electio, est *optimi electio*. *Voluntati Dei magis adridet optimum?* Concedimus; sed omnes possibiles mundi nil boni habebant, cum forent simplices non repugnantiae. Quodnam igitur optimum Dei voluntati adridet? Quod nempe congruit fini ab ipso praestituto. Mundus hic fini Dei respondet. Ergo *optimum* elegit. *Respondet optimum medium majori possibili gloriae manifestationi?* Sed quisnam Leibnitianos docuit, Deum voluisse, aut debuisse majorem possibilem suae gloriae manifestationem velle? Nonne ad hunc finem libere se determinavit? Nonne libere gradum gloriae manifestandae elegit? Poteratne Deus omnes suas pandere perfectiones? Major, minorve numerus habetne finem? Quare optimus mundus ille dicendus, qui Dei fini respondet, non qui gloriam gradibus infinite possibilibus manifestat. Igitur Deus elegit, voluit, creavit mundum, qui ejus sapientissimo fini consequendo aptus videbatur.

667. Ad 3. En achilleum Leibnitii argumentum! Sed in primis mediorum bonitas, et perfectio, non in mediis ipsis est spectanda, sed in ordine ad finem. Ad finem vero saepe

aptius est, quod minus entitate bonum, quam quod est majus. Nonne perfectius dicis horologium ligneum, quod tempus exacte metitur, prae horologio aureo, quod erronee tempus mensurat? Deus itaque potuit eligere inter possibiles mundum minus entitate bonum, quin ratio sufficiens defuisset, cur hunc aliis praetulerit. Verum estne, quaeso, haec aptitudo ad finem consequendum ratio movens Deum ad hunc mundum condendum? Haudquaquam; sed ad summum conditio, sine qua hunc mundum non elegisset. Quid enim sunt omnia possibilia, nisi purum *nihil*? Et *nihil* potest Deum potentissimum, et sapientissimum movere? Si parum videmus, Leibnitius, ut defenderet contra Baylium Dei perfectionem, Dei perfectionem destruere conatus est, bonam causam malo prodens patrocinio. Neque quid melius dicunt adversarii, cum *minus bonum cum divinae gloriae manifestatione haud congruere* clamant; nam, si Dei gloria manifestanda in gradu infinito esse nequivit, neque medium optimum entitate esse debebat; alias medium fuisset fine perfectius. Ceterum et hic repetimus, medii perfectionem ab aptitudine ad finem esse definiendam; finis vero Dei finitus esse debebat, quia finito modo ejus gloria manifestari potest.

668. Non moramur eos, qui dicunt Deum impotentem fuisse, si nequiverit mundum optimum condere; aut inscium, si nesciverit optimum creare; aut invidum, si noluerit. Nam dicimus, Deum non potuisse hunc mundum optimum condere, si optimum intelligatur, quod Dei gloriam infinito modo manifestet, aut infinita potiatur perfectione; quia Dei gloria infinita numquam exhauritur, et numquam creatura infinite perfecta esse potest. Sed non inde Deus impotens; Deus enim nequit, quae repugnant, efficere, quia haec existentiae sunt incapacia (§. 281.). Sed etiamsi concedatur, Deum potuisse, non tamen sequitur debuisse; nam libere mundum elegit, libere et creavit. Neque invidus hac fuisset de causa, cum nil invidere mundo possibili potuisset, qui sibi sufficientissimus semper est, quique omnium bonorum est origo, fonsque indeficiens.

## CAPUT QUARTUM

### DE EFFECTIBUS, QUI IN MUNDO RESPICIUNTUR

669. *Natura*, *a nascor* ducens originem, si vocis etymon respicias, est *nativitas*. Saepe tamen apud latinos usurpata

est pro *essentia*, uti eam adhibuit Horatius (*sat.* 8. *l.* 2. *v.* 390.); aut etiam pro *temperamento*, et indole, uti ea usus est idem Poeta (*l.* 2. *epist.* 1. *v.* 165.). Penes philosophos autem *natura* est id omne, per quod aliquod ens agit, vel patitur aliquid; sic dicimus ustionem esse ignis *naturam*. Quare naturam definiunt *principium actionum, et passionum*. Ceterum, cum Deus passionibus non subjiciatur; ideo *natura* divina est tantum *principium actionis divinae non sejunctum ab interiori ipsa actione*, uti notat Mastrofini (*Met. Subl. l.* 1. c. 1. §. 5. *ad* 11.). Quoniam vero in quovis creato ente potentiam aliquid agendi, patiendive cognoscunt philosophi; ideo *naturam rerum*, seu *naturam universam*, vel *naturam* sine addito appellarunt collectionem omnium virium cujuscumque entis creati. Quare *natura* generatim accepta est principium, seu vis mundo insita, per quam explicari queunt singulatim tum actiones, tum passiones in hac evenientes rerum universitate; quod principium haud est discretum a mundo ipso, uti notavit et Wolfius (*Cosmol.* §. 303.). Hoc sensu accepta *natura* ab *essentia* distinguitur, cum ista entis possibilitate absolvatur; illa vero exprimat vim inhaerentem enti existenti. Interim facile intelligitur, Deum dici *auctorem naturae*, quatenus, quidquid realitatis omnia creata entia habeant, ipsis Deus sit largitus (§. 304. in nota.).

670. Naturam universam veluti idolum Dei administrum, a Deo distinctam substantiam, ac per totum diffusam orbem aliqui commenti sunt, ac *principii hilarchici*, *archaei* mundi, *enthelechiae* nomine donarunt. Hanc admisit Plato, qui mundum ingens animal putavit; hanc probarunt Democritici, qui suas atomos bruta quadam natura administrari finxerunt; hanc coluerunt Stoici, qui vim quamdam genitricem, quam saepe cum Deo confuderunt, in mundo crediderunt; hanc est confessus Strato Lampsacenus, qui omnia a natura effecta docuit; hanc magno studio fovit, ac tuitus est Cudworthus, qui naturam instrumentum Deo subjectum, ac ipsius Dei ministrum renunciavit; hanc et ipsi ardebant Henricus Morus, et Joannes Clericus, quem Baylius impugnavit. Non hic immoramur in hisce refutandis ineptiis, et quia omnia, quae hujus naturae viribus tribuuntur, potest Deus efficere, quin ei molestiam creent; et quia de hac re aliquid alias diximus (§. 516.).

671. Quoniam leges naturae physicae ad entium vires regendas latae sunt (§. 591.); ideo non male *naturam* vocamus systema legum a Deo ad mundi conservationem statutarum. Hinc dicimus, *naturae ordinem* esse modum, quem in suis

explodendis viribus juxta hujusmodi leges omnia mundi enti constanter servant; *cursum* vero *naturae* seriem phaenomenorum, quae in mundo constanter secundum ipsas leges fiunt. Quare *secundum naturae ordinem et cursum* fit, quidquid, servato eodem ordine, et cursu, fieri potest; contra *naturae ordinem et cursum* fit, quidquid, illaeso ipso ordine, et cursu, nequit fieri. Corpus sibi relictum, si terram petat, agit *secundum naturae ordinem*; si vero in aere pendulum remaneat, contra *naturae* ordinem operatur. Sol oritur, et occidit *secundum naturae cursum*; si ortus non caderet, foret *contra naturae* cursum.

672. Ex his facile intelligimus, effectum *naturalem* dici phaenomenon, quod a viribus substantiae creatae secundum ordinem et cursum naturae agentis provenit; effectum vero *supernaturalem* phaenomenon, quod aut a viribus creatae substantiae non venit, aut a viribus causae creatae non secundum ordinem et cursum naturae agentis. Lapsus lapidis sibi relicti est *naturalis effectus*; suscitatio mortui, aut subitanea morbi depulsio est *effectus supernaturalis*. Effectus supernaturalis potest dici *praeter* et *contra* naturam, prout nulla est ratio in universa natura, ut eveniat; aut ratio est, ut non eveniat. *Praeter naturam* dicitur ortus plantae sine semine; *contra naturam* corporis humani incorruptio in igne.

673. Hinc intelligitur, 1. effectum *naturalem*, quicumque sit, fieri a causis creatis juxta leges naturae agentibus; ideoque fieri, hisce legibus servatis; 2. effectum *supernaturalem* rationem sufficientem non habere in natura, quia fit *praeter* aut *contra* leges naturae, ideoque fieri, non servatis legibus naturae.

674. Effectus supernaturales tamen non eodem modo fiunt. Nam aliqui fiunt constanti modo, positis aliquibus adjunctis; alii vero eveniunt insolito tempore, et modo, nullaque ex naturae legibus servata. Sic posito foetus corpusculo satis in utero materno evoluto, Deus constanter animam creat; ast suscitatio Lazari facta fuit tempore, et modo insolito, ac contra naturae legem, quae exigit, ut quatriduanum cadaver non vivat. Primum illum effectum vocamus dumtaxat *supernaturalem*; secundum vero *miraculum*.

675. *Miraculum* itaque dicimus effectum supernaturalem et sensibilem ob suam raritatem, et insolentiam spectatoris admirationem excitantem. Quare omne miraculum est effectus supernaturalis; ast non quivis effectus supernaturalis est miraculum; quia ad hoc, ut miraculum dicatur ali-

quod phaenomenon, requiritur, ut sit praeter aut contra naturae leges (§. 672.), atque insolito modo et tempore eveniat (§. 674.); quorum primum tantum effectui supernaturali competit. *Miraculum* aut nullimode in naturae viribus continetur, quia has omnes superat, et dicitur miraculum *quoad substantiam*; aut vires quidem naturae non superat, sed, habita ratione circumstantiarum, in quibus fit, et modi, quo efficitur, in illis viribus contineri nequit; et miraculum *quoad modum* compellatur. Suscitatio mortui est miraculum *quoad substantiam*; caecitatis depulsio ad loquentis praeceptum est miraculum *quoad modum*.

677. Hinc 1. *miraculum* a *mirabili* effectu in eo discriminatur, quod hic naturalis, illud supernaturalis effectus sit, licet utrumque admirationem excitet; 2. miraculum quoque foret ille supernaturalis effectus, qui quotidie contingeret, dummodo positis datis circumstantiis, praevidere non possemus.

677. Ex data miraculi definitione (§. 675.), et ex iis, quae hucusque diximus, eruitur, falsam esse miraculi definitionem traditam 1. a Spinoza, qui illud vocavit *opus naturae, cujus causam naturalem exemplo alterius rei solitae explicare non possumus*; quia miraculum foret effectus naturalis insolitus, et mirabilis; 2. ab Hobbesio, qui miraculum definivit *immediatam Dei actionem, cujus causam comprehendere non possumus*; quia inter effectus naturales, et mirabiles recenseretur miraculum; 4. a Grewio, qui miraculum dixit *opus naturale insolitum, atque a Deo ad certum finem directum*; quia nil supernaturale foret in miraculo, imo fraudi daret locum, cum improbus quisque sua mirabili actione finem Dei latentem comminisci posset; 4. a Lockio, qui ait, miraculum esse *operationem sensibilem, quae a spectatore habetur pro divina, quia suum superat captum, cursuique naturae contrariam putat*; quia totam miraculi notionem definit ex spectatoris captu; 5. a Bonneto, qui dicit, *miraculum esse effectum causarum seriei a Deo ab initio constitutae, et diversae a serie causarum, quae communes producunt effectus*; quia adhuc effectus naturalis foret miraculum; 6. ab Huttevillio, qui miraculum vocavit *effectum a Deo praestitum in legibus naturae certo tempore eventurum*; quia non habetur miraculi notio; 7. a Clarkio, qui miraculum appellavit *effectum consueto naturae ordini contrarium a natura quadam intelligente, quae viribus hominem superat, extra ordinem productum*;

quia spiritibus creatis homine nobilioribus patrandi miracula potestatem facit. Relinquo hic Clericum, Haetwoodum, Stillingfleetum, qui hac in re etiam peccarunt; omitto Wegscheider, Salvador, omnesque deistas, ac superbos rationalistas, qui usque adeo desipuerunt, ut miraculorum possibilitatem pessumdarent. (Vide Andreae Spagni S. I. praeclarissimum opus *de miraculis*).

678. *Miracula sunt possibilia*. Siquidem mirsculum est effectus, qui *praeter*, aut *contra* naturae leges contingit, et proinde etiam contra ordinem et cursum naturae. Igitur miraculum contingit, non servatis naturae legibus, ordine, cursu. Quapropter possibilia sunt miracula, si naturae leges mutari, turbari, interrumpi, suspendi possint. Hac enim in hypothesi effectus haberi possent, qui non a natura et viribus entium creatorum derivarentur, sed ab alia causa, quae naturae leges mutaret, ordinem turbaret, cursum interrumperet. Verum leges naturae contingentes sunt, ideoque mutabiles, uti vidimus (§. 594.). Neque causa hujus legum mutationis deest; Deus enim, qui hujusmodi leges naturae physicae est largitus, potest ipsas, quae mutabiles sunt, quando sibi libuerit, mutare. Miracula itaque sunt possibilia.

679 Contra statutam veritatem haec opposuerunt veteres, haec et recentes increduli opponunt. 1. Quae fluunt ex rerum essentiis, sunt immutabilia, uti ipsae essentiae; sed leges naturae fluunt ex rerum essentiis. 2. Leges naturse sunt decreta Dei, quae sunt ipsa Dei potentia, et essentia; sed Dei potentia, et essentia sunt immutabiles. 3. Leges naturae morales sunt profecto immutabiles; ergo et leges naturae physicae. 4. Si miracula forent possibilia, Deus, qui in tempore novum extraordinarium decerneret effectum, esset mutabilis; quod repugnat. 5. Deus inscius fuisset, si miracula forent possibilia, quia ab initio non praevidisset, quae facienda erant in datis circumstantiis. 6. Ad statuendam miraculorum possibilitatem, omnes naturae vires forent cognoscendae, ut, quid hae possint, quidve non possint, deduceretur; quod a nobis fieri nequit. 7. Multae fraudes, posita mirsculorum possibilitate, patrantur; sequius igitur est illam e medio prorsus auferre.

680. Ad 1. Quisnam a caelo descendens edocuit deistas, leges naturae physicas esse e rerum essentiis? Physici demonstrarunt quidem, nullam esse rationem cur hujusmodi leges aliter sint ac sunt; sed numquam, has necessarias esse, oppositumque repugnare, ostendere potuerunt. Vide Scinà

(*Elem. di Fis. gen. vol.* 2. *cap.* 2.). Nonne possibile est mundi systema aliud ab illo a Copernico, Galilaeo, Newtono statutum? An absurdum *a priori* demonstrari potest Ptolemaei, ac Tyconis systema? Nonne possent potius corpora caelestia ab oriente ad occasum translationis, et rotationis motus perficere, quam ab occasu ad ortum, uti modo perficiunt? Igitur leges naturae sunt ita; sed, ita esse debere, non videtur. Deinde si nulla est pugna, ut vires rerum creatarum remissius, aut intensius agant; si salva rerum essentia, vires hujusmodi augeri, minui, impediri possunt, uti et nos saepe eas augemus, minuimus, impedimus; si leges naturae hujusmodi viribus accomodatae sunt, quatenus ipsis non repugnant (§.594.); non videmus, quomodo a rerum essentiis naturae leges emanent. Demum notamus, Deum non regere *genera* et *species*, quae ideae abstractae sunt, sed individua, quae sunt realia; neque Deus individua regit *legibus universalibus*, quae in mente nostra oriuntur ex eo, quod conspiciamus, Deum *modo uniformi* datae classis individua regere; sed regit individua singularia voluntate peculiari. Ex quo fit, ut, cum Deus aliquod patrare vult miraculum, haud legi universali a se statutae deroget; sed tantum faciat, ut certum naturae individuum in datis adjunctis hac potius, aut alia ratione se habeat, cetera vero ejusdem classis individua legem generalem sequantur. Recte proinde concludit doctissimus Ioannes Perrone a Societate Iesu ( *Praelect. Theol. vol.* 5. §. 122.), falso fulciri supposito, atque Deum ex propria imbecillitate dimetiri, qui miraculorum possibilitatem impugnant ex eo, quod Deus naturae legibus derogaret.

681. Ad 2. leges naturae, quibus reguntur entia materialia hujus mundi, possunt considerari, uti sunt, in voluntate Dei, et quatenus finitis entibus creatis sunt impositae. Acceptae illae leges in primo sensu, sunt certe decreta Dei necessaria, quia in uno continentur decreto de faciendo, vel non faciendo, de mutando, vel non mutando hunc, alium ve ordinem, uti videbimus in Theologia Naturali. Acceptae vero illae leges in secundo sensu, sunt ipsae vires activae finitis causis liberrime a Deo secundum aeterna decreta tributae. Si haec distinxisset Spinoza, non deduxisset miraculorum impossibilitatem; quia vires creaturarum Deus profecto mutare potest, quin decreta sua mutentur, cum et mutationes, et exceptiones, et abrogationes in divinis aeternis decretis fuerint; Deus enim *sic rebus certum ordinem indidit, ut tamen sibi reservaret, quod ipse aliquando*

*aliter ex causa esset facturus*, ut monet Angelicus (*p.* 1: *q.* 105. *ar.* 6. *ad* 3.). Vide *Disq. Nov. de Deo* (*append. c.* 1. *n.* 4.)

682. Ad 3. Dispar hic est ratio. Nam leges morales sunt, et debent esse immutabiles. *Sunt* quidem, quia ex ipsa humana natura arripuimus, expressimus, hausimus, ac nobiscum nascuntur; et quia, natura ipsa ducente, homines eas cognoscunt, qui veluti ab ipsis voce praeceptiva jubentur: *aequi estote*; *nolite malum patrare*; *damnum illatum reficite*. A Dei voluntate, posito hoc homine, hujusmodi leges non dependent, ideoque sunt immutabiles. Imo *debent* esse immutabiles hae morales leges, quia eas abrogando, aut iis derogando, Deus non amplius homines ad finem duceret, ad quem eos creavit; non amplius enim homines ad ea tenerentur, quae ad finem illum consequendum sunt necessaria, imo ad ea cogerentur, quae homines ab hoc fine avertunt. Adde, quod Deus, si hujusmodi posset abrogare leges, posset simul contra suam sanctitatem, justitiam, sapientiam agere, quia leges morales hoc unum praecipiunt, quod Dei attributis laudatis congruit. Verum haec omnia de naturae legibus physicis haud dici possunt; quia, quaecumque mutatio in ipsis supponatur, nec homines a fine suo averterentur; nec Dei attributa quiddam detrimenti paterentur; nec entia ipsa aliquid mutationis in essentiis reciperent; nec eadem a fine a Deo ab aeterno praestituto amoverentur; imo Dei gloria magis magisque commendaretur.

683. Ad 4. Et hic adversarii falso nituntur supposito, quasi nempe Deus, cum aliquod patrat miraculum, novo decreto patret, et non potius decreto illo, quo leges tulit, et simul exceptiones statuit, quas ipse erat facturus. Cum Deus e. g. decreverit, ut homines mortui non resurgerent ad vitam temporalem, decrevit, simul Lazarum fore resurrecturum. Quare mutatio non in Deo, sed in suis operibus contingit; *Deus opera mutat*, *consilia non mutat*, ait Augustinus (*Conf. l.* 1. *c.* 4.). Imo optime animadvertit Gioberti (*Introd. alla stud. della Filos. t.* 2. *c.* 6. *p.* 323.), miraculum legibus naturae oppositum esse universi legi conforme, quae requirit, ut materia spiritui, atque ordines sensibiles ordinibus mundi moralibus subjiciantur. Si miracula ideo rejicienda forent, quia experientiae adversantur, rejiciendae pariter forent plures physicae leges, utpote quae aliis legibus opponuntur, uti e. g. operationes vitales, quae simplicibus virtutibus chymicis adversantur.

684. Ad 5. Deus statuit leges generales: vidit eas recturas mundum modo, quo sibi placuit; extraordinaria nonnulla facta sibi reservavit, ut homines supremum ejus dominium in res omnes evidentius agnoscerent, ac certiores fierent de aliqua veritate, aut virtute. Praeclare hic ait Augustinus (*Tract. 24. in Ioan. n. 1.*): *quia* (Deus) *non est talis substantia, quae videri oculis possit, et miracula ejus, quibus totum mundum regit, universamque naturam administrat, assiduitate vilnerunt, ita ut pene nemo dignetur attendere opera Dei mira, et stupenda in quolibet seminis grano; secundum suam misericordiam servavit sibi quaedam, quae faceret opportuno tempore praeter usitatum cursum, ordinemque naturae, ut non majora, sed insolita videndo stuperent, quibus quotidiana viluerant. Majus enim miraculum est gubernatio totius mundi, quam saturatio quinque millium hominum de quinque panibus: et tamen haec nemo miratur; illud mirantur homines, non quia majus, sed quia rarum est*,,. Igitur nulla ignorantia in Deo, qui ab aeterno *reservavit sibi quaedam, quae faceret opportuno tempore.*

685. Ad 6. Ut haec Rousseau, Boulanger, Freret objectio exsuffletur, notamus nos haud inficiari, a nobis ignorari omnes entium vires. Sed corollarium eorum non recte ex hac nostra descendit ignorantia. An magnetem negant, quia nesciunt, quomodo ferrum attrahat, atque vires, quas impendit? Nam *tanta non est ignorantia*, inquit Clericus, profanis hominibus non suspectus auctor ( *Pneum. sez. 3. c. 3. n. 6.*), *ut numquam, quidquam praeter naturae ordinem esse affirmare possimus. Multa gentium, et saeculorum omnium experientia constat, qualia sunt, quae modo diximus. Proprietates quidem omnes humanae naturae, et substantia, quibus homo constat, non satis esse notas passim ostendimus; nec eo secius ab homine decem millia pondus bajulari, et ignis vehementiam sine detrimento ferri non posse notum est. Si quis tantum pondus ferat, aut illaesus in mediis ignibus diu maneat, id praeter naturae esse ordinem omnibus liquet. Si diceretur cometa ad solis nostri verticem appulsus praeter naturae ordinem esse, posset hoc in dubium revocari; quia satis nobis non est notus cometarum motus, ut quid sit praeter ordinem, quo moventur, certo definire queamus. Sed ubi de rebus sermo est, quas omnes homines semper eodem modo se habere experti sunt, quid sit praeter naturae ordinem, pronunciare cer-*

*to possumus, et ex allatis exemplis intelligere est*. Idem fere dicendum est de illis, qui physicae, et chymicae progressum extollentes, multa mirabilia viribus naturae patrari autumant. Siquidem quae fiunt legibus mechanicis, lucis actione, aut vi fluidi magnetici, calorici, aliorumque similium substantiarum viribus, facile a miraculis secernuntur; in illis enim obscuritas, et lumen artefactum vafre copulata, machinarum dispositio, quaedam distantia inter adstantes, et operantes requiruntur, quae omnia effectum hominis industria consecutum ostendunt. Nil vero eorum in miraculo est, si vero miraculi nomine donari debet. Uno verbo, cum causae necessariae viribus suis agunt, constanter in iisdem adjunctis agunt, ac leges notas sequuntur. Si vero phaenomenon in naturae viribus rationem habere nequeat, nulloque modo praevideri posset, miraculum dicas oportet.

586. Ad 7. Hoc argumentum, ait Storchenau, est huic simillimum: plurimae olim fabulae de diis spargebantur: magis igitur consultum est existentiam Dei inficiari; o praeclaram, dignamque philosopho argumentationem ( *Cosmol. sect*. 3.*c*. 2. *sch.n*. 5. )! Quis nescit, homines impios sanctissimis quibusque rebus frequenter abuti ? An propterea illae rejiciendae sunt ? Id solum inde sequitur, ut in ferendo de rebus mirabilibus judicio cautissimi simus, ne uti miracula habeamus, quae mira patrant callidi, aut iniqui, impiique homines, uti paulo ante adnotavimus ( §. 685. ). Vide ad rem Frayssinous, qui multa cautione incedendum esse docet, ne fraudibus falsi taumaturgi illuderemur ( *Confer. sur. les miracl: en general:*)

687. Tria interim ex hucusque dictis eruenda sunt, atque prae oculis semper habenda 1. Miraculorum causa efficiens nequit esse nisi solus Deus; nam miracula ab illo solo possunt patrari, qui leges naturae abrogare, aut ipsis derogare valet, aut saltem aliquem casum ab ipsis excipere. Sed solus Deus haec efficere potest, utpote qui solus leges naturae creatae dedit, legumque proinde ipsarum auctor, et dominus est, ac toti, uti sibi libet, dominatur naturae. Igitur solus est causa efficiens miraculorum. 2. Deus vero miracula non patrat, nisi ad veritatis, virtutisve confirmationem; non enim in operationibus ad extra alium sibi Deus finem praestituere potuit, qui demum ad suam gloriam non referatur; quiquid vero a veritate, et virtute alienum est, in Dei gloriam profecto non tendit. Et haec est ratio, cur aliqui in miraculi definitione addant: *veritati*, *vel virtuti*

*confirmandae destinatum*; quae verba tamen, cum ad miraculi essentiam haud pertineant, facile praetermisimus (§.675.) 3. Quoniam miracula cum mirabilibus saepe a rudi plebecula confunduntur; ideo non facile admittenda sunt, quae saepe in vulgus sparguntur, miracula. Quare sedulo chemyae, et physicae peritus, atque regulis criticae instructus, ut rectum gerat de aliquo phaenomeno judicium, quod tamen veluti miraculum huc, illucque pervulgatur, debet examinare, 1. utrum reapse illud phaenomenon evenerit; 2. utrum evenerit virtute virium naturae; 3. aut alicujus circumscriptoris fraude, aut manuum dexteritate; 4. aut a quodam veteratore a malis geniis adjuto; 5. aut ab ipsa malorum geniorum virtute; 6. aut a probo homine, cui auxilium bonus angelus praebuit; 7. aut a boni alicujus angeli virtute; 8. aut ab ipsa Deo; 9. utrum adhuc illius phaenomeni vestigia extent; 10. quo modo, quibusque in circumstantiis illud evenerit phaenomenon; 11. quemnam finem, seu quodnam bonum, vel verum illud phaenomenon respicere, vel confirmare potuerit. Haec et alia permulta, quae Religionis apologistae, et Theologi ex professo evolvunt contra delicatiores incredulos, semper prae oculis habeat, qui de veritate alicujus miraculi recte dijudicare cupit. Vide Storchenaum, qui de viribus geniorum, atque criteriis miraculi ( *Cosmol. sect.* 3. *c.* 2. *et* 3. ) agit, nec non Andream Spagnum, qui in opere de *miraculis* nihil desiderandum relinquit.

688. Non magna est, sed magna haec nostrae evolvit Ideologiae pars secunda, quam Cosmologiam vocavimus, ac secundum nostrae cognoscendi facultatis objectum complectitur ( §.166.), Iuvenes Minoritae Sapientiae addicti. Rerum, quae nos circumstant, contra praecipue hujus temporis Scepticos existentiam statuimus; ac dein ad ea descendimus, ex quibus et ipsa coalescunt, quae perenniter hinc inde in nostrum corpus operantur. Ordinem deinde mundanum subneximus, et casu, saltu, fato ablatis, mundum aliquibus legibus, quae ad motum reducuntur, regi docuimus. Mundi originem postea requisivimus, innumerisque argumentis ipsius, ac materiae aeternitatem refutavimus; atomos democriticas rejecimus; de *emanatione* perridiculam sententiam despeximus; ac proinde a Deo Optimo Maximo mundum creatum tradidimus, non quidem ab aeternitate, uti garriunt, qui sibi solum sapere gloriantur, sed in tempore, et in ea aetate, quam Moysis refert histo-

ria. Deus vero aliquem in hoc mundo condendo sibi finem praestituit, qui esse, nisi suae gloriae manifestatio, nequivit. Ea propter et mundum, utpote qui Dei fini aptissime respondet, perfectum esse docuimus, licet non sua entitate optimum, uti jactitant Leibnitiani. Tandem nec absurda observare, quae de rerum natura dicta sunt; nec effectus notare, quae frequentius vel rarius, miraculis contra deistas vindicatis, in mundo conspiciuntur, praetermisimus. Haec mundi generalis idea est, quia generales ideas praebet Philosophia Rationalis. Verum ipsa satis, superque sunt; ut ad eum filiali amore ac pavore possitis assurgere, qui mundum, quem incolimus, creavit, bonisque replevit, ut iis in ipsius tantum uteremur gloriam, ad quam omnia dirigenda sunt.



# DE IDEOLOGIA SPECULATIVA

## PARS TERTIA

SEU

## TEOLOGIA NATURALIS

689. Inanis, frustranea, sterilisque duarum hucusque absolutarum hujus nostrae Ideologiae partium cognitio omnino foret; nisi aliquem fructum, qui laborum nostrorum veluti meta existat, ex ipsis caperemus. Scimus et nos humanam rationem, cujus vim alias evolvimus (1.part.sect.1 Ideol.), continuo flores, et fructus gignere, veluti solet quaedam virens, fragrans, foecunda arbor. Verumhumanae rationis fructus et flores, alios, et alios pulchriores flores, fructusque jucundiores provocant, excitant, progenerant. Numquam enim anima in vero exquirendo saturata quiescens, de ideis in ideas transcendit; de veritate in veritatem transit; de cognitione in cognitionem transgreditur; ad causas phaenomenorum, quae in seipsa experitur, perquirendas transilit; ab his in alias pervadere conatur; alias dein, et alias concito et irrequieto impulsu explorat, investigat, perscrutatur. Nec umquam suam in causis inquirendis activitatem remittit, aut relaxat, nec in blando quiescit otio, nisi causam arripiat, et capiat, quae nequit ab anima, nisi ante alias quascumque causas, concipi, quamque omnes aliae causae, veluti quoddam commune centrum, supponunt, et respiciunt. Haec natura animae humanae est (§.425.).

690. Illam itaque Ideologiae partem tractandam suscipimus, quae de hac prima agit causa, quae omnium causarum est mater, omniumque principiorum est principium; in qua anima suam tandem reperit requiem; quamque anima et mundus supponunt, uti creaturae creatorem, Deum nempe, qui tertium Ideologiae objectum constituit (§. 359. ). *Theologiam* proprio nomine hanc partem vocamus, quia sermonem de Deo, ejusque attributis deducit. *Theologiam*

quidem , sed *naturalem*, et quia naturae lumine suffulti in veritatibus in hac Ideologia evolutis, et evolvendis procedimus; et quia alia existit *Theologia*, quae revelata dicitur, ac doctrinam ab ipso Deo traditam complectitur. Nos non latet, et hanc Ideologiae partem transacto funestissimo saeculo in exilium ab ideologis fuisse depulsam. Imo notatum est a plerisque, Tracyum numquam nomen Dei, aut aliquid simile in suis Ideologiae opellis innuisse ( *Saggio di analisi, e di confutazione degli elementi di Ideologia del Conte Tracy. Orvieto* 1828. *cap.* 2.). Exitialissimus hic fructus est materialistarum, qui animam, Deum, Religionem, mores, leges, atque potestates quascumque temerare, dilaniare, aspernari ubique conati sunt. Ast *certissimum est*, *atque experientia comprobatum*, *leves gustus in philosophia movere fortasse ad Atheismum*, *sed pleniores haustus ad religionem reducere*, uti acute notat Baco ( *De dignit. et aug. scient. l.* 1. ). Illud proinde optamus, ut juvenes ad Dei gloriam promovendam addicti solidiori studio operam navent omni, qua possunt, contentione, nullique parcant labori. Virtus in summo est, quam qui assequi cupiverit, omnem animae activitatem, conatusque omnes exerere opus est.

691. In duas sectiones hanc nostrae Ideologiae partem dividimus, in quarum prima de Dei unius existentia, in altera de ejus loquemur attributis.

## SECTIO PRIMA

### DE DEI UNIUS EXISTENTIA

692. Consulto hanc primam sectionem de Dei unius existentia statuimus, ut nempe plures veritatis hostes ordine proprio in ea impugnare possimus. Quod ut conficiamus methodo, quam hucusque adhibuimus, in quatuor capita totam dividimus sectionem. Quare in primo de Dei existentia; in secundo de ejus discrimine a mundo; in tertio de ejus unitate; in quarto de duorum principiorum systemate disseremus.

# CAPUT PRIMUM

## DE DEI EXISTENTIA

693. *Deum* hic dicimus ens illud, quod existit necessitate suae naturae, omnibusque perfectionibus potitur. Definitionem hanc in tota uostra vindicabimus Theologia. Athei dicuntur, qui Deum ignorant, aut negant, aut saltem in dubium vertunt. Athei proinde sunt *positivi*, qui Deum negant, aut in dubium vertunt; *negativi*, qui solum nesciunt. Positivi sunt *theoretici*, qui intellectus errore Deus inficiantur; *pratici*, qui *confitentur, se nosse Deum, factis autem negant*. Theoretici sunt *systematici*, qui Deum prorsus negant; *Pyrrhonici*, qui in dubium vertunt. *Systematici* sunt *directi*, qui aperto marte Deum negant; *indirecti*, qui Deo tribuunt, quae neganda, et negant, quae tribuenda sunt, Deumque proinde monstrum efficiunt.

694. Extitisse Atheos *negativos*, qui nempe perfectum rationis usum habentes, Dei existentiae ignorantia laborarunt, non facile invenies, qui concedat. Verum existere, et etiam quavis aetate extitisse atheos *praticos*, quotidiana docet experientia. Historia philosophiae quoque, maxima naturae humanae injuria, ac dedecore, tradit, apud veteres, et multo magis apud recentes populos, extitisse *pyrrhonistas* aliquos, qui Deum sua dubitatione, aut suis sophimatibus saltem *indirecte* inficias iverunt. Verum quaestio est, utrum extiterint, aut saltem existant athei *positivi*, qui *theoretici speculativi* dicti, *directe* Deum ex corde inficiati sunt, vel inficiantur. Multi quidem inter atheos recensentur ex veteribus; sed tameu non omnes athei fuerunt, quia hoc quoque nomine contumeliose ab historicis, vel eruditis notantur, qui mundum a Deo emanatum, aut Deum animam mundi probarunt, aut deorum turbam spreverunt, aut deos e suis cosmogoniis excluserunt. Pauci proinde illi sunt, de quibus apud eruditos aliqua adhuc existit dubitatio. Diagoras, Prodichus, Euhemerus, Critias, Theodorus, Protagoras. Inter recentes vero atheis accensentur Lucilius Vanini, Auctor *systematis naturae*, Tolandus, et omnes, qui mundum aeternum commeuti sunt (§. 599. 1.). Atheorum numerum extendere conati sunt Baylius, Bruherus, Buddaeus, aliique. Attamen consulatur de hoc argumento Brenna (*De generis humani consensu in agnoscenda Divinitate. vol.* 2.)

huic legi subducitur, quia quodvis contingens, si existat, certe existit facta *conditione*, quod existentiam acceperit. Hoc idem de quacumque contingentium serie dicatur oportet; nam major, minorve contingentium numerus naturam contingentis mutare nequit, quia numerus est quid extrinsecum, et extraneum entium naturae. Et revera finge, seriem contingentium constare ex 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. Quoniam quodvis eorum *conditionale* est; certe 9. existit, si existat 8.; 8, si existat 7., et ita deinceps usque ad 1. Hoc etiam, utpote *conditionale*, productum est. Itaque quaecumque *conditionalium*, seu contingentium series supponatur, ea existit, dummodo producta sit. Improducta proinde causa, quae huic productae seriei existentiam est impertita, statuenda est. Haec est Deus.

3. Existo ego, nempe anima mea meo corpori copulata. Ego non semper extiti. Scio hoc, sentio hoc, quia ego eus mutabile, et finitum me experior; quia non semper me extitisse sentio; quia in me nihil existentiae necessariae invenio; quia corpus a parentibus meis, animam per creationem (§. 458.) accepi. Igitur hoc totum, quod me constituit, quodque non semper extitit, aliquando incepit. A quonam? Non a seipso (§. 352. 5.), non a nihilo (§. 277), non a casu (§. 589.). A quoniam igitur? A parentibus meis? Sed ipsi animam mihi non tribuerunt (§. 458.), et aliquando etiam initium et ipsi habuerunt. Igitur ne alios, et alios parentes usque in infinitum admittere velimus, quod certe esse nequit (352. 8.), ad primam causam, quae hos omnes et me creavit, deveniendum est. Haec prima certe non est materia tum quia materia cogitare nequit (§. 430.), et ego cogito; tum quia hoc phaenomenon etiam nunc materia gigneret; tum quia hoc foret ex fortuito atomorum concursu, quem repugnare demonstravimus (§. 612.). Igitur existentia mea causae. quae numquam incepit, existentiam supponit. Haec est Deus.

4. In mundo motus existit. Hoc pro certo assumimus; quia motu omnia, quae in corporibus conspicimus, perficiuntur (§. 592.). Motus vero materiae non est essentialis, quia in motu et in quiete ea potest concipi (§. 610.). Deinde si motus foret materiae essentialis, numquam ipsa concipi posset sine dato motu, atque data directione; omniaque corpora eadem directione, eademque velocitate moverentur. Quod enim essentiale est, semper, eodem modo, eodemque in sensu convenire debet. Porro experientia docet, corpora

moveri diversis, oppositisque directionibus, atque variis velocitatis gradibus. Igitur nullimode materiae essentialis dici potest motus. Sic fere ratiocinatur Bonnetus vir incredulis non admodum suspectus, in opere Religioni infesto(*Recherche sur le Christianis. c.2.*). Igitur causa movens existat oportet. Haec causa aut semper extitit, aut non; si non semper extiterit, ab alia causa ipsa originem habuit, et haec ab alia. Cum progressus in infinitum repugnet (§. 604.) ad causam moventem est deveniendum, quae semper extitit, nempe suae naturae necessitate existit. Haec est Deus.

Haec argumenta a natura contingentis, ab idea effectus, a notione motus semper ad primam causam statuendam nos conducunt; et ejusdem argumenti veluti varia expositio considerari possunt. Non mireris itaque, quod eadem fere videantur, quia idem demonstrant, et ab rebus contingenter existentibus ad ens necessarium nos eadem via certissime ac necessario deducunt. Hoc argumentum versavit inter veteres praesertim Tertullianus, et inter recentes Clarkius, Suarez, ac praecipue Gerdilius in dissertatione: *Dell'esistenza di Dio*, e *della immaterialità della natura intelligente*.

698. Alterius classis argumenta, quae Dei existentiam demonstrant, sunt illa, quae *physica* nuncupantur. Haec sunt.

In mundo certe est ordo ( §. 585, 586. ); in ipso enim multiplicitatem omnis generis entium, mirabilem inter ipsa concentum, accuratam omnium partium consensionem, demirandam specierum foecunditatem, perpetuam horum omnium conservationem conspicimus. Quanta non sunt entia mire inter se connexa, inter elephantem et verniculos, inter aquilam et musciculas, inter cete grandia et pisciculos, inter altissimas cedros, et humiliores herbas, ac in planetis, cometis, et stellis! Qanto concentu sol, et luna nos non perlustrant; quanta constantia aquae inter limites suos non sistunt; quanta utilitate aeris substantia terram non circumcingit; quanta soliditate nos terra non sustinet; quanto bono aquae maris non agitantur, ac radiis solis ab extraneis substantiis separantur; quanta certitudine pro omnibus animantibus varia alimenta non parantur; quanto ordine omnia entia non operantur! Quid de partium entis cujusque, ac partium mundi consensu dicimus? Ne loquamur de omnibus, ordinem demirare et proportionem in animalculis, quae ope microscòpiorum deteguntur in aqua, in qua vivunt, ac natant; quaeque carnem, ossa, nervos, musculos, stomachum,

viscera, sanguinem, aliosque cum debita proportione humores habent, licet vermiculi casei vicibus 27000000. sint illis majores, uti docet Malzieu. Omnia ordinata sunt, veluti umbrae et colores in tabella, veluti multae militum cohortes in exercitu, veluti multae rotulae in horologio, ac innumerae litterae in aliquo poemate. Omnia juxta species suas ovipera, vivipera, aliaque animalia nascuntur, vivunt, moriuntur, reproducuntur; omniaque aut simultanee, aut successive existunt. quin umquam harmonia, constantia, consensus, proportio, ordo partium, aut totius turbetur. Unde eleganter Tullius mirabundus ait (*Lib.* 2. *de nat. deor.* c. 39.):„ *Licet.... remota subtilitate disputandi, oculis quodammodo contemplari pulcritudinem rerum earum, quas divina providentia dicimus constitutas. At principio terra universa cernatur, locata in media mundi sede, solida et globosa, et undique ipsa in sese nutibus suis conglobata, vestita floribus, herbis. arboribus, frugibus: quorum omnium incredibilis multitudo insatiabili veritate distinguitur. Adde huc fontium gelidas perennitates, liquores perlucidos amnium, riparum vestitus viridissimos, speluncarum concavas altitudines, immensitatesque camporum. Adde etiam reconditas auri argentique venas, infinitamque vim marmoris. Quae vero, et quam varia genera bestiarum, vel cicurum, vel ferarum? qui volucrum lapsus, atque cantus? qui pecudum pastus. quae vita silvestrium? Quid jam de hominum genere dicam? Qui quasi cultores terrae constituti, non patiuntur, eam nec immanitate belluarum efferari, nec stirpium asperitate vastari; quorumque operibus agri, insulae, litoraque collucent, distincta tectis, et urbibus. Quae, si ut animis, sic oculis videre possemus, nemo cunctam intuens terram, de divina ratione dubitaret. At vero quanta maris est pulchritudo? quae species universi? quae multitudo, et varietas insularum? quae amoenitates orarum. et litorum? quot genera, quamque disparia partim submersarum, partim fluitantium, et innatantium belluarum, partim ad saxa nativis testis inhaerentium? Ipsum autem mare, sic terram appetens, litoribus eludit, ut una ex duabus naturis conflata videatur. Exinde mari finitimus aer die, et nocte distinguitur; isque tum fusus et extenuatus sublime fertur; tum autem concretus, in nubes cogitur, humoremque colligens, terram auget imbribus; tum effluens huc et illuc, ventum efficit. Idem annuas frigorum, et calorum facit va-*

*rietates; idemque et volatus alitum sustinet, et spiritu ductus alit, et sustentat animantes. Restat ultimus, et a domicillis nostris altissimus, omnia cingens et coercens caeli complexus: qui idem aether vocatur extrema ora, et determinatio mundi; in quo cum admirabilitate maxima igneae formae cursus ordinatos definiunt. E quibus sol, cujus magnitudine multis partibus terra superatur, circum eam ipsam volvitur, isque oriens, et occidens, diem noctemque conficit; et modo accedens, tum autem recedens, binas in singulis annis reversiones ab extremo contrarias facit: quarum intervallo tum quasi tristitia quaedam contrahit terram: tum vicissim laetificat, ut cum caelo hilarata videatur. Luna autem est, ut ostendunt mathematici, major quam dimidia pars terrae, iisdemque spatiis vagatur, quibus sol; sed tum congrediens cum sole, tum digrediens, et eam lucem, quam a sole accepit, mittit in terras, et varias ipsa mutationes lucis habet; atque etiam tum subjecta atque opposita soli, radios ejus et lumen obscurat; tum ipsa incidens in umbram terrae, cum est a regione solis, interpositu, interjectuque terrae, repente deficit. Iisdemque spatiis hae stellae, quas vagas dicimus, circum terram feruntur, eodemque modo oriuntur, et occidunt; quarum motus tum incitantur, tum retardantur, saepe etiam insistunt. Quo spectaculo nihil potest admirabilius esse, nihil pulchrius. Sequitur stellarum inerrantium maxima multitudo: quarum ita descripta distinctio est, ut ex notarum figurarum similitudine nomina invenerint.* Ordinem itaque in mundo novimus, imo suspicimus. Verum ordo plura entia, istorum ad finem directionem, finis proinde electionem, leges tum finales, tum efficientes, quibus inter se, et relate ad communem finem illa entia agerent, ipsiusque finis consecutionem supponit (§. 326.). Haec omnia profecto esse nequeunt, nisi causa ordinans, eligens, legesque ferens supponatur, et quidem a mundo ipso ordinando distincta et diversa, alioquin et ipsa ordinanda cum aliis entibus foret. Haec vero causa sapientissima debet esse, quia debuit omnes possibiles legum combinationes praevidere, et eas seligere, quae numquam ad collisionem pervenirent, nullo adverso eventu subverterentur, nullam ab activitate causarum liberarum alterationem subirent. Igitur haec suprema intelligentia, quae Deus est, existit. Hoc argumentum ex foetus humani formatione Carolus Derelincurtius, ex oculo Christophorus Sturmius, ex aure Schmidius, ex corde Hembergerus, ex manu Donatus,

ex loquela Fuerlingus, ex pluvia Mejerus, ex nive Leutwei n ex tonitru Henricus Seelen, aliique ex aliis partibus humani corporis, aut ex insectis, et vegetabilibus deduxerunt, ac promoverunt. Unde perspecte ait Tertullianus (*l. cont. Marc. c.* 1.): *habet Deus testimonia totum hoc, quod sumus, et in quo sumus.* Argumentum physicum ex professo pertractarunt Derhamus, Niewentitius, Paleyus, Genuensis, ac recentissime Guillelmus Whewell in egregio opere; *astronomia et physica in suis relationibus ad Theologiam Naturalem.*

699. Tertia argumentorum classis pro statuenda Dei existentia deducitur ex omnium hominum consensu, haecque argumenta *moralia*, aut *philologica* vocantur. Deum confessi sunt Thales, Anaxagoras, Socrates, Plato, Aristoteles, Zeno, Chrysippus, Pythagoras, Parmenides, imo et Democritus, et Leucippus, et Epicurus. Deum admiserunt Chaldaeis, Arabes, Persae, Phoenices, Aegyptii, Indi, Getae. Galli, Germani, Graeci, Romani, licet fabellis cultum, ac Dei naturam deturparent. Deum colunt, et adorant omnes gentes recenter detectae, Tartari, Samojedae, Islandi, Groetlandi, Missipenses, Canadendes, Mexicani, Peruani, Brasilienses, Chilenses, Huttentotti, aliaeque, uti narrant plurimi historici (*V. Storch. Theol. nat.* §. 17. *sch.*). Unde Tullius (*l.* 1. *qq. Tusc. c.* 13.) merito ait: *quod nulla gens tam fera, nemo omnium tam sit immanis, cujus mentem non imbuerit Deorum opinio. Multi de diis prava sentiunt: id enim vitioso more effici solet; omnes tamen esse vim et naturam divinam opinantur.* Porro hic consensus quid aliud manifestat, nisi ex ipso communi sensu nos edoceri, Deum existere? Si enim de Deo opinionis originem non nôverimus: si tempus nullum indicetur ejus initii; si locus non pandatur, in quo sumpsit exordium; et auctorem tantae inventionis nemo proferat; nonne aut a Deo ipso, aut a natura ipsa rationali, aut ex hujus rerum universitatis adspectu, aut ex desiderio felicitatis, aut ex parente quodnam primo et propagatore generis humani edocti sunt homines? Quomodo vero constans ubique haec viguisset opinio, si ab alia manasset fallaci causa? Quod *nisi cognitum*, ait Tullius (*De nat. Deor. l.* 2. *c.* 2.), *comprehensumque animis haberemus, non tam stabilis opinio permaneret, nec confirmaretur diuturnitate temporis, nec una cum saeculis, aetatibusque hominum inveterare potuisset. Etenim videmus ceteras opiniones fictas, atque vanas diuturnitate extabuis-*

se. *Quis enim hippocentaurum fuisse, aut chimaeram putat? quaeve anus tam excors inveniri potest, quae illa. quae quondam credebantur, apud inferos portenta extimescat? opinionum enim commenta delet dies; naturae judicia confirmat.* Circa hoc argumentum vide prae ceteris Fraissinous ( *Existence de Dieu prouvée par la temoignage du genre humain* ), et l'Aveugle de la Montaigne ( *Intertenîments sur le nature créee*).

700. Verum Dei existentiam alia argumenta etiam probant, ea nempe, quae ex absurdis eruuntur. Nam 1., ablata Dei existentia, omnis malitia ac bonitas actionum humanarum evanesceret; deesset enim ratio Dei aeterna, et ideo lex naturalis; hinc nulla vis legum humanarum, nullumque praemium, nulla poena foret. 2. Societas ipsa susque deque poneretur, tum quia leges humanae non puuiunt occulta scelera; tum quia non in humanas ipsae pervadunt cogitationes; tum quia aliquae humanitatis, et beneficentiae actiones nequeunt ab legibus humanis praecipi. 3. Iusjurandum est vinculum societatis, atque ubique gentium observatur. Sed quamnam vim habere poterit jusjurandum, Deo ablato? 4. Sine Deo hominis cor turbidum, atque anxietate, tristitiaque continuo cruciatum, confectumque videtur; cum è contra homini Deum timenti, fiduciamque in eo reponenti, est jucundissimum mentis solatium, suavissima quies, ac praemii spes futuri. Lege-sis Fraissinous (*Principes religieuses, fondament de la morale, et de la societé*), et Chataubriand (*Génie du Christianisme liv.* 6. *ch.* 4. ).

701. Demonstratio Dei existentiae hucusque allata dicitur *a posteriori* ( §. 172. ). Sed non desunt, qui Dei existentiam demonstrari posse *a priori*, imo reapse demonstrari confidunt. Celeberrimi hi sunt, ac de Republica litteraria benemeriti, S. Anselmus, Cartesius, Leibnitius, Cousinus, Mastrofini, Mamianus a Rovere. Dicunt itaque ipsi, nos procul dubio posse concipere ens perfectissimum; ideoque istud ens esse possibile. Quaenam enim repugnantia potest inveniri in eo, in quo omnes possibiles perfectiones copulatas supponimus? Certe si hoc ens repugnaret, Deus, qui existit, non foret possibilis. Verum ens perfectissimum possibile sine existentia esse nequit, neque concipi potest. A quonam enim ipsum reciperet existentiam, si sine ipsa supponeretur? Nonne existentia est et ipsa aliqua perfectio, quae omnino supponenda est in ente, in quo omnes supponuntur perfectiones? Plurimos adversarios passa est haec demonstratio, ac inter recentissimos

adnumerantur Dmowski (*Theol. Nat.* §. 1.), Salvator Mancino (*Elem. t.* 2. §. 758. 759.), Bonelli (*Theol. natur. c.* 2.). Dicunt itaque isti, nos concipere quidem ens perfectissimum; sed hic noster conceptus essentiam logicam, non realem continet; seu illud ens perfectissimum est noster concipiendi modus, non quid reale. Deinde quando dicimus, esse *possibile ens perfectissimum*, dicimus *esse possibile ens perfectissimum existens*, quia vox *perfectissimum* existentiam includit. Ceterum Mastrofini plurimum promovit hoc argumentum tum in aliis suis operibus, tum in saepe laudato, *L'anima e suoi stati.* (*L.* 3. *c.* 4. *art.* 9. n. 1139. ).

702. Kantius omni est studio conatus extenuare argumentum *metaphysicum* (§. 697.), quod *cosmologicum* appellavit: *physicum* (§. 698 ), quod vocavit *physico-theologicum*: et *a priori* (§. 701.), quod dixit *ontologicum*. Nil morantes circa ontologicum, de quo quisque, quidquid sibi adridet, credat; Kantium audire praestat circa alia duo invictissima a nobis et ab omnibus allata philosophis. Dicit itaque ipse 1. ideas *contingentis*, et *necessarii* esse *formas* nostrae *subjectivitatis* ( §. 67. ), ab ipsis proinde erui posse, quod est tantum *subjectivum*; ideoque ab istis ideis non posse inferri Dei *existentiam*, quae certe est quid *objectivum*. 2. Idem dicendum est de causae, et effectus ideis, quae et *subjectivae* etiam sunt, nihilque supponunt in objectis. 3. Perperam ex finitis rebus creatis, et ordine deducitur existentia Dei, qui ens infinitum est; ex finito enim finitum demonstratur, non infinitum.

703. Ad 1. *Contingentis* idea haud est *subjectiva*, quia eam habemus tum ex consideratione non repugnantiae ad non existendum, tum ex successivis mutationibus, ac notissimis limitibus, quibus coarctantur ea, quae dicimus contingentia. Porro ex idea hac *contingentis ad necessarii* ideam ascendimus, dicentes: *Si existat ens contingens, existit ens necessarium*; *sed existit contingens*, *nempe mundus*; *ergo existit ens necessarium.* Hoc ratiocinium mixtum est (§. 197.); nam prima propositio hypothetica est pura et necessaria; secunda est empirica. Quale vitium in ipso est? Vera est prima propositio, quia necessaria; vera secunda, quia experimentalis. Quare igitur non erit verum consequens, quod in illis continetur? Physici etiam hac ratiocinii specie utuntur, cum e. g. ex motu terrae diurno, et annuo, propositionem puram efformant, ac dein ex duabus positis pura et empirica, longiorem, brevioremque diem, visibiles, vel invi-

sibiles stellas in quovis anni tempore, aliasque veritates concludunt. Ita et metaphysici.

Ad 2. Cum dicimus contingens, dicimus conditionale (§. 697. 2.); nempe effectum aliquem, qui certe sine causa intelligi nequit. Et revera aliquid existit, quod certe aut causam habet, aut non. Si primum, ex effectu causam deducimus; et quoniam causae subordinatae in infinitum protrahi nequeunt; causa prima admittenda est. Si vero illud, quod existit, est sine causa, illud ipsum semper exstitit, ideoque erit ipsum, quod quaerimus. En ad rem ratiocinium nostrum: *Si sunt in mundo entia, qaae producta sunt, causa supponenda est; sed sunt hujusmodi entia; igitur causa, quae ea donavit existentia, est admittenda.* Nescimus, in quonam haec peccet argumentatio.

Ad 3. Ex ordine et rebus finitis recte infiniti existentiam deducimus. Nam si finita entia existant, *quae ordinem inter se, et relate ad finem servant, est profecto ens infinitum quod illorum coarctavit essentiam, ac ipsa ordinavit. Sed in mundo finita existunt, atque in ordinem disposita. Ergo existit ens infinitum, quod illa limitibus cinxit, ac ordine disposuit.* Certe prima propositio pura est et necessaria, quia nullum ens potest seipsum in essentia coarctare, alioquin egisset ad suam essentiam coarctandam, antequam existeret, uti apposite notat Mastrofini (n. 1129.). Secunda propositio vera est, quia experientia eam docet. Igitur verum est consequens, nempe existere ens infinitum, ens nempe quod coarctatum in sua non est essentia, alioquin aliud, et aliud usque in infinitum foret admittendum, quod profecto repugnat. Deinde ens necessarium positum vi demonstrationis metaphysicae (§.687.), nequit non esse infinitum, quia alioquin necessarium non foret, sed ab illo ente existentiam recepisset, quod ipsum finitum ac limitatum effecisset. Infinita proinde intelligentia mundum ordinavit. En quomodo ex finito ente, et finito ordine, Dei existentiam probamus. Kantius vero cum sua *subjectivitate*, uti Fichteus cum suo ego *puro*, Schellingius cum sua *intuitione*, Hegelus cum sua *Idea* viam omnem ad objecta perveniendi obserarunt. Ideam Dei nec creamus in mente nostra nec innata est; sed ratiocinio deducimus.

705. Non hic Dei existentiam ex objectionibus, quae ex supposita mundi, aut materiae aeternitate, aut a progressu subordinatarum causarum infinito, aut a fortuito atomorum concursu, deducuntur, vindicabimus. Haec enim omnia satis praeoc-

cupata, et dissoluta in Cosmologia reperiuntur ( §§. 602. ad 613.). Audiamus itaque alias atheorum argutias.

705. Dicunt ipsi Dei existentiam non posse demonstrari, 1. quia Deus est prima veritas, et primum principium; 2. quia Dei existentia non distinguitur ab ejus essentia, quae sciri nequit. 3. quia nequit definiri, quid sit Deus.

706. Sed 1. dicimus, Deum esse quidem primam veritatem et primum principium, quatenus ipse prius existit, quam omnia creata, quorum est principium, seu causa; non quatenus prius cognoscitur, uti vidimus ( §. 697. ad 699. ). 2. Nequimus quidem scire, seu comprehendere Dei essentiam, quae ab ente finito adaequate cognosci non potest; sed ideam essentiae entis infiniti possumus ex remotione limitum in realitatibus et perfectionibus efformare, uti docuimus ( §. 312.); ex quo et Dei existentiam cognoscimus. 3. Certe quid sit in se Deus, nescimus; definire tamen possumus, uti definivimus, *ens, quod ex se existit*. Scimus Deum non contineri in genere, ideoque definiri per genus proximum, et differentiam propriam non posse; sed possumus describere, aut saltem nominalem de eo praebere definitionem. Sed haec nugae sunt, uti cuique patet.

707. Urgent denuo Athei; 1. multi reperti sunt populi sine aliqua religione, et deo; ideoque nullum est argumentum morale ( §.699. ); 2. multi Athei fuerunt virtute praediti; igitur ex atheismo non sequuntur relata absurda (§. 700.); 3. homo potuit ortum suum a materiae sinu ducere; igitur ex ejus existentia nil infertur (§. 697. n. 3.).

708. Ad 1. neque philosophi, neque populi umquam sine Deo aliquo reperti sunt. Non philosophi, quia illi ipsi, qui inter Atheos recensentur (§.694.), ab atheismi nota a pluribus vindicantur. Protagoras enim tantum *suspicabatur de natura deorum*, uti ait Tullius (*l.* 1. *de nat. deor. c.* 12.); Euhemerus irrisit deos, non negavit Deum, uti narrat Clemens Alexandrinus; Prodicus Chius ex Tullio (*ibid.* 2. *c.* 43.) idem sentit. Quare ait Cl. Genuensis (*Elem. Met p.* 2. *c.* 1. *sch.* §. 1.): „ „ nec vero putandum est, omnes eos philosophos, qui feruntur, Atheos fuisse. Plures enim in eum censum relati sunt, „ quod popularem superstitionem riderent. Clemens Alexandrinus negat, veteres illos Philosophos, Anaxagoram, Protagoram, Diodorum, Euhemerum, qui a Graecis Athei habiti fuerant, Atheos fuisse; putatque idcirco inter Atheos „ fuisse connumeratos, quod unum Deum omnium conditorem, et conservatorem intelligentes, popularia numina sper-

„ uerent. Et vero ob eamdem causam primi Christiani Athei „ habiti fuerunt, ut nos docent Justinus Martyr, Arnobius, „ Minutius Felix; quod scilicet nec Templa ulla haberent, „ nec populares Deos colerent. Judaeos, *quod unum numen*, „ *et sola mente colerent*, uti loquitur Tacitus, inter Pan-„ theistas imperitissime retulit Strabo geographus„. Ceterum aliud est aliquos Deum scripto aut voce, aliud animo et judicio negasse. Illud concedimus, hoc inficiamur. Omnes enim *mentiuntur*, *qui dicunt*, *se non sentire esse Deum*, *nam etsi sibi affirment interdiu*, *nocte tamen et sibi dubitant*. Vide nostrum Del Giudice (*Theol. Nat.* §. 45.). Plura sunt, quae ostendunt, nationes illas, quae repertae sine aliqua religione dicuntur, aliquem admississe Deum. Nam 1. qui narrant, illas religionem non babuisse, dicunt, hoc accepisse ex rumore potius, quam ex rei veritate, et proinde dubitanter loquuntur; 2. qui narrant, saepe ignorantia laborant, cum aperte falsum non raro scribant, uti Juvenalis (*Sat.* 14. *v.* 97.) de Judaeis, de quibus cecinit,

*Nil praeter nubes, et caeli numen adorant.*

3. Qui narrant, Atheos saepe vocant, qui deos, quos ipsi probant, non confitentur; quo sensu a Plinio (*l.* 13. *c.* 14.) dicitur Judaea gens *contumelia numinum insignis*; 4. qui narraut, veluti Atheos illos habent, quorum templa et caeremonias non conspexerunt; quasi in aperto campo, uti Parthi, non poterant diis libare; 5. qui narrant, saepe Atheos vocant, qui efferatos mores habent; uti Homerus Atheos vocat Phlegyes, quia latrociniis vivebant. Igitur ex historiis nil colligi potest; imo colligitur, omnes gentes aliquem coluisse Deum; nam recentiores historici, et itinerantes intimius perpendentes populorum mores, omnes una voce docent, nullam inveniri gentem, quae aliquas religiosas caeremonias non probet, et sequatur. Hinc impiissimi cujusdam operis auctor (*Résumé de l' histoire des traditions morales, et religieuses chez divers peuples*) et ipse fatetur, admittendam esse existentiam, et unitatem Dei, quia harum veritatum vestigia reperiuntur in omnibus populorum traditionibus.

Ad 2. Potest quidem aliquis Atheus specie honestus videri, praesertim si vitam cum colentibus aliquem Deum ducat. Nam tunc mores ad aliorum normam componit aut timore alicujus poenae, aut spe exaltationis, aut quia ad tempus est Atheus, aut quia non est talis ex corde. Virtus enim moralem legem, legem aeternam, Deum ipsum supponit; ablato itaque Deo, omnis virtutis idea evanescit. Porro hic non loquimur

de uno, aut alio Atheo, sed de Athea societate, quam tanto fastu possibilem posuit Baylius. Si enim nulla Dei idea in hac Atheorum societate supponatur, societas imaginaria est; quia nullum foret vinculum, quo homines sub uno teneren- tur capite, ac poenae et praemia, leges et juramenta, contemptus et opiniones nil prodessent. Vide Storchenaum (*Theol. Nat.* §. 19. *sch.* 1. *et* 2.).

Ad 3. Nescio quid hic dicant Athei. A quonam didicerunt monumento, primum hominem a materia ortum habuisse? In quanam vi, vel lege materiae ratio hominis existentiae reponitur? Undenam est, quod haec materia non amplius hominem gignat? Sed homo fuitne adultus, an puer a materia productus? Quomodo vero adultus, si nil adultum modo terra gignat, omniaque pedetentim proficiant? Quomodo puer, si puer non potuisset sibi alimenta parare? Sed quale est animal, quod germen aliquod non supponat? Vide Mancino (§. 766. *ad* 769.), et Galluppi (*Lez. di Log. e Met. lez.* 120.), qui hanc objectionem cribrarunt, ac viriliter exsufflarunt (1).

709. Dicunt denuo Athei, Dei existentiam ortum habuisse 1. aut ab ignorantia, et praejudiciis populorum; 2. aut a fraude principum, et legumlatorum; 3. aut a timore concepto; 4. aut ab ignorantia causarum naturalium, quarum phaenomena diis populi tribuerunt.

710. Ad 1. Populi et nationes moribus, locis, linguis, temporibus diversae sunt, diverseque in omnibus rebus sentiunt. In uno tamen omnes conveniunt, nullo refragante, nempe in aliquo Deo admittendo. Nulla hostilitate, nulla aemulatione, nulla dissensione, nullo partium studio omnes gentes unum sciunt, unum intelligunt, unum adprobant, omnes una voce confitentur, esse aliquod numen. Dies commenta delet, ajebat Tullius; quare itaque Dei existentiam, si praejudicium sit, non extinxit, ac ab animis non evellit? Et cur viri doctissimi (§. 699.) hoc non detexerunt, ac abstulerunt praejudicium, imo calculo suo probarunt? Au soli Athei sapientes, doctique sunt, alii vero omnes stulti, indoctique?

(1) Fuerunt itaque, qui adeo desipuerunt, ut hominem dixerint ab terrae foecunditate instar fungorum, vel ab ovo vel limo, uti ranae ex Nilo, vel a piscibus prodiisse, vel etiam a particulis, et essentiis organizatricibus, aut a vi vegetativa. Anthropagoniae autem omnium gentium, traditiones omnium populorum, historiae tractantes de colonisrum transmigrationibus, philologia a Semitica, et Iapetica repetens omnes linguas, physica, geologia, aliaque monumenta hunc crassissimum errorem jam jam refutarunt. Vide Perrone (*De Deo Creat. p.* 3. *c.* 1.).

Ad 2. Quisnam fuit ille princeps, aut legumlator, qui ideas, caeremonias, religionem adinvenit? Quonam tempore, quonam anno, quonam mense et die hoc praeclarum excogitavit inventum? Quonam loco, quonam teste, quibus auxiliis deos, ritusque religiosos detexit? Eccur historiae de primo, qui terram coluit, aut pelago se credidit, aut vites humo inseruit, verbum faciunt; nil vero de primo memorant, qui aliquod numen adoravit? Quomodò autem potuissent populis legumlatores, et Principes religionem imponere, nisi aliquam prius deorum ideam populi habuissent? Quomodo in omnium totius terrae legumlatorum mentem illa venit opinio? Eccur vero plures vetustissimi populi Chaldaei et Aegyptii religiosiores, vel potius superstitiosiores fuerint, quin legumlatores adhuc haberent? Quare numquam, et a nemine haec pia legumlatorum fraus detecta est? *Quae tanta felicitas mentiendi, ut non tantummodo indoctos, sed Platonem quoque, ac Socratem fallerent, et Pythagoram, Zenonem, Aristotelem, maximarum sectarum principes, tam facile deluderent?* Ait Lactantius (*De ira Dei c.* 10.).

Ad 3. Neque timor tantae inventionis causa esse potuit, tum quia omnes gentes deos suos immites, horrendos, truculentos habuissent, quod cum historiis pugnat; tum quia audaces, intrepidique homines deos non admisissent; tum quia timor non aeque in omnibus divinitatis ideam excitasset; tum quia tempore haec idea tandem evanuisset; tum quia nullus locus, nullumque recensetur tempus, in quibus primitus timor tantum produxit bonum; tum quia eo facilius haec opinio de diis extincta fuisset, quo clarior phaenomenorum naturalium causa facta est.

Ad 4. Si ignorantia causarum naturalium phaenomenorum deorum fuerit mater; eccur Baco, Cartesius, Leibnitius, Newtonus, Galilaeus, Vicus, Fenelonius, Clarkius, qui prae ceteris naturam physicam, et humanam cribrarunt, noverunt, admirati sunt, Dei existentiam venerabundi admiserint? Eccur tempus et locum non demonstrant, non pandunt monumenta, non indicant auctores? Si tantae inventionis ignorantia causa est, clamemus oportet: felix ignorantia, quae tanta homini promeruisti!

711. Ad Deum itaque confugiamus, Deum adoremus. Nos existimus, quia ille existit; nos fruimur, quia ille fruendi donavit facultates; nos gaudemus, quia ille bona largitus est. Deum veneremur, Deum supplicemus. Aves suis carminibus ad Deum laudandum nos alliciunt; amnes suo murmure desi-

lientes ad Deum inhiandum nos excitant; montes suo cacumine ad erigenda Deo corda nostra insinuant; sol et luna, ex quibus tanta hominibus derivantur bona, ad gratias Deo reddendas nos invitant. Omnia Deum praedicant, ejusque enarrant gloriam. Felix qui Deum puro colit, et contemplatur corde! Ab ipsa divinitate sublimes, nobilesque accipit cogitationes, et sensus, uti aqua, quae a montibus strepens descendens in planitie vim acquisitam retinet. Deum itaque laudemus, ejusque sanctissimum celebremus nomen.

## CAPUT SECUNDUM

### DE DEI DISCRIMINE A MUNDO

712. Hucusque Dei existentiam probavimus, quin de ejus discrimine a mundo verba fecerimus. Verum si Deus existat, sique ejus existentia a contingentibus, ab effectibus, ab ordine, quem in mundo conspicimus, clarissime deducatur; profecto ipse est aliquid a mundo ipso distinctum. Sed directe hanc veritatem ostendere opus est hac praesertim aetate, in qua aliqui Germani philosophi ipsam obnubilare, aut convellere, si superis placet, conantur (1).

713. Itaque in quavis Philosophiae aetate fuerunt aliqui, forsan de se ipsis superbe sapientes, qui mundum cum Deo confundentes, unam dumtaxat existere substantiam professi sunt. Ipsorum systema *pantheismus* appellatur, quasi diceres, *omnia* esse *Deum*. Hanc defendisse sententiam Xenophanem Eleaticae sectae principem, Parmenidem, Melissum, Zenonem Eleatem, putant eruditi. Imo creditur, huic errori adhaesisse etiam aliquos ex schola Pythagorae (§. 31.), aut saltem ex Stoicorum secta (§. 28.); nam Seneca (*qq. Nat. l. 2. c. 45.*), qui Stoicus fuit, docuit: ***Est***, *ex quo nata sunt omnia*, *cujus spiritu vivimus*: ***vis illum voc are mundum***, *non falleris*; ***ipse enim est totum***, ***quod vides***: ***totus suis partibus indutus sustinens vi sua***. Non desunt tamen, qui illos veteres sapientes a pantheismi nota vindicant, licet Buddaeus studuerit con-

(1) In Ontologia vidimus, existentiam contingentium nos ducere ad cognitionem entis necessarii (§. 308. 16.); hocque esse immutabile (n. 6.); infinitum (§. 313. 1.); simplex (n. 10.); perfectissimum (n. 11); unum (n. 12.). Ibi supposuimus Entis necessarii existentiam; sed modo demonstrata hujus Entis, quod diximus Deum (§. 693.), existentia; patet, Deum his attributis potiri; quia nequit existere, quin simul ipsa habeat. Sed, ut de Deo clarior, atque rationabilior habeatur notitia, de ipsis quoque singulis sermonem habebimus.

trarium demonstrare (*Dissert. de Spinozismo ante Spinozam*). Dicunt siquidem, dicta illorum philosophorum, quae hinc inde sparsim leguntur, de Dei immeusitate esse intelligenda; atque errorem de mundi anima, quam Deum crediderunt, tantum ad summum praeseferre. Vide Salvatorem Mancino (§. 820 in nota), et Cousinum (*Noveaux fragments, Xenophane et Zenon d'Elie*), et Bonelli (*Theol. Nat. c.* 6.). Ceterum Spinoza (§ 53.) mordicus systema pantheisticum tuitus est. Summa ejus doctrinae geometrico more expositae in sua *Ethica* haec est; *unam dari substantiam, quae est Deus, eamque infinitam esse, atque omnem rem extensam, et rem cogitantem Dei esse attributa, vel affectiones attributorum Dei.* Videatur Mancino, qui praecipuas Spinozae propositiones in unum collegit (§. 804. 805.). Credit ipse Mancino, Cartesium aliquo modo praelusisse Spinozae, uti et putat Gioberti (§. 45.). Ipse Mancino Pantheistis accenset Vincentium Micaeli Siculum, cujus systema ille cribrat. (*Elem. di Filos. Teol. Nat. c.* 4.). Systema Spinozisticum, quod alias laudavimus (§§. 300. 360. 355. n. 8.), defenderunt etiam Tolandus, Kuffelerus, aliique, sed impugnarunt Huetius, Baylius, Iaquelotius, Clarkius, Stillingfletus, Moshemius, Albertus Fabritius. Fenelonius, Gerdilius, Genuensis, aliique viri doctissimi. Verum hisce fere temporibus Fichteus in *ego puro, et absoluto*, Schellingius in *identitate absoluta*, Hegelus in *idea absoluta* in vitam hoc systema revocare conati sunt. (§§. 68. et 69. cum not.). Hinc apud ipsos, eorumque sectatores Deus est universum absolutum, indifferentia pura, complexus naturae totius, oceanum vitae universalis, animal universale, atque istius apparitiones, vibrationes, bullae sunt res omnes. Hanc ipsam absurdissimam doctrinam suo calculo promoverunt Progressistae, Sansimoniani, Fourieristae, Humanitarii, Lamennaistae, imo et Cousinistae (§. 64. 65.), qui praecipue Germaniam, atque Galliam deturparunt, atque non desinunt suis obscurissimis scriptis faedare (1).

(1) Cl. Galluppi (*Filosof. della volon. vol.* 4. *c.* 1.), docet *pantheismum* generice acceptum negare rerum creationem, atque admittere ens intelligens aeternum, quod tamen sit aut substantia universi, aut principium universi constitutivum, aut principium quoddam *formaliter* in se continens res omnes existentes, quae proinde ab illo emanant. Distinguit deinde *pantheismum* ratione numeri *substantiarum*; eumque dicit *monopantheismum*, si una substantia, vel *polipantheismum*, si plures in ipso probentur substantiae; ratione *naturae principii existentiarum*; illumque vocat *idealisticum*,

714. *Jam vero Deus, et mundus non sunt una, eademque numero substantia.* Nam 1. Dei existentiam probavimus (§. 697. 698.) ex entibus contingentibus, et ordine, quem in ipsis suspicimus. Igitur Deus est quid aliud ab ipsis rebus. 2. Si Deus et mundus forent una substantia, Deus constaret ex iis, quae se mutuo destruunt; esset enim ens ex se existens, necessarium, infinitum, immutabile, aeternum, uti est, neque negat Spinoza; et simul ens contingens, finitum, mutabile, creatum, uti est mundus totus (§. 617.). Deus imo in hac absurda hypothesi esset caedens et caesus, vulnerans et vulneratus, corrumpens et corruptus, omniaque in se colligeret, quae in omnibus entibus trium naturae regnorum reperiuntur; quod certe esset absurdum monstrum. Quare foret languens, dolens, tristans, aegrotans; se negaret in Atheis, se blasphemaret in incredulis, se derideret in impiis, se deturparet in idolatris; quod dicere est horrendum 2. Insuper Deus justitiam adprobaret et aversaretur, cultum religiosum praeciperet et aspernaretur, amaret et puniret caedes, adulteria, furta, calumnias, ac quaeve atrocissima, et nefandissima scelera; quod maxima et infanda contradictio est. 3. Et proinde nullum vitium esset, et nulla virtus, bonum nullum ac malum, nullum praemium et poena, nullae leges, nullae preces, nullum officium, nullum jus, quod non *ratione, sed quocumque appetitu, quo ad agendum determinatur, definiri deberet*, uti ipse docet Spinoza (*Tract. Theol. Pol. c.* 2.). 4. Nulla quoque in substantia divina esset libertas, ut alias vidimus (§. 598.), quia *omnia inevitabili necessitate ex Dei natura sequerentur* (*ep.* 23. *ad Oldenburg.*); aut saltem una remaneret libertas a coatione, quia juxta Spinozam (*def.* 7.) *ea res libera dicitur, quae ex sola suae naturae necessitate existit, et a se sola ad agendum determinatur.* 5. Eadem

si hoc principium sit spiritus, *materialisticum*, si sit materia, *dualisticum*, si duo probentur principia, spiritus et materia; ratione *productionis mundi*, et illum appellat *emanativum*, si mundus asseratur a Deo emanatus, et *modificativum*, si una probetur substantia infinitis modificationibus obnoxia. Demum *pantheismum idealisticum* dividit in *monopantheismum*, si probentur tantum spiritus humani existentes veluti modi infiniti spiritus; in *polipantheismum*, si hi spiritus humani probentur *ex se* ab aeterno existentes; et in *egoisticum*, si unum tantum *Ego* admittatur cum Fichteo; et pariter *pantheismum materialisticum* secernit in *monopantheismum*, si admittatur una substantia aeterna materialis, omniumque rerum principium, uti e. g. *aer* ex schola Jonica (§. 20), et *polipantheismum*, si duo materialia principia, unum alterum movens, statuantur, uti ignis, et materia, quorum ille istam movet ex scholae stoicae doctrina.

substantia extensione, et cogitatione ornaretur; ideoque materia cogitaret, contra ac supra (§. 530.) demonstravimus. 6. Si Deus, et mundus una forent substantia, mundus foret infinitus; sed mundus infinitus dici nequit, quia constat partibus, quae possunt augeri, et minui, neque numero infinitae esse queunt (§§. 283. 582.). 7. Si Deus esset omnia, esset ens contradictorium, ideoque non posset admitti; proindeque in scepticismum laberemur. 8. Si Deus esset omnia, omniaque Deus, non esset laborandum ad novas perfectiones, novaque bona acquirenda; ideoque nullus humanitatis relinqueretur progressui locus. 9. Si Deus esset omnia, non semper extitisset, aut paullatim extitisset, quia coepisset existere, aut saltem evolvi ratione directa evolutionis rerum. 10. Si Deus esset omnia, fuisset, esset, et futurus esset semper, actu, necessario omnia; ideoque tota rerum complexio semper Deus necessario fuisset; proindeque nihil sequi posset, aut potuisset ab isto Deo, cum Deus esset, quidquid ab ipso sequeretur. Sed in pantheistico systemate res omnes emanant a Deo. 11. Si una est substantia, habetne, quaeso, Deus suam infinitatem? Si habet; ergo mundus non existit, quia quidquid realitatis est, in Deo infinito est. Si autem non habet, Deus non existit; quia tunc Deus esset vis quaedam indeterminata, et caeca, quae diffunditur in spatium, et evolvitur in mundum; quod Dei ideam destruit. Vide Maret (*Teod. lez.* 15. *et Panteismo p.* 159. *ad* 179. *et p.* 210. *ad* 223.). 12. Idea unitatis non est eadem ac idea multiplicitatis; ergo neque idem sunt objecta istarum idearum; sed nos habemus utramque ideam; ergo et unitatis objectum est in natura distinctum ab objecto multiplicitatis, ideoque non una est substantia. 13. Quod producit ab eo, quod producitur, distinguitur; sed in rerum natura habetur; quod producit, et quod producitur; ergo non una est substantia. 14. Quisque intimo experitur sensu, se finitum esse; ideoque quisque est aliud ab infinito; ergo una tantum substantia repugnat.

715. Sed totum Spinozae systema unica substantiae definitione superstruitur. Nam ait ipse (*def.* 3.): *per substantiam intelligo id, quod in se est, et per se concipitur, hoc est, id, cujus conceptus non indiget conceptu alterius rei, a quo formari debeat.* Quare Spinoza *ab idea*, quam sibi efformavit de substantia, ad ejus *realitatem*, ac *existentiae* necessitatem transivit. Neque hoc ipse inficiatur; nam (*Ethicae par.* 2. *prop.* 7.) ait: *ordo, et connexio idearum idem est, ac connexio rerum.* Si ipse ex abrupto substantiae es-

sentiam ponit in eo, *quod in se est*, *et per se concipitur*; ponit certe ex conceptu suae mentis. Sed mentis conceptus rem ponit uti concipitur, an uti est? Nonne potius conceptus ex rebus efformatur? Numquam quod *ideale* tantum est, *reale* est extra mentem, sed est tantum quid in mente (1). Vide Cl. Salvatorem Mancino (§. 806.). Spinoza probare, non asserere debebat, *ad naturam substantiae pertinere existere*, vel ejus *naturam involvere necessario existentiam*, uti ait (prop. 7.). Demum, quid, amabo, illa substantiae definitione probare Spinoza cupiebat? Nempe Deum, et mundum esse unam substantiam. Quomodo vero hoc probat? Spinoza litem una substantiae definitione dirimit. Nam asserens, substantiam esse id, *quod in se est*; id, *quod in se concipitur*: id, *quod non indiget conceptu alterius rei*; id, *quod ab alio non formari debeat*; nonne simul asserit, solum Deum esse substantiam? Attamen hoc est disputationis caput. (2)

(1) Respse Spinoza *substantiam* dixit constitutam ex *extensione* abstracte sumpta, sicque *infinito* tributa, et *cogitatione*, etiam abstracte accepta, sicque praedicata de *infinito*. Ex hac autem duplici *abstracta idea* conversa a mente sua in *realitatem* confecit Deum pantheistarum. Vide Galluppi (*Filos. della volon. vol.* 3. §. 64.).

(2) Sed Spinozam aliis argumentis ex Spinoza desumptis confutare praestat. Siquidem 1. Ex p. 1. prop. 28. Spinozae *Ethicae* finitum ab infinito oriri non potest, quia ab infinito potest tantum infinitum produci; ergo aut finita non existunt, aut omnia sunt infinita; quorum utrumque cuicumque resistit experientiae. 2. Ex coroll. prop. 21. omnes res finitae sunt Dei modificationes; sed ex prop. 28. omnes res finitae existunt absque infinito; ergo modificationes existunt absque substantia; quod contradicit principio statuto (§. 305. not. 3). Ex prop. 16. et 18 Deus determinat, quae existunt, quaeque proinde a substantia infinita producuntur; sed ex prop. 21. et 22. quae determinantur, et producuntur a substantia infinita, sunt et ipsa infinita, ergo quaevis res existens est infinita; quod sensui interno, et communi repugnat. 4. Quae oriuntur a finitis, finita esse debent ex prop. 28; et infinita, quae oriuntur ab infinito ex prop. 21. 22.; ergo debent existere finitae, infinitaeque res; quod destruit unitatem substantiae. 5. In idea finiti non continetur *existentia*, neque in idea infiniti continetur existentia finiti; ergo finita non existunt; quod ducit ad *nihilismum* 6. Attributum est *id, quod per se concipi debet* ex prop. 10.; sed substantia est etiam *id, quod per se concipitur* ex Spinoza; ergo, si plura sunt attributa, plurae sunt substantiae. 7. Deus ex def. 6. est *substantia, quae infinita attributa in se includit, quorum unumquodque exprimit essentiam aeternam, et infinitam;* sed attributum ex pr. 10. est idem cum substantia; ergo infinitae sunt substantiae; quod jugulat Spinozam. 8. In ep. 40. *op. posthum*. asserit, ens necessarium esse aeternum, simplex, indivisibile; sed quod est simplex, et indivisibile, nequit esse extensum; ergo substantia Spinozae, quae extensa est, non est ens necessarium; quod ipse non probat. 9. Asserit quoque inter infinitas materiae partes esse *modalem* distinctionem; quia illae partes sunt *modi* substantiae infinitae; ergo substantia in-

716 Sed quid dicemus de Fichteo, Schellingio, Hegelo, aliisque sectatoribus philosophiae *absoluti*? Obiter notamus, huic recenti pantheismo occasionem dedisse Kantium, qui ab animae activitate subjectiva universi, ipsius animae, et Dei existentiam deducere credidit (§. 67.). Ex hoc facilis fuit in pantheismum descensus. Revera Fichteus reddidit *ego* subjectum creans omnem realitatem, atque pantheismum *individuale* statuit. Postea Schellingius ipsius subjecti existentiam, quam illusoriam dixit, negavit, atque ex subjecto, et objecto *existentiam absolutam*, *aeternam*, *immutabilem*, *unam*, nempe Deum, efformavit, eamque in pluralitate manifestari contendit (§.68.). Deinde Hegelus Schellingii pantheismum perficiens, *unitatem* statuit in substantia, quae manifestatur sub omnibus formis, et continet extensionem, et cogitationem (§ 69.). Ubique Pantheistae praedicant *unitatem*, quam nova semper induunt veste, substantiae *identitatem*, unam substantiam. Hanc Spinoza *infinitam* dixit, hanc Fichteus *ego absolutum* vocavit, hanc *identitatem universalem* appellavit Schellingius, hanc *ideam* aut *esse* Hegelus nuncupavit. Omnes verbis, non re differunt. Quare iisdem recens pantheismus premitur difficultatibus, quibus vetus jam refutatus. Duo demonstrare deberent pantheistae, nullam nempe dari realitatem in entibus finitis, atque unam tantum existere realitatem, nempe infinitam. Hoc vero numquam ipsos posse conficere, satis patet ex dictis (§.714.). Vide Maret (*Saggio sul Panteismo c. 4.*). Sed hic ad ea, quae diximus (§§. 494. 714. 715.), quaeque directe, vel indirecte Philosophiam *absoluti* convellunt, alia praestat adjungere, praesertim quia hac tempestate hic error omnes scientias pervadere in Germania videtur, et in Gallia. Itaque haec Philosophia statuit, *esse* exprimere *cognoscere*, atque *cognoscere res* significare *essentias rerum possidere*; *nos possidere omnium rerum essentias*, utpotequi cognoscimus nosmetipsos; *unam* proindeque esse rerum omnium *substantiam*, idest *absolutum*, quod necessario, infinitoque modo evolvitur in naturam, humanumque spiritum, in cujus intelligentia *absolutum* sui cognitionem, vitamque intelligentem, et liberam nanciscitur. Hoc *absolutum* autem est aut *ego purum* Fichtei, aut ego et

finita exsurgit ex modorum complexu; ideoque est simul rotunda, et quadrata, ignis, et aqua, pulchra, et faeda; nempe nihil. 10. Si mundus est Dei modificatio, est certe Deus, qui evolvitur a Deo, ergo est Deus causa, et Deus mundus; quod Spinoza non admittit. Vide Galluppi (*Filosof. della volon. vol. 3. c. 3.*)

mundus, seu *identitas absoluta* Schellingii, aut *idea universalis* Hegeli.

*Sed falsum esse totum hoc absoluti systema*, patet 1. ex eo, quod Deum subjiciat legi progressus, et perfectibilitatis; 2. ex eo, quod auferat a Deo personalitatem divinam, cum in hoc systemate Deus numquam sui cognitionem perfectam, suamque perfectam libertatem pertingat, uti et notat Maret (*Teod. lez.* 19.); 3. ex eo, quod nulla nitatur ratione gratuitum principium, quod nempe *cognoscere nosmetipsos* sit idem ac *omnium rerum essentias possidere*; 4. ex eo, quod *nihil* existat praeter *nihil*, si *absolutum* semper progrediatur, quin umquam perfecte existat, semperque evolvatur in naturam, et spiritum, quin umquam perveniat ad finem; 5. ex eo, quod in hoc systemate nulla remaneat libertas, nulla immortalitas, nulla lex moralis, nulla felicitas, nulla vita, imo nulla existentia. Pulchre proinde ait Maret (*Teod. lez.* 18.) in Templi Absoluti fronte esse illud Dantis scribendum:

*Lasciate ogni speranza, voi ch'entrate.*

Sed contra Fichteum sic etiam arguimus. 1. Si *ego* in *non ego* limitem habet, atque ab *objecto* coarctatur *subjectum*; quomodo *ego* erit *absolutum* omnipotens, ut ipse docet? 2. Si *non ego* ab *ego*, et *ego* ab *non ego* recipit existentiam, *non ego* erit *absolutum* aeque ac *ego*; ideoque *non ego*, et *ego*, seu mundus exterior, et intelligentia, erunt duae res reales; cum tamen uni a Fichteo tribuatur realitas. 3. Si *ego* est activitas infinita, quomodo, quaeso, constringi potest a *non ego*, veluti a vinculis? 4. Si *ego* ideo existit, quia opponitur ad *non ego*, sicque *non ego* est tantum apparentia, procul dubio ipsum *ego* erit apparentia: ideoque *nihil*. 5. Si Deus ex Fichteo est ordo quidam moralis, vel actualis affectio veri, pulchri, et boni, quam activitas nostri *ego* ad actum ducit; certe non existit Deus personalis, mundique creator.

Contra Schellingium vero haec proponimus. 1. Quotidianae experientiae adversatur, naturam esse veluti spontaneam, et absolutam activitatem: in multis enim circumstantiis passivitatem experimur. 2. Quomodo ex infinito finitum oriatur, supponit, non demonstrat Schellingius. 3. Si ante mundum nulla est intelligentia, nullum consilium, nullaque idea ad actum perducta; unde tanta partium harmonia, et ordo? 4. Quoniam vitae evolutio necessitatis legem in hoc sequitur systemate; polypus profecto habebit libertatem, uti homo. 5. Si ens unum, absolutum, universale, immutabile revelatur, aut manifestatur in particulares vitas, et substantias; ipsum

certe dividitur in plures existentias, et unitas producit pluralitatem. 6. Sed cuinam, sodes, manifestatur? quare manifestatur, et revelatur? quomodo valet se induere formis particularium existentiarum, easque simul, et apparentias producere eo momento, quo individua destruuntur?

Contra Hegelum vero sic argumentamur. 1. Unde oriatur motus logicus *Ideae*, et unde vim accipiat se evolvendi, asserit, non probat. 2. Quare, postulo, germen *Ideae* non remanet in sua inertia, et torpore? Silet. 3. Illud *Ens-nihil* est aut infinitum, aut absolute *nihil*; si primum; ergo datur causa omnium rerum, a quibus illud *Ens-nihil* distinguitur, et ruit systema; si alterum, quomodo ex nihilo absoluto aliquid oriri potest absque causa efficiente? 4. Falsum est, nos non posse infinitum concipere sine finito, quo indigeat, ut vitam suam vivat, uti asserit, non probat Hegelus. 5. Falsum quoque est suum assertum, ideam infiniti ab idea finiti, et ideam finiti ab idea infiniti, ut ipse asserit, quin demonstret, destrui; nos enim ideo concipimus possibile finitum, quia existit reale, et vivens infinitum. Omittimus, philosophos *absoluti* adhibere terminos obscurissimos, arbitrarios, durissimos, qui Ædypo interprete aliquando indigent. Vide de his Maret (*Teod. lez.* 17. *et* 18.) et Tennemann (*Manuale Filos. dell'assoluto*).

717. Audiamus tamen scrupulos Pantheistarum. Dicunt ipsi: 1. Una substantia nequit produci ab alia, quia nil commune inter se habent; igitur una debet esse substantia. 2. Omnia, quae procedunt ab ente necessario, necessaria sunt, ideoque sunt Deus. 3. Deus est infinitus; ergo omnia in se continere debet. 4. Deus et corpora, et mentes compenetrat; ergo omnia sunt unus Deus. Pape! quam bene argumentantur Pantheistae!

718. Ad 1. de qua *productione* loquitur Spinoza, cum negat, *unam substantiam ab alia posse produci*? Si de productione proprie dicta, quae praeexistentem supponit materiam, fallitur, quia artifex statuam producit; si vero de creatione, a vero quoque distat, quia creatio supponit rem producendam possibilem, et potentiam creandi in causa producente (§. 623.). Porro substantia accepta pro eo, quod non indiget alterius rei subjecto, cui inhaereat (§. 310.), per creationem potest produci, supposita causa, quae vi polleat eam e nihilo educendi, uti nos supponimus. Ast *nil commune inter se habent substantiae*, *quarum una aliam produceret*? Nescimus, quid verbo *commune* hic postulet Spinoza. An

effectus et causa eamdem numero realitatem habere debent? Fallitur; quia nulla realitas in effectu est, antequam existat, et causa ante effectum existere potest, et debet ( §. 352. n. 4.). Ad hoc, ut una substantia alterius sit causa, non aliud requiritur, nisi quaedam relatio, quae supponat in causa potentiam, in effectu possibilitatem, quaeque haud ideam substantiae destruit ( §. 301. ). Tota aequivocatio est in arbitraria substantiae definitione, quam ex suo scrinio emisit Spinoza (§. 715.) Sed presse urgemus Spinozam. Existuntne contingentia? Multa sunt, quae non repugnant non existere: neque enim non existentia Spinozae, qui non amplius existit, repugnat. Igitur et ens necessarium, quod ipsis existentiam largitus est, debet existere; ideoque una potest aliam producere substantiam. Insuper plures certe existuut substantiae (§.306 ). Ergo falsa tota Spinozae hypothesis. Ast *non possunt dari duae, aut plures substantiae ejusdem naturae, seu attributi*, inquit Spinoza. Quare ? Quia *possent distingui ex diversitate attributorum, aut ex diversitate affectionum*. Optime; sed enumeratio imperfecta est, quia possent distingui separata existentia, seu *numero*, uti diximus de *indiscernibilibus* (§. 321.). Et quomodo, amabo, distinguerentur duo illa magna attributa, extensio et cogitatio, quae in sua posuit substantia ille recutitus Judaeus (§. 713.)?

Ad 2. Omnia, quae procedunt ab ente necessario, sunt immanentia, aut transeuntia, nempe ad *intra*, aut ad *extra*, uti loquuntur scholastici. In illis producendis necessario agit, quia sunt ipse Deus; in istis producendis, quia causa est, quae a nulla alia impelli potest, libere agit. Igitur Deus esse nequeunt, quae a Deo *ad extra* libere producuntur. Verum posita etiam absurda hypothesi, quod in istis producendis necessario agat Deus; non ideo tamen haec sunt necessaria; non repugnaret enim in ipsis non existentia, uti non repugnat in lapide non casus, quamvis lapis necessario cadat.

Ad 3. Deus infinitus quidem est, ideoque infinitas continere debet perfectiones, quarum unaquaeque infinita sit. Perfectiones vero, quae in creaturis insunt, Deo quoque inhaerent, sed omnibus defaecatae imperfectionibus, ac modo eminentiori (§. 352. n. 3). Homo e. g. est sciens; quantis vero defectibus non coarctatur hominis scientia! Deus omnia scit. Nonne foret Deus imperfectus, si cum Spinoza creaturarum perfectiones innumeris permixtas imperfectionibus in Deo statueremus? Nonne imo foret monstrum, horrendum, ingens

(§§. 714. 715.)? Deestne Deo aliqua perfectio, quia quaedam istius participatio in creaturis, quibus ille eam largitus est, reperitur? Hoc modo neque Spinoza scire posset, quae ego scio, quia haec scientia, quae est in me, est mea, non ejus perfectio. Demum nonne Deus erat infinitus antequam crearet, quae creavit?

Ad 4. Deus ingreditur, pervadit, penetrat, compenetrat animas, corpora, ac omnia entia; quia ubique est, neque Deus foret, nisi ubique foret. Est autem et simplicissimus, ideoque neque tangitur, neque tangit, sed omnia servat, movet, regit, ac supremo dominio omnia gubernat. Penetrat, quin circumscribatur, quin foedetur, quin imperfectus evadat. Penetrat, et ubique Deus est. Vide del Giudice (*Theol. Nat. c.* 2.).

719. Deus itaque existit, Deus mundus non est. Atheos proinde, atque Pantheistas, qui Athei indirecti sunt, confutavimus. Verum Deus unus est, an plures? Haec quaestio in duobus resolvetur sequentibus capitibus. Sic tota de Dei existentia erit res absoluta.

## CAPUT TERTIUM

### DE UNITATE DEI

720. Fuisse et adhuc esse in orbe terrarum *polytheos*, qui nempe plures existere Deos sibi persuadent, nemo ibit inficias. Fuerunt quoque aliqui haeretici inter Christianos, *Triteitae* dicti, qui tres in Deo personas tres deos existimabant. Demum extitere *Dualistae*, qui duos probavere Deos, bonum unum, alterum malum. Generice hic loquemur de unitate Dei; nam in sequenti capite de deorum dualismo sermonem habebimus.

721. Cum quaerimus, utrum Deus unus sit, simul quaerimus, utrum sit adeo unus, ut consortium excludat cujuscumque entis, quod sit illi utcumque aequale, nempe de *unitate* quaerimus, quae sit *unicitas* (§. 293.).

722. *Deus itaque unicus est.* Et 1. Non sunt multiplicanda entia sine necessitate; nulla vero est ratio plures deos admittendi. Nonne unus Deus sufficit ad creanda, quae voluerit, et conservanda, quae creaverit, si vere Deus sit? 2. Aut plures dii sunt possibiles, aut non. Si hoc alterum, conclamata est Polytheistarum sententia. Si primum, possibiles pariter forent infiniti Dii, imo existerent, quia quisque fo-

ret perfectissimus, ac proinde etiam existentia donaretur. Quisnam vero infinitos Deos probabit? 3. Deo certe nil melius esse potest, atque summus undequaque est. Parem igitur habere nequit: non enim summus est, cui aliquis aequatur. 4. *Ipse dispositionis ordo, omniumque partium concors conspiratio, non multos, sed unum mundi deum et moderatorem Verbum esse manifeste ostendit. Nam si plures in mundo praeessent, ordo ille servari non posset, sed omnia confusione plena essent, dum unusquisque omnia ad suum arbitrium traheret, et adversus alium pugnaret*, inquit Athanasius contra gentiles. 5. Si plures dii existerent, adeo existerent, ut repugnaret eorum non existentia, quia entia necessaria forent (§. 307.). Deinde, cum ens necessarium sibi ad existendum sufficiat, atque sit independes (§ 308. n. 5. et 6.), certe non repugnat aliorum non existentia. Ergo plurium deorum pugnaret, et non puguaret existentia. Hoc absurdum est. 6. A Polytheis postulo; differuntne illi plures dii, an non? si non differant ullo modo, omnes unus deus sunt; si vero differant, in quonam differunt? Certe aut in attributo aliquo, aut in omnibus, aut saltem separata existentia. Non primum; quia quivis Deus, ut Deus sit, Dei omnia attributa habere debet, et quidem in gradu infinito. Non alterum ob eandem rationem, et majori jure. Non tertium; quia tunc nullus foret ubique, et unusquisque limitaretur ab alterius existentia, ideoque nullus Deus. 7. Demum polytheismus ad pantheismum reducitur, quia polythei Divinitatem in plura fragmenta dividentes, creaturas creatorem faciunt. Igitur *Deus, si non unus est, non est*, uti acute contra *Marcionem* (*l.* 1. *c.* 2.) ait Tertullianus.

723. Quae opponunt, haec fere sunt. 1. si plures dii possibiles sint, certe existunt; 2. plura entia infinite perfecta sunt uno meliora; ergo plures dii existunt; 3. tres in Deo sunt personae; ergo saltem tres dii existunt; 4. Oracula deos plures manifeste probant, quia illa futura praecinebant; 5. communis opinio plures deos habuit, et consensio omnium gentium lex naturae putanda est; 6. prima hominum religio fuit polytheismus; ergo ab ipsa divinitate probatus.

724. Ad 1. Si plures dii impossibiles sint, certe non existunt; atqui sunt impossibiles (§. 722.). Ergo plures dii non existunt. Quid reponent polythei? Hinc polytheismus in Deo facit, quod producit anarchia in societate, quam profecto destruit.

Ad 2. Plura entia infinite perfecta sunt impossibilia (§. 721.). Quae vero impossibilia sunt, sunt nihil (§. 278.); nihili vero nullae sunt proprietates (§. 277.). Ergo dicenda non sunt meliora plura, quae infinite perfecta sunt, quia repugnant. Unus Deus vero omnia complectitur; ideoque ipse melior est quocumque alio, quod supponi posset.

Ad 3. Malam causam malo patrocinio defendunt polythei. Tres esse in Deo personas revelatio docet, quae simul in tribus personis unam naturam ponit, unamque divinitatem. Deinde eadem revelatio clamat cum Apostolo (1. *Corinth. c.* 8. *v.* 4.): *nullus est Deus, nisi unus.*

Ad 4. Oracula, quae afferuntur ad deorum turbam probandam, fuerunt aut sacerdotum impostura, aut responsa dubia, aut a daemonibus effundebantur. Dic idem de prodigiis, quae effectus naturales esse solebant, aut ludificationes, aut praestigia daemonum, qui, *cum nocere desinunt, sanare videntur*, ut inquit Tertullianus (*V. Huetium demonstr. evang. prop.* 9. *c.* 39.).

Ad 5. Redarguit cl. Aloysius Dmowski (*Theol. nat.* §. 65. *in nota*) philosophos, qui Dei unitatem ex populorum consensu probare student, tum quia hujusmodi consensum, ut ipse putat, nullo monumento fulcire possunt; tum quia quodammodo adversantur scripturae, quae ubique gentilium falsos deos reprehendit. Ceterum, si plebeculam fortasse excipiamus, alii quique agnoscebant *patrem divumque, hominumque dominatorem rerum, et omnia nutu regentem, et praesentem, praepotentemque Deum, optimum maximum*, uti ait Tullius (*l.* 2. *de nat: deor. c.* 2. *et* 25.). Quare *populares dii multi, naturalis unus* cognoscitur ab Authistene apud Tullium (*ibid. l.* 1. *c.* 23.). Deinde forte ne duo quidem inveniuntur populi, qui eosdem deos, eumdemque deorum numerum agnoverunt. Sed quidquid sit; certum probatumque est, plures neque existere, neque posse existere Deos; neque lex naturae putandus est consensus plurium circa eumdem errorem, cui in casibus inopinatis polythei opponebantur, cum non Iovem, sed Deum simpliciter invocarent. Vide, si lubet, Del Giudice (*Teol. nat.* §. 97.), et Storchenaum (*Teol nat.* §. 30. *sch.*).

Ad 6. Mentiuntur Mirabeaus, et Humius, dum polytheismum primam hominum religionem asserere non verentur. Undenam enim ipsi hoc probant? Certe historia mosaica, quae etiam sua vetustate omnes historias praestat, monotheismum pro primaeva religione demonstrat. Primus, qui

idololatriam in mundum invexit, creditur Cham, unus ex Noe liberis; ac primus idoli auctor Belus videtur, qui *cito sibi rapti filii fecit imaginem ..., tamquam Deum colere coepit, et constituit inter servos suos sacra, et sacrificia*; si tamen de Belo haec dicantur in libro Sapientiae (c. 14. v. 16.).

## CAPUT QUARTUM

### DE DUORUM PRINCIPIORUM SYSTEMATE

725. Sententia aliquorum fuit, duos existere summos deos, summa numina, summa principia, bonum ex se unum, bonorumque causam; alterum malum, malorumque auctorem. Haec sunt illa duo numina, quae Mithra inferiora erant, Arimanius et Oromazius inter Persas a Zoroastro invecti (§. 10.); haec Osiris et Typho Oro subjecti, quos Deos colebant Aegyptii (§. 12.); haec duo principia, quae summa, suprema, increata numina, ut bonorum, malorumque originem explicaret, commentus est Manes Persa; haec sunt illa duo absurda, quae styli amoenitate in sui dictionarii variis locis propugnavit omnium fere errorum defensor Baylius. Verum.

726. *Praeter principium summe bonum, non existit principium summe malum.* Siquidem 1. pluresdii repugnant (§. 722.); ergo repugnant duo manichaeorum principia, quae forent duo dii. 2. Principium malum estne undique, an sub aliquo respectu malum? Primum dici nequit, alioquin careret existentia, vita, potentia, ac operatione, quae certe bona sunt; secundum repugnat, quia illa quaecumque *maleficientia* qua faedaretur, foret imperfectio; ideoque illud principium imperfectum esset, ac proinde non Deus. 3. In mundo in hac hypothesi, nec mala, quae impediret aut arceret bonum principium; nec bona, quae compesceret aut repelleret malum principium, forent. Quare hypothesis rem non attingit. 4. In mundo sunt bona et mala; nonne impotens foret deus malus, qui bona non prohiberet? Nonne impotens deus bonus, qui malis non obsisteret? Igitur uterque impotens foret, neuterque proinde Deus. 5. Mala aut sunt nihil, aut aliquid; si *nihil* ab illis neque bonum, neque malum principium inferre licet; si *aliquid*, nonne impotens foret Deus bonus, qui ea efficere nequiret? Foedusne amicum inierunt illa summa numina? Hoc asseruit Baylius; sed natura boni, et mali principii hoc ferre non potuisset; neque bonum potuisset

mala, nec malum bona permittere. 6. Malum est privatio boni, boni majoris privatio est majus malum; igitur summum malum est privatio omnis boni, ideoque omnis realitatis, ac proinde principium summe malum est nihil. 7. Viribusne aequalibus, an inaequalibus donantur illa summa numina? Si aequalibus, bona a malo, mala a bono destruuntur; ideoque nec bona, nec mala forent, quod experientiae repugnat. Si inaequalibus; unum alteri praevalet, ideoque aut solum bonum, aut solum malum foret, quod denuo experientiae contradicit. 8. A quonam principio creata sunt planetae, mineralia, vegetabilia, animalia? Non a malo principio, quia multa bona ex illis quotidie capimus; non a bono, quia et sol urit, et planetae saepe tristitiam nobis pariunt, et multa noxia inter mineralia, vegetabilia, animalia reperimus. 9. Datis imo hisce duobus principiis, neque Deus, neque mundus existeret, ait Maret (*Teod. lez.* 15.). Non Deus, quia nullus ex illis diis esset infinitus; cum uni deesset, quidquid realitatis esset in altero; non mundus, quia causae relativae sive entia finita, et imperfecta nequeunt intelligi sine causa absoluta infinita, perfectissima. Igitur concludendum est, omnia a Deo bono derivari, quin aliquid detrimenti ejus natura patiatur.

727. Ex data demonstratione perspicuissime eruitur, Deum unum esse, eumque bonum, licet mala innumera in mundo videantur. Neque ignorantia rationis, cur haec Deus permittat, ad statuendum principium summe malum, cujus existentia omnimode repugnat, sufficit; sed tantum nostrae mentis imbecillitatem demonstrat. Hoc certe sufficeret contra Baylium, qui docet, Manichaeorum hypothesim *a priori* demonstrari non posse, sed *a posteriori*, malis nempe, quae in mundo existunt, vehementer fulciri. Interea tamen audienda sunt, quae ipse ad hanc, absurdam sententiam roborandam impudenter collegit.

Mala multa sunt, ait ipse, quae minime convenire cum Dei bonitate possunt. Quomodo enim bonus Deus permitteret dolores, aegritudines, tristitiamque? Quomodo ferre posset tot scelera, quae homines quotidie patrant? Donassetne bonus Deus hominibus libertatem, qua tanta crimina ipsi committunt? Nonne ipse praevidit, hominem libertate esse abusurum? Nonne malus est medicus, qui venenum aegroto daret; pater, qui filio ira percito gladium praeberet? mater, quae filiam a domo corruptionis non revocaret; magister, qui legendos discipulis libros pessimos tribueret? Hoc tamen Deus bo-

nus faceret, qui homini libertatem tribuit, et a peccato non revocat, neque illum invincibiliter cohibet. Igitur principium malum, ex quo haec mala proveniunt, majori jure probandum est.

728. Ut directe huic respondeamus querimoniae, triplicis generis mala distinguenda sunt, *metaphysica*, quae sunt defectus rerum hujus mundi a naturae infinitate; *physica*, quae sunt dolores et aegritiudines; *moralia*, quae sunt peccata, et errores. Haec vero triplicis generis mala cum Deo bono stare possunt, quin principium summe malnm statuere necesse sit. Et re quidem vera mala *metaphysica* Deus bonus auferre nou potest, nec debet, quin infinita redderet entia creata. Hoc vero Deus nequit efficere, tum quia infinitum est etiam immutabile, aeternum, necessarium, perfectissimum (§. 313. n. 5. et 11.), quae creaturis, quae contingentia sunt, convenire nequeunt; tum quia plura infinita forent, quod aeque repugnat (*ibid. n.* 12.); tum quia Deus suam exhauriret infinitatem, imo seipsum negare deberet, quod utrumque esse nequit. Neque ex eo, quod non omnia entia aequalibus sint praedita perfectionibus, neque ejusdem classis entia iisdem perfectionum gradibus, aliquid pro principio summe malo inferre licet. Quandoquidem neque pulchrior, neque perfectior foret mundus, si ejusdem magnitudinis et soliditatis essent corpora; neque ordinatior societas, si omnes hominum animae forent aequales, ac paribus virtutibus praeditae. Imo magna confusio ubique foret, ac nullus ordo. Quodvis ens bonum est, et perfectum in suo genere (§. 297.); et sicut gradibus perfectionum quaevis entium classis ab alia distinguitur; ita et inter se distinguuntur mineralia, vegetabilia, animalia. Ex hoc porro ordo enascitur (§. 698.). Igitur mala *metaphysica* stare possunt, quin dei mali existentia statuatur.

729. Idem dicatur de malis *physicis*, uti sunt dolores, tristitiae, morbi, aerumnae, quae sub Deo bono possunt locum habere. Nam 1. majora sunt bona physica, quam mala, cum unusquisque, licet malis afficiatur, exire e vita haud optet. 2. Haec mala partim ab libertatis abusu, partim a finitate hominis, partim ab ejus physica derivantur constitutione, quae Deus aut non debet, aut non potest auferre, statuto jam creationis fine. 3. Multa bona ex malis physicis oriuntur, humilitas, patientia, caritas, rerum creaturarum contemptus, misericordia ergo miseros, quae Deus deberet auferre illa mala auferendo. 4. Haec mala praecipue ad im-

mortalitatem concupiscendam homines impellunt, a peccatorum maculis abstergunt, a cupiditatibus cohibent, alliciunt ad accedendum ad Deum. 5. Multa ex hisce malis Deus bona trahit, justitiam, sapientiam, mansuetudinem, misericordiam suam manifestans. 6. Quid vero diceret Baylius, si haec mala noxa originali explicaremus? Certe continua homo frueretur immortalitate, ac gratia immortalis etiam foret in corpore, nisi sua fuisset libertate abusus. Sed hoc in Theologia revelata.

730. Demum neque mala *moralia* quidquam obsunt bono Deo. Certe Deus, hisce etiam positis malis, *bonus* esse potest, quia peccatis non maculatur, neque ea praecipit, imo prohibet, et odit; *justus* esse potest, quia bonos ipse fecit homines, nec eos ultra culpam plectit; *sapiens* esse potest, quia libertas, ex cujus abusu homo peccat, bona est, ac meriti causa, atque homini eam largitus est, ut meritum, ideoque aeterna consequeretur praemia; *providus* esse potest, quia hominem ad beatitatem creavit, mediaque ad hanc adipiscendam etiam largitur. Igitur mala *moralia* possunt extare, quin ad principium summe malum recurratur.

731. Neque ex permissione peccati pro sententia Manetis aliquid eruitur; nam Deus permittit peccatum, quia hominem hunc voluit; quia huic homini dedit libertatem; quia voluit honorari ab hoc homine; quia hominem destruere non tenetur; quia potest velle hominem ob aequissimam sibi notam rationem; quia bona multa cum peccato auferret; quia melius judicavit ex malis bona facere, quam nulla mala permittere. Neque plus proficit, qui diceret, Deum praevidisse hominum peccata, ideoque voluisse; nam Dei praevisio in libertatis abusum minime influit, uti alias monstravimus ( §. 522. ). Sed regeres, Deum certo scivisse, hominem ex libertatis abusu poenam fore consecuturum aeternam. Scivit equidem hoc Deus; sed sua scientia hominem non impulit; scivit, sed simul cognovit, hominem posse sua libertate non abuti; scivit, sed homini libertatem dedit, ut aeternam consequeretur beatitudinem; scivit, sed omnia adhibuit media, et in dies adhibet, ne homo periret; scivit, sed una intellexit, multos esse consecuturos felicitatem aeternam. Ast nonne malus medicus, pater, mater, magister, qui aegrotum, filios, discipulos a pernicie non revocarent, imo non cohiberent, imo non impedirent? Malus, inquam, eorum quisque; sed non malus Deus, qui homines a peccando non refraenat. Quomodo homines retineret Deus?

Certe majora dona pejoribus largiendo, nempe praemium nequioribus praebendo. Quaenam vero foret haec justitia? Deinde nullum bonum largiri tenetur Deus, tenentur illi; multa bona potest Deus ex peccatorum permissione retrahere, non possunt illi; aequissimam rationem habet Deus peccata permittendi, non habent illi; Deus creationis finem sapientissimum semper consequitur, non consequuntur illi; Deus libertatem homini auferre, hominemque proinde destruere deberet, omnia peccata impediendo, non sic illi. Igitur *murmurare de Deo, quod humanae speciei facultatem peccata patrandi non impediat, est murmurare, quod illam natura praestanti condiderit; quod ejus actionibus moralitatem, quae hominem nobilitat, affixerit, quodque illi jus ad virtutem sit largitus*, ait Rousseau (*Emile l. 4.*). Vide Genuensem (*Elem. Met. t. 5. disser. 4. de origine malorum*), qui hanc rem acute, et erudite tractat.

## SECTIO SECUNDA

### DE DEI ATTRIBUTIS

732. In Deo nil esse potest, quod non sit aliqua perfectio. Quare *attributa* Dei sunt omnes perfectiones, quae de Deo praedicantur, eique conveniunt. Sed quaenam est Dei essentia *metaphysica* (§. 284.), quam operose inquirunt Theologi? Deus ineffabilis est et facilius dicimus, quid Deus non sit, quam quid sit. Idcirco de Dei essentia quaerentes, dumtaxat de ordine inquirimus, quo mens humana Dei concipit attributa, ac de prima illa perfectione, quae ceterarum in Deo sit veluti fons et origo, ac basis et fundamentum. Hoc primum, quod in Deo concipitur, esse existentiam *a se*, quam scholastici *aseitatem* vocarunt, multi docuerunt, rati, hanc esse fontem, ex quo omnes profluunt Dei perfectiones. Quaestio etiam in scholis movetur, quaenam nempe distinctio inter Dei attributa, et essentiam, atque inter se mutuo attributa intercedat. Nos ipsam praetermittimus, tenentes pro certo, hanc distinctionem realem non esse, alias Deus multiplex daretur; neque omnino nominalem, quia aliqua certe adesse debet distinctio. Formalem scotisticam nostra defendit schola, quam alibi definivimus (§. 215.). De singulis itaque attributis circa quae magis erratum est (im-

possibile enim est infinitum Dei perfectionum pelagus scrutari), examen instituimus.

733. Attributa Dei non eodem modo dividunt philosophi. Nos ea *in negativa*, et *positiva* dispescimus. Negativa dicimus ea attributa, quae a Deo aliquam removent imperfectionem, uti *immutabilitas*; *positiva* vero, quae perfectiones exprimunt, uti *omnipotentia*. Haec divisio tamen non ex natura Dei, sed a mentis nostrae finitate eruitur; in Deo enim omnia sunt positiva et perfectionem includunt. Relinquimus alias divisiones, quae legi possunt apud Del Giudice (*Theol. Nat.* §. 142.), et Storchenaum (*Theol. Nat.* §. 21. *sch.* 2.).

734. De *negativis* Dei attributis in primis sermonem instituentes, animadvertimus, alia ex ipsis esse *negativa* vi nominis, quia vocabulis negativis exprimuntur; alia vero esse *negativa* vi significationis, quatenus ea concipimus per aliquam alicujus imperfectionis negationem. Negativa primi generis sunt *independentia*, *impassibilitas*, *infinitas*, *immutabilitas*, *immensitas*; negativa alterius generis sunt *simplicitas*, *aeternitas*, *unitas*, de qua tamen satis loquuti sumus (§§. 722. 736.) Totam proinde sectionem in tria dispescimus capita, in quorum primo de divinis attributis vi nominis *negativis*, in secundo de divinis attributis vi significationis *negativis*, in tertio de divinis attributis positivis disseremus.

## CAPUT PRIMUM

### DE DIVINIS ATTRIBUTIS NEGATIVIS VOCABULIS CONCEPTIS

735. In tres articulos haec omnia Dei attributa dividimus, ut omnis auferatur confusio. Quare sit

## ARTICULUS PRIMUS

### DE DEI INDEPENDENTIA, IMPASSIBILITATE, ET INFINITATE

736. Tria haec Dei attributa simul copulamus, quia maxima affinitate nectuntur, et unum alterum supponit. Ut recte de hujusmodi Dei attributis loquamur, praemittimus, perfectiones alias esse *simplices*, *mixtas* alias. Perfectiones

*simplices* eas dicimus, quae nullam in suo conceptu involvunt imperfectionem, et cum aequalibus possunt consistere, uti est sapientia, bonitas; *mixtas* vero eas vocamus, quae aliquam in suo conceptu important imperfectionem, seu quae sunt realitates cum aliquo defectu, uti est ratiocinatio. Porro perfectiones omnes inesse in aliquo possunt subjecto *formaliter*, aut *virtualiter*, aut *eminenter* ( §. 352. n.3.), neque alius fingi potest modus.

737. *Deus itaque est independens.* Siquidem independens dicitur aliquod ens, quod ab alio non dependet, neque ut existeret, neque ut existeret hoc vel illo modo. Sed Deus ab alio non dependet, ut existeret, tum quia est ens necessarium, et a se ( §. 697. 722. ); tum quia ipse omnibus, quae creata sunt, existentiam donavit ( §. 617 ); tum quia ante ipsum nullum aliud fingi potest. Neque ab alio dependet, ut hoc potius, quam alio modo existeret. Nam, cum Deus ex se existat, aliquo determinato modo existat necesse est, et hic determinatus existendi modus ab ipsa existentiae necessitate oritur, quia existens necessario debet necessario illo modo existere, quo necessario existit. Quomodo igitur in existendi modo ab alio penderet, si existendi modum ab ipsa existentiae necessitate habet? Deus igitur est independens.

738. *Deus est impassibilis.* Impassibile dicimus ens, quod nulla actione alterius entis affici possit, ideoque neque deterius, neque melius fieri. Sed Deus neque deterior fieri potest, neque melior, quia est independens ( §. 737. ). Igitur Deus est impassibilis. Quando itaque amore, gaudio affici dicitur Deus, de quadam externa relatione, quae nullam in ipso passionem supponit, intelligendum est; aut de actione in Deo immanente, qua e. g. amat, quidquid bonum est, et quae ab extrinseco non proficiscitur, neque passionem in ipso arguit.

739. *Deus est infinitus.* Nam 1. nisi foret infinitus, profecto a seipso, aut ab alio limitaretur. Sed ab alio nequit limitari, quia independens est, et impassibilis ( §. 737.738 ); neque a seipso, quia non est causa sui, neque poterat se limitare, antequam existeret, cum semper extiterit, et non existens agere nequivisset. 2. Ens necessarium certe nequit esse aliter ac est ( §. 307. ); sed ens, quod est finitum, aliter esse potest ac est ( §. 313. n. 1. ). Igitur ens necessarium nequit esse finitum; Deus autem est ens necessarium. Igitur est infinitus. 3. Ens necessarium aut omnes, aut nul-

lam realitatem habet; nulla enim est ratio non habendi omnes, si aliqua donetur realitate, quia omnia in Deo ex existentiae necessitate derivantur. Verum dici nequit, Deum nulla realitate potiri, quia saltem existit ex se, et quidem independens. Ergo omnes habet realitates, ideoque est infinitus.

740. Ad rectam de Dei infinitate ideam efformandam haec prae oculis habenda sunt. 1. Cave, ne credas, infinitas Dei perfectiones ex aggregato finitarum perfectionum oriri, uti pessime aestimavit auctor litterarum Persicarum, quia hujusmodi perfectiones persaepe oppositae sunt, et quia finitum finito additum finitum semper reddit. 2. Deus *formaliter* continet perfectiones simplices (§. 736.), quia nullam ipsae involvunt imperfectionem; mixtas vero perfectiones continet *eminenter*, aut saltem *virtualiter*, aut nempe ab omni imperfectione defaecatas, aut in sua omnipotentia, qua illas creaturis largitur. Quod itaque in homine ratiocinium est, in Deo est intuitus, et scientia in homine est omniscientia in Deo. 3. In Deo infinitae (1) sunt perfectiones, et quaevis ex ipsis est infinita; et quia nulla est ratio, cur una perfectio sit infinita in Deo, altera non sit; et quia nihil est, quod coarctare valeat aliquam Dei perfectionem; et quia monstrum foret Deus, si infinitis, finitisque perfectionibus gauderet; et quia Deus dependens foret ab illo, a quo in quavis sua limitaretur perfectione. 4. Deus hoc infinitatis attributo non ens universale, uti Pantheistae opinantur, non collectio rerum est; sed *hoc* praecise ens suis infinitis attributis ornatum, et *hoc* ens determinatum, ens per excellentiam, ac entis plenitudo, et totum esse. 5. Quare Deus non est infinitus ex aggregato et additione aliorum entium, quasi omnia *formaliter* in se contineat; sed infinitus juxta suae perfectissimae naturae exigentiam. 6. Quapropter infinitum hoc, quod nullam in rebus creatis similitudinem reperit, adeo Deo uni convenit, ut nullo modo entibus creatis possit convenire.

(1) Verum monet auctor *fragmentorum Cosmologiae* (c. 2. §. 6.) divina attributa, seu perfectiones non posse dici *numero* infinita, tum quia numerus infinitus absolute repugnat (§§ 283. prop. 2. 513. n. 7. 582.); tum quia quaedam attributa Dei certe concipimus, sed nescimus, utrum alia sint, et quaenam sint; tum quia quaedam attributa Deus nequit habere, uti *compositio*. Ceterum infinitatem *numeri* in Deo negamus, non infinitatem cujusque perfectionis, quae certe infinita esse debet, cum infinitum sit, quidquid in Deo est.

## ARTICULUS SECUNDUS

### DE IMMUTABILITATE DEI

741. *Deus est immutabilis.* Nam 1. Deus est ens necessarium absolutum: sed necessarium hujusmodi est immutabile ( 308. 6. ). 2. Mutatione ens aut acquirit, aut amittit, aut aliam pro alia accipit perfectionem; Deus vero nequit perfectionem acquirere, quia est perfectissimus (§.739. n. 3.); neque potest amittere perfectionem, quia est independens (§.737.), et omnia in Deo ex suae existentiae necessitate, quae immutabilis est, derivantur; neque aliam pro alia accipere potest, et quia Deus omnes habet perfectiones (§.740. n. 3.), et quia nulla foret hujus substitutionis ratio. 3. Mutatio in Deo respiceret aut existentiam, aut perfectiones, aut operationes; sed Deus in hisce omnibus est immutabilis. In existentia quidem, quia a nullo dependet, et existit a se, neque aliquid est, quod ejus valeat existentiam destruere: in perfectionibus vero; non enim in pejorem statum transire potest, quia est independens et impassibilis; non in meliorem, quia est perfectissimus; non in aequalem, quia omnes perfectiones habet: in operationibus tandem, quia illae *ad intra* sequuntur ejus naturae necessitatem; illae *ad extra* fiunt semper ex sapientissima ratione, ideoque nulla est contraria mutandi eas ratio.

742. Contra Dei immutabilitatem militant Stoici, si fides sit adhibenda Origeni ( *l.* 3. *cont. Celsum*), et Sociniani, qui tamen Deum immutabilem saltem in decretis dixere. Opponunt itaque, ajuntque Deum esse mutabilem 1. quia ex non operante factus est operans in mundi creatione; 2. quia Deus eumdem hominem modo odit iniquum, modo justum amat; 3. quia Deus liber est; liber autem non foret, si sua non valeret mutare decreta, et operationes.

743. Ad 1. quaevis operatio Dei ad *extra* potest considerari aut veluti in Deo ipso *immanens*, aut extra ipsum *transiens.* Prior illa semper in Deo fuit, est, et erit, quia Deus cuncta, quae vult, ab aeterno voluit; et *cuncta mutabilia incommutabili voluntate disponit*, uti acute monet Augustinus. Haec itaque operatio in Deo nullam arguit mutationem, uti nullam in me ponis mutationem, si hodie Neapolim petam, quam heri petiturum statui. Altera vero

dicit relationem ad res, quae creantur, et conservantur; quaeque proinde tantum mutantur, quia habent postea aliquid, quod prius non habebant. Recte proinde ait doctissimus Antonius Genuensis ( *Theol. Nat.* c. 2. *prop.* 3. *sch.* ): *Neque enim quidquam vetat eadem aeterna ratione, et voluntate, et rerum velle origines, et velle series et successiones ... Quum Deus sit in se perfectissimus .... nulla naturae necessitate externas res vult: id autem nihil vetat, quin velit immutabiliter ..... Quoniam volendi eadem aeterna ratio semper est, sicut eadem fit semper voluntas.*

Ad 2. Deo omnia nuda et aperta sunt, et Deus ab aeterno amat, quidquid bonum est, et odio habet, quod bono adversatur; amor enim unius est odium alterius, quod illi opponitur. Homo vero uno tempore objectum bonum est, altero tempore objectum est malum; ideoque modo amoris, modo odii Dei objectum. Quare mutatio est in homine, atque in extrinseca relatione actuum divinorum, non vero in ipsis actibus divinis. Sol *oculos puros, sanos, vegetos, fortes habenti tranquillus apparet; in oculos autem lippos quasi tela aspera jaculatur*, ut exemplo utar Augustini.

Ad 3. Plurimorum philosophorum, et Theologorum ingenium haec torsit objectio; atque mysterium esse, et sacrum aenigma, modum, quo Dei immutabilitas cum ejus libertate connectitur, ingenue fassi sunt illi doctissimi viri. Sed veluti certam certitudine metaphysica posuerunt Dei immutabilitatem, et libertatem, quia utraque perfectio est, ac proinde neutra est neganda enti perfectissimo. Optime certe hanc quaestionem diluerunt sapientissimi illi praeceptores; non enim ignorantia modi, quo duo copulantur, ad haec, quae certa sunt, neganda recte ducit. Alia siquidem est objectio insolubilis, et alia quaestio insolubilis; illa innuit, terminos propositionis in controversiam vocatae non sibi cohaerere; haec vero oritur ex ignorantia modi, quo duae veritates copulari, simulque stare possint. Quomodo in Deo uniantur immutabilitas, et libertas? Est quaestio, quae juxta dicta posset insolubilis vocari. Ceterum evanescit objectio, si consideretur operatio Dei modo *immanens*, modo *transiens.* Deus operatione *immanente*, quae est entitas sibi intrinseca, ab aeterno voluit, quae vult; facit vero in tempore actione *transeunte*, quae voluit ab aeterno, et in tempore ponit. Libere voluit, quia voluit; voluit in tempore, quae

voluit; fecit, quae voluit. Sed poterat non velle? Certe. Ergo mutabilis? Negamus corollarium; quia in Deo nulla fuit, aut est successio, ac voluit ab aeterno, et voluit modo invariabili, atque incapaci omnis levitatis. Et undenam revera haec levitas, haecque determinationis divinae voluntatis mutatio repetenda foret? An quia ab aeterno non noverit media, non noverit finem? Deus omnia unico intuitu ab aeterno vidit, modo, quo nunc videt, praeterita, praesentia, et futura, uti postea docebimus. *Libertas in Deo est potentia ex sua ratione, et voluntate, non invite, quodcumque libuerit, agendi: quum autem perfectissima in eo sit ratio; perfectissima quoque erit voluntas: adeoque, ut eodem modo semper intelligit, ita eodem modo semper volet, ac propterea erit immutabilis, et liber*, ut recte ait cl. Genuensis (ibid.c.3.). An quia nova Deus urgetur necessitate? Deus sufficientissimus, ac beatissimus est, nullaque re indiget, quia omnibus gaudet perfectionibus (§. 740. n. 2. 3.5.). Nonne et homo, licet liber sit, eo immutabilior evadit in suis consiliis, quo perspicacius videt finem, videt media ad hunc finem aptiora? Deus itaque libere, et immutabiliter mutabilia vult, atque eadem semper est in ipso ratio volendi, quae voluit. *Hujusmodi igitur argumenta*, uti proinde cl. Genuensis ait (ibid. §. 743. resp. 1.), *inde nobis informantur, quod, quum nequeamus tantae rei plenam animo imaginem concipere, ad res nostras labimur, atque hinc Deum aestimare nitimur; quum ille sit res supra omnis humanae mentis captum.*

## ARTICULUS TERTIUS

### DE DEI IMMENSITATE

744. De Dei *immensitate* modo disserendum est. Immensitas est attributum absolutum, Deoque necessarium, cujus virtute Dei substantia apta est pervadere, penetrare, implere omnia, quae existunt, aut existere possunt, quin aliquo loco valeat contineri, et circumscribi. De ipsa disserens Augustinus (*serm*. 277. *n*. 14,) ait: *Tantum non conemur Deum perducere ad locum, non conemur Deum includere in loco, non conemur Deum per spatia locorum quasi aliqua mole diffundere, non audeamus hoc, non cogitemus. Maneat*

*substantia divina in sua, et propria dignitate.* Quare *ubiquitas* non est eadem ac *immensitas*; illa enim est actualis Dei substantiae creatis rebus praesentia; ideoque est *hypothetica*, quia est ex suppositione rerum existentium; et *libera*, quia Deus libere voluit habere hujusmodi denominationem existentis *ubique*. Plures vero sunt hujus discriminis rationes. Nam 1. omne attributum Dei debet esse infinitum; sed *ubiquitas* est finita rebus creatis; 2. *ubiquitas* aliquando fuit in *potentia*, quia ad actum per advenientem creatarum rerum existentiam redacta est; attributum vero Dei est semper in actu; 3. si foret *ubiquitas* eadem ac *immensitas*, res ipsae Deum constituerent immensum, quia in loco per locum constitueretur; 4. attributum Dei est immutabile, necessarium, absolutum, Deoque coaeternum; *ubiquitas* certe est mutabilis, contingens, relativa, Deoque in tempore adveniens. Vide Dmowski (*Theol. Nat.* §. 49.)

745. Triplici ratione sumitur Dei immensitas; nempe ratione *potentiae*, qua Deus omnia possibilia creare potest, et conservare; ratione *scientiae*, qua Deus omnia nuda et aperta ab aeterno vidit; ratione *essentiae*, qua sua substantia omnia penetrat et pervadit, ac alia et alia penetrare, et pervadere potest. Immensitatem Dei hoc posteriori sensu acceptam aggrediuntur Manichaei, qui diviserunt duorum principiorum dominia; Anthropomorphitae, qui Deum in corpore inscite coarctarunt; Sociniani, aliique haeretici non philosophi.

746. *Ast Deus est reapse immensus.* Siquidem 1. Deus est aut nullibi, aut in aliquo loco, aut nullo coarctatur loco. Primum esse nequit, alias Deus non existeret; alterum repugnat, quia Deus est perfectissimus et independens, nullaque est ratio, cur in uno, non in altero loco sit; tertium ergo. 2. Quod loco circumscribitur, profecto limitibus coarctatur, quia in loco et non extra illum locum restringitur; Deus vero est infinitus (§. 739.), ideoque limitibus non coarctatur; igitur non est in loco determinato, ideoque immensus est. 3. In Deo *operari* a suo *esse* non distinguitur, quia in Deo una est entitas infinita; sed ubique operatur et operaretur, si alia forent entia, quia ipse est creator ac conservator; igitur etiam ubique est, et aptus est ubique esse, si alia forent entia, ideoque est immensus. 4. Si Deus in aliquo foret loco, foretne libere, an necessario? Non libere, quia mutabilis foret, cum posset circumscribi a loco successive, et virtute sua no-

vam assumere internam modificationem de loco in locum transiens; non necessario, et quia nulla foret ratio cur in uno, non in altero loco esset; et quia Deus loco necessario coarctatus non esset perfectissimus; et quia ejus natura, quae necessitate sua propria ex se existit, postulat, ut, si sit in aliquo loco, in omnibus sit.

747. Divinae immensitatis hostes tamen haec opponunt: 1. Ante mundi creationem certe Deus non erat in mundo ; in locis foetidis et sordidis inveniretur; hoc autem repugnat Dei perfectioni. 3. Deus certe est simplex; sed quod simplex est, nequit esse ubique praesens.

748. Verum ad 1. Immensitas est attributum Dei proprium et quidem absolutum. Quare, licet non mundus extitisset, adhuc immensus esset, uti erat immensus, antequam mundus existeret. Porro, creato mundo, Deus in mundo est, et in aliis mundis foret, si alii mundi creareutur. Ipse ante mundum erat in se, erat, ut ita loquar , in sua immensitate , erat scilicet sibi *et mundus*, *et locus*, *et omnia* , uti inquit Tertullianus ( *cont. Prax.c.*5. ). *Sed ingenue profitebor*, *me immensitatis hujus rationem minime comprehendere*; *neque id mirum est*, *quum mens humana non solum finita sit*, *verum etiam brevissima*, dicimus cum cl. Genuensi(*Theol.Nat. c.*2.*pr*.5 *sch.*)

Ad 2. Si Deo indignum non fuerit creare, neque est indecens conservare loca foetida, et sordida; neque ejus perfectiones maculantur, in illis locis ipso existente sua substantia. Non enim Deus est corpus, quod maculas alterius corporis contrahat, sed simplicissimus est, ut mox videbimus. Exemplo sint solis radii, qui certe illa loca illuminautes haud foedantur.

Ad 3. Quod tanta confidentia asseritur, potest omnino negari; nam immensitas Dei est attributum infinitum, et infinitum nequit esse corporeum, alias daretur numerus infinitus. Igitur omnino simplex debet esse Deus, ut sit immensus, alioquin immensus non foret. Immensitas Dei non mensuratur spatii partibus, sed constituitur a substantiae divinae infinitate, licet cavendum sit, *ne quasi spatiosa magnitudine opinemur Deum per cuncta diffundi*, *sicut fumus*, *aut humor*, *aut aer*, *aut lux ista diffunditur*, uti notat Augustinus ( ep.57. ).

## CAPUT SECUNDUM

### DE DIVINIS ATTRIBUTIS VI SIGNIFICATIONIS NEGATIVIS

749. Tria hujusmodi attributa recenseri solent, *unitas*, quae excludit multitudinem; *simplicitas*, quae negat compositionem; *aeternitas*, quae rejicit tempus. Quoniam de unitate satis loquuti sumus ( 722, et seqq.); ideo de simplicitate, et aeternitate est dicendum.

750. Duplicis classis sunt, qui Dei simplicitatem inficiantur, nempe Pantheistae, qui Deum cum mundo miscent, atque ex utroque unam efformant substantiam , et quorum deliramenta refutavimus ( §. 714. ); atque Anthropomorphitae, qui Deo corpus tribuerunt, quod ad humani similitudinem proxime accedat. Tullius hujus opinamenti rationem reddit (*De nat. deor. l. 2. c. 27.*) dicens: *non deest hoc loco copia rationum, quibus docere velitis humanas esse formas Deorum: primum quod ita sit informatum, anticipatumque mentibus nostris, ut homini, cum de Deo cogitet, forma occurrat humana; deinde, ut quoniam rebus omnibus excellat natura divina, forma quoque esse pulcherrima debet; nec esse humana ullam pulchriorem. Tertiam rationem adfertis, quod nulla in alia figura domicilium mentis esse possit..... Accessit etiam ista opinio fortasse, quod homini homine nihil pulchrius videatur.* Vide-sis etiam, quae diximus de ente composito et simplici ( §. 309 310. ) , ut quid simplex, quidve compositum sit, revoces in memoriam.

751. *Deus est simplex.* Nam 1. Deus certe est ens cogitans, cum sit perfectissimus; sed ens cogitans simplex esse debet ( §. 430. ). 2. Deus est immutabilis ; sed ens compositum mutationibus subjicitur ; quia augeri, minui , excerpi, dividi potest. 3. Deus est perfectissimus ; sed ens compositum ulterius potest perfici, quin umquam infinite perfectum possit evadere ( §. 313. n. 9. ). 4. Si Deus foret compositus , constaret partibus, ideoque plures in deos discerperetur, quod repugnat. 5. Si Deus esset compositus, foret finitus, et infinitus, ideoque quid repugnans; finitus , quia constaret partibus, quae finitae in se sunt, et numero finitae; infinitus, quia Deus foret. 6. Si Deus foret compositus; aut totam complecteretur materiam, sicque foret monstrum pantheisticum, jam refutatum (§.714.); aut aliquam materiae par-

tem, sicque neque immensus, neque infinitus esset contra ac demonstravimus (§. 739. 746.). 7. Si Deus foret compositus, posset esse aliter ac est, quia non repugnaret, ut in partes dissolveretur; Deus autem est immutabilis et necessarius. 8. Nemo dat, quod non habet. Quomodo simplices fecisset animas ens compositum? 9. Partes Dei compositi suntne perfectissimae? Si sunt, ergo multi dii; si non sunt, Deus non est perfectissimus. 10. Si Deus esset compositus, constaret partibus, quarum una non foret altera, atque ab altera distingueretur; sed illa, quorum unum non est aliud, atque ab altero distinguitur, vicissim limitantur; ergo limitibus coarctaretur Deus, si foret compositus. Haec et alia hujusmodi argumenta manifeste probant, Deum neque corporeum esse, neque corpus habere.

752. Neque a veritate te revocet impiissimus systematis naturae auctor (*l.* 2. *c.* 4.), qui dicit, Deum demonstrari non posse, si sensibus impervius sit. Siquidem neque vis magnetis sensibus subjicitur, et non negatur. Dei existentiam demonstravimus, ac ejus simplicitatem statuimus. Hoc sufficit, si cum materialistis spirituum etiam possibilitatem non neges. Neque ex eo, quod Deus sit infinitus, scrupulum tibi sit de simplicitate. Nam omnia complectitur Deus, sed non omnia pari modo (§. 740. n. 2.). Neque demum dubitare te sinant aliqua scripturae loca, in quibus Deo membra humana, et affectiones nostris similes tribuuntur. Nam metaphorice haec dicta sunt, et ad nostram intelligentiam sunt accommodata. Deus itaque non est corpus, et proinde neque ignis, neque citatus aer, vel energia, neque quidquid simplex non est; sed simplicissimus est, ac omnino spiritualis. Cetera apud Theologos abunde invenies.

753. Ad *aeternitatem* descendamus. Circa aeternitatem revocanda sunt, quae alibi enodavimus (§. 331.). Tria supponit aeternitas in ente, quod illa potitur; nempe carentiam principii, carentiam finis, ac successionis. Circa duo prima facile convenitur. Verum etiam successio ab aeternitate ableganda est. Nam duratio entis ab illius existentia non distinguitur, alioquin posset existere, quin duraret; aut durare, quin existeret. (§. 328. 11.). Duratio entis necessarii est proinde ipsa sui existentia perfectissime durans sine principio et sine fine. (§. 331.) Quare entis necessarii duratio infinita est, quia est existentia entis infiniti. (1). Sed

(1) Verum ex eo, quod *aeternitatem* dicamus *durationem infinitam*, non ideo sententiam Clarkii amplectimur, qui successionem numquam finien-

pugnat, infinitum ex partium aggregato coalescere, alias daretur numerus infinitus. Igitur neque duratio entis necessarii sine principio, et sine fine, seu aeternitas, partibus temporis, scilicet *instantibus*, constare potest. In *instantibus* vero sibi succedentibus *successio*, quoad rem hanc spectat., reponitur. Successio itaque non datur in aeternitate, seu in ente aeterno. Vide Galluppi (*Lez. di Log. e Met. lez.* 237.).

254. Aeternitas duplici sub respectu proinde potest considerari, ut *absoluta*, et ut *relativa*. *Absoluta* spectatur citra respectum ad tempus, et res creatas; ideoque neque praeteritum admittit, neque futurum; imo nec praesens, quatenus hoc dicit relationem ad praeteritum, vel futurum; *relativa* autem spectatur cum respectu ad tempus, ideoque aequat, et superat omnia tempora. *Absoluta* nullam partem includit, estque ipsius Dei vita unica, et in eodem statu manens; *relativa* saltem praesens tempus admittit; quia est *interminabilis vitae minime successivae et perfecta possessio*. (§. 331.1. ).

755. *Deus itaque absoluta donatur aeternitate*. Nam Deus existit suae naturae necessitate; ergo neque initium habet, neque finem. Non initium, quia ab alio non pendet, neque sibi existentiam donare poterat; non finem, quia ab alio non dependens, nequit ab alio destrui; a seipso autem nequit finem figere suae existentiae, cum nulla sit in ipso pugna, et ens quodlibet ad suam tendat conservationem, quod de Deo majori jure dici debet. Demum nulla successio inesse potest in Deo, quia est immutabilis et infinitus. Successio vero mutationem arguit, et finitatem supponit. Cum itaque tria illa ( §. 753. ) in Deo reperiantur: constat, Deum esse aeternum. Vide Storchenaum ( *Theol. Nat.* §. 29. *sch.*).

dam *in infinita duratione* ponens, Dei attributum eam reddidit. Nos successionem omnem ab *aeternitate* removimus, sicque *infinitam durationem* diximus. *Infinita igitur duratio, seu aeternitas nullam in se admittat divisionem necesse est: nullas habeat partes, nullam dimensionem, nullis denique distinguatur momentis, ac differentiis*, ait optime Moshemius ( *Syst. Intel. c.* 5. *sec.* 1. §. 24. *nota* 2.). Hoc dictum volumus, ne quis in voce *durationis* aequivocationem reperiat, eamque reprobet, uti fecit Melillo ( *Nuovo Cor. vol.* 3. *Ideol Spec. dell' univ. c.* 2. *a* 2. §. 4. et *Ideol. Spec. di Dio c.* 1. *a.* 1 §. 4. )

# CAPUT TERTIUM

## DE ATTRIBUTIS DEI POSITIVIS

756. Duplicis classis sunt Dei attributa positiva, alia enim ad intellectum, et alia ad voluntatem referuntur. Ut autem aliquo ordine rem totam absolvamus, in quatuor articulos hoc caput dividimus. In primo agemus de omnibus iis, quae ad intellectum Dei spectantia lumine rationis possumus attingere; in secundo de Dei voluntate in genere; in tertio de attributis Dei ex ejus voluntate manantibus; in quarto de operationibus Dei externis, quae ex intellectu et voluntate oriuntur.

## ARTICULUS PRIMUS

### DE DEI INTELLECTU

757. De intellectu divino dicturi plura discutere deberemus, quae tamen omittimus, quia de iis divinae sapientiae revelatae magistri abunde agunt. Cetera, quae rationis lumine cognoscuntur, atque in Philosophia rationali a nostris philosophis tractantur, evolvemus. Itaque in primis Deus certe intelligendi facultate, seu cognoscendi facultate, quae *intelligentia divina* vocari solet, adornatur. Hoc enim perspicue colligitur ex Dei simplicitate (§. 751.); ex summa Dei perfectione (§§. 739. 740. ); ex cognoscendi facultate, qua animas humanas ornavit, uti vidimus in tota prima hujus Ideologiae parte; ex ordine, harmonia, pulchritudine hujus universi, quae omnia causam intelligentissimam supponunt (§. 698. ). Certum quoque est Dei intellectum esse infinitum, quia infinita est quaevis perfectio, quae in ente infinito reperitur (§. 740. 3.).

758. Quare sibi non cohaeret Robinetus, cum Dei intelligentiam inficiatur, utpote cui humana intelligentia convenire nequit, et quia nullam aliam praeter humanam cognoscimus ex experientia intelligentiam. Quandoquidem in Deo non intelligentiam humanae similem, sed infinitam admittimus; et multas veritates non solum experientia, sed ratiocinio, aliisque mediis in nostra Logica statutis cognoscimus. Robinetus autem Dei, nempe entis absoluti, existen-

tiam, quam confitetur, undenam probat, nisi ex contingentibus, et conditionalibus, quae ens necessarium, et improductum supponunt, nempe ratiocinio? Vide Cl. Galluppi (*Lez. di Log. e Met. lez.* 127.).

759. Neque recte ratiocinantur Tolandus (*Lettr.* 3. *sur. le mouvement*), et Gildonus (*Oracles de la raison*), cum dicunt, ex intelligentia animarum humanarum illam Dei non posse argui, quia Deus divisibilem et mobilem materiam producit, quin sit divisibilis et mobilis. Nam causa perfectior potest producere effectus se imperfectiores; ast causa imperfectior nequit effectum se perfectiorem gignere, quia effectus numquam est sua causa nobilior (§. 352. n. 2.). Quare nulla est repugnantia, quod Deus materiam divisibilem, mobilem, omnis intelligentiae expertem produxerit, quin tamen et ipse sit divisibilis, mobilis, atque expers intelligentiae; sed animas humanas intelligentia praeditas creare non posset, nisi et ipse foret intelligens.

760. *Intellectus divinus semper est in actu.* Nam 1. si intellectus Dei aliquando in actu non foret, certo foret in potentia, ex qua deinde in actum prorumperet. Hinc aliquo tempore Deus non cognosceret, quae postea cognosceret. Sed hoc repugnat Dei immutabilitati, infinitati, ac summae perfectioni. Recte itaque Deus dicitur, et est *actus purissimus*, atque ejus intelligentiae actio semper eadem, quia semper, uti sunt, res repraesentantur divinae intelligentiae.

761. Quare *in Deo et scientia*, nempe clara evidens rerum cognitio, *reponenda est*; alias intellectus divinus non foret perfectissimus et infinitus. Adde, quod, si neges in Deo scientiam, opus est, ut admittas, ejus omnipotentiam esse caecam, atque attributum principii caeci; ut proinde probes, Deum absoluta necessitate agere, ideoque non posse plus facere, quam quae fecit; ut demum blasphemes, nulla esse in rerum natura entia contingentia, ut notat Cl. Auctor *Disquis. Nov. de Deo* (*l.* 2. *c.* 1. *nota* 1.). Scientia Dei autem 1. est *simplex*, quia statim absque ratiocinio Deus suo intellectu purissimo omnia pervadit; 2. est *immutabilis*, quia ab aeterno complectitur, et omni modo, quo cognoscibilia sunt, cognoscit, quae possunt cognosci; 3. est *infinita*, quia est scientia entis infiniti, quae omnia possibilia, et existentia concludit.

762. Quapropter *Deus est omniscius.* Nam 1. Deus est perfectissimus; talis autem non foret nisi esset omniscius; 2. Deus est infinitus; infinitus vero haud foret, nisi foret omniscius, quia scientia finita coarctaretur; 3. Deus est immuta-

bilis; et certe mutaretur, si novam posset acquirere scientiam; 4. Deus est omnipotens, uti videbimus (§. 780.); ast Deus nequiret facere omnia, quia omnia non cognosceret.

763. Hinc sequitur, *summa ratione Deum potiri*; cum enim omniscius sit, omnia cognoscit; ideoque et nexum omnium veritatum, ipsasque veritates, in quo ratio reponenda est (§. 387.), cognoscit. *Sapientissimus* proinde est dicendus quoque Deus, quia media omnia ad varios fines consequendos cognoscit, ac ad fines media ipsa applicare non ignorat. Si hoc neges Deo; negare quoque *omniscientiam*, infinitatem, immutabilitatem, infinitam perfectionem, scientiam paulo ante descriptam, summamque rationem debebis.

764. Ex quibus infertur, in Deo non esse 1. sensationem, quia haec supponit organa sensoria, quibus Deus destituitur, cum sit simplex; et objecta externa in organa motum cientia, a quibus Deus non afficitur, cum sit impassibilis et independens; 2. neque esse in Deo attentionem, quasi uni rei Deus figatur, alia praeteriens; neque reflexionem, quasi de una in aliam ideam transferatur; 3. neque in Deo reperiri imaginationem, et memoriam, quasi aliquando alicujus rei obliviscatur, ac postea recordetur; 4. neque etiam in Deo inveniri analysim, vel synthesim, quasi Deus methodis indigeret ad acquirendas veritates; 5. neque extare in Deo abstractionem et actum *generalizandi* ideas, quasi opus ei foret aliquid *identicum* in objectis introspicere, ut illarum classes, earumque objecta cognosceret; 6. neque demum in Deo esse admittenda perceptionem, judicium, ratiocinium; quasi Deus pedetentim, et per gradus ad veritates perveniret. Ratio omnium, quae hic asseruimus, est, quia Deus purissimus actus est, omnia aperta et nuda oculis suis videt; imo omnia unico, immutabili, infinito intuitu respicit, ac pervadit, eorumque relationes quascumque attingit. Facultates et operationes recensitae ad summum in Deo admitti possunt *eminenter*, nempe sine ullo defectu, sine ullo limite, sine ullo quocumque vitio, exquisitissimae, summae, perfectissimae, infinitae. Omnes siquidem ad unum referuntur Dei attributum, nempe *omniscientiam*, qua Deus omnia omnino, eorumque omnes relationes unico intuitu, et ab aeternitate cognoscit. Vide *Disquis. nov. de Deo l. 2. c. 1.* §. 3. cum nota quarta.

765. Tria adhuc discutienda hac in re remanent; scilicet quotuplex sit Dei scientia, quaenam sint scientiae divinae objecta, in quonam medio Deus videat haec objecta. Et in primis scientia Dei est 1. *simplicis intelligentiae*, quae re-

spicit sola possibilia; et *visionis*, quae refertur ad omnia existentia praeterita, praesentia, futura; 2. *necessaria*, quae porrigitur ad possibilia independentia a quocumque Dei decreto; et *libera*, quae complectitur objecta dependentia a libero decreto divino; 3. *speculativa* ad objecta extenditur, uti dicitur, *inoperabilia*, qualis est scientia ipsius Dei et possibilium; et *practica*, quae respicit objecta *operabilia*, uti sunt creaturae. Haec scientiae ultima classis ad primam refertur. Scientiam *mediam* aliqui etiam probant, quae se porrigit ad futura libera conditionata, quae certo non fient, quia deficiet conditio, *mediamque* vocant, quia, ut ajunt ipsi, medium tenet locum inter simplicis intelligentiae, et visionis scientiam. Haec innuisse sufficiat. (1). Quod praetereundum non est, notamus, hujusmodi divinae scientiae divisiones non ipsum Deum afficere, qui unico, simplici, ac invariabili intuitu omnia cognoscit; sed respicere objecta diverso sub respectu considerata.

766. Sed quaenam sunt divinae scientiae objecta? Deus cognoscit se, suamque essentiam: omnia possibilia; omnia praeterita, et praesentia; omnia futura necessaria, et libera tum absoluta, tum conditionata; cogitationes, ac secreta cordium; bona, mala cujuscumque generis. Ratio omnium est, quia scientia Dei est infinita, ac proinde ad omnia prorsus cujuscumque generis objecta extenditur; et immutabilis, ac ideo accessionem admittere, ac veluti se amplius extendere non potest. (2)

767. *Medium*, in quo Deus haec omnia videt, est ratio, qua res ipsae cognoscuntur, aut id, quod prius cognitum in alterius cognitionem ducit. Deus videt se, praeterita, et praesentia in seipsis, futura libera in voluntate hominum, futura

(1) Vide laudatum auctorem *Disquis. l.* 2. *c.* 5., ubi has de variis Dei scientiis definitiones purgat, atque molinianum *de scientia media* systema solide, at strictim cribrat.

(2) Notat tamen Parchetti (*Disquisit. l.* 2. *c.* 5. §. 1, *et nota secunda*), Deum non posse limites serierum sive successivarum, sive permanentium tum continuarum, tum discretarum omnium possibilium *comprehendere*. Nam non repugnat possibilitas semper augendi usque ad infinitum earum serierum numerum, qui proinde in hoc casu numquam in sua possibilitate exhauritur. Iam vero si mens summa videret limites, ultra quos non possent augeri numerus, et magnitudo illarum serierum, illae series possibiles haberent limites, quibus carent ea, quae nullo continentur numero, certaque magnitudine. Hinc neque Deus limites potestatis suae intelligit, quatenus pertinet ad augendas illas magnitudines. Verum Deus perfectissime omnes veritates *comprehendit*, si hoc accipiatur, quatenus Deus certissime videt omnes veritates, quae certae, et determinatae sunt.

absoluta in suis decretis, futura conditionata, uti et possibilia, in sua omnipotentia. Haec tamen ab omnibus minime probantur, uti omnes philosophi, et theologi norunt (1). Sufficiat nobis Augustini modestia (*Enarr. in ps.* 49.): *apud quem summa potestas est, summa et secreta cognitio est. Tribuamus hoc Deo, laudantes Deum non audemus dicere: quomodo novit Deus. ... hoc solum dico, non sic cognoscit, ut homo, non sic cognoscit, ut Angelus; et quomodo cognoscit, dicere non audeo, quoniam et scire non possum.* Prae oculis hoc semper tenere debemus, Deum nempe omnia videre. *Nam, qui recolit animo, Deum inspectare omnia, etiam intimas cordis latebras, sub Deo perfectissimo, et omniscio nolit profecto esse impurus, sed omnes suas ad justum, et honestum componet actiones.. Iis gravis est sub religione vita, quos effraenis libido vexat: libera contra iis et pulcherrima, quos una virtus agit,* inquit sapienter Ant. Genuensis (*Theol. Nat. c.* 3. *n.* 10.)

## ARTICULUS SECUNDUS

### DE DEI VOLUNTATE IN GENERE

768. *Deus voluntate praeditus est.* Nam 1. perfectissimo gaudet intellectu; sed nulla est substantia intelligens, quae voluntate non potitur. 2. Deus procul dubio hunc mundum creavit, uti patet (§§. 617. 618.), quem proinde inter possibiles elegit; electio vero est unius voluntatis. 3. Deus vo-

(1) Instar omnium sit auctor *Disquisit. Novar. de Deo, qui* (*l.* 2. *c.* 1. *et* 2. *cum not.*) docet, Deum *nullo medio videre* 1. *possibilia*, quia, cum aeterna sit intrinseca rerum possibilitas, hac quidem *prior* est intelligentia Dei infinita, non quatenus possibilitas non sit aeque aeterna, sed quatenus *prioritate* demonstrationis illa ante istam ponitur; 2. *praesentia*, quae nequeunt a Deo videri nisi ab aeterno, ac proinde nequeunt a Deo concipi visa in essentia, vel attributo aliquo, vel decreto, quin contingentia in Deo ponantur; 3. *futura quaecumque*, quae certo etiam ab aeterno Deus videre debuit, ideoque non in attributo, aut decreto, aut in aliquo contingente; 4. *praeterita*, quae aliquando extiterunt, et aliquando fuerunt possibilia, quaeque proinde possibilium, et praesentium (n. 1. et 2.) naturam sequuntur. Refutat deinde opinionem illorum, 1. qui dicunt Deum haec *videre in sua essentia*, quia in essentia Dei nihil est, quod Deus non sit, et haec omnia certe non sunt Deus, 2. qui dicunt, Deum haec *videre in ipsorum praesentia reali in aeternitate*, quia haec non semper extiterunt, nec Deo coexistunt (§. 331.); 3. qui dicunt, Deum haec *videre* in suis *decretis contingentibus*, quia haec existere in Deo non possunt, uti videbimus (§. 773. *not. prop.* 2.); 4. qui dicunt, Deum haec *videre in suis ideis*, quia ab his non pendent pos-

luutate homines ornavit; in effectu autem non potest esse major perfectio quam in causa. 4. Deus, uti videbimus articulo sequenti, est justus, bonus, sanctus; haec porro attributa voluntatem supponunt. 5. Nulla perfectio est neganda Deo; voluntas procul dubio perfectio est. Deus itaque voluntate gaudet.

769. Duplex esse potest voluntatis Dei actus, *internus* scilicet, quo seipsum intelligit, et amat; *externus*, quo possibilia, quae vult, creat, conservat, iisque providet. Uterque actus unicus est in Deo, qui actus purissimus est. (§. 760.).

770. *Voluntas Dei libera est in actibus externis.* Siquidem 1. libertas certe est aliqua perfectio; sed quaevis perfectio in Deo reponenda est (§. 739.). 2. Non est effectus nobilior sua causa; sed homines, qui sunt effectus Dei voluntatis, et omnipotentiae, et intelligentiae, sunt libertate praediti, qua domini fiunt suarum actionum. 3. Sicut est perfectio amare necessario bonum infinitum, ita necessario amare bonum finitum est imperfectio, quae in Deum cadere nequit; atqui necessario Deus bonum finitum amaret, si libertate careret. 4. Finem eligere, qui cuique libet, atque media, quae aptiora ad finem praestitutum sunt, certe est libertatis argumentum; ast Deus innumera creavit entia ad speciales fines directa, omniaque simul ad ultimum finem, quae, utpote possibilia, poterat non velle, aut omnino nolle. 5. Si Deus libertate careret, ad agendum aut suae naturae necessitate, aut a rebus possibilibus, aut a rebus creatis impelleretur; sed primum esse nequit, quia aliqua destitueretur perfectione, et nulla re indiget ejus natura, quae proinde non postulat, ut Deus necessario agat; secundum repugnat, quia possibilia agere nequeunt, nihilque in se positivae habent realitatis; tertium pugnat cum immutabilitate, et independentia, et impassibilitate Dei. 6. Si Deus suae naturae necessitate ageret, res omnes, quae ab eo sunt, forent et ipsae necessariae, immutabiles, aeternae, quia semper extitissent; quod certe contin-

sibilia (§. 283. prop. 3.), et quia *duplex* in Deo cujuscumque rei *idea* admittenda foret, una, quae ait *medium* divinae cognitionis, altera, quae ait haec cognitio. Demum concludit, Deum videre *possibilia, praeterita, praesentia*, et *futura necessaria* in suis objectis; *futura libera* in facultatibus entium, quarum cognitio in mente infinita involvit cognitionem omnium, quae per illas facultates produci queunt; *impossibilia* intelligendo ens, et id, quod de ipso negatur, sed hoc alibi, et non in ente, in quo non est. Hoc sensu explicat, quod ait Paulus (Heb. 4. 13): *non est ulla creatura invisibilis in conspectu ejus: omnia autem nuda, et aperta sunt oculis ejus.*

gentium naturae repugnat. 7. Causa, quae agit suae naturae necessitate, secundum totam suam potentiam agit (§. 343. 1.); sed potentia Dei est infinita; ergo si libertate non gaudet, omnia creare debuisset possibilia. ac ideo ex una parte Deus non posset modo aliud creare, ex altera nihil creasset, quia nequit creare omnia possibilia cum omnibus modis, quorum sunt capacia (§. 282.).

771. Diximus porro, *voluntatem Dei esse liberam in actibus externis*, quia ad actus internos Deus rapitur necessario; non enim potest Deus non cognoscere seipsum, ideoque non amare, cum bonum infinitum sit. (1)

772. Sed ut recte de voluntate et libertate Dei judicetur, haec digna sunt observatu. 1. Voluntas divina numquam haeret suspensa; numquam est in potentia; numquam bonum apparens vero bono praefert; numquam ad malum deficit, aut flectitur; numquam versatilis, ac mutabilis est; numquam successionem plurium actuum involvit. Haec enim omnia sunt vitia, quae in hominibus proveniunt ex imbecillitate rationis, et ex affectibus, quibus continenter perturbantur, quae longe absunt a Dei natura perfectissima. 2. Voluntas proinde divina est indifferens ad plura objecta externa, cum hoc, illudve possibile possit velle; non vero ad plures actus volendi, nolendive, quia semper vult, quod voluit, et non vult, quod noluit. Unde nec determinatur novo actu voluntatis, sed ab aeterno voluit, quae vult in tempore, quia immutabilis, ac perfectissimus est; nullaque ratione ducitur nolendi, volendive in tempore, quae ab aeterno voluit, noluitve. 3. Quare in Deo unus est actus internus, et externus, quia est ille ipse, quo ad seipsum fertur, atque ad creaturas terminatur; sed ratione objecti, ad quod terminatur, modo necessarius, modo liber est, prout objectum est infinitum, vel finitum. 4. Quapropter Deus liber non est in actibus internis; ne-

(1) Aliqui definiunt libertatem *vim*, *qua causa intelligens potest determinare seipsam, et a determinando se abstinere.* Haec definitio est angustior re definita, quia libertas extenditur etiam in determinandis statibus aliarum rerum (§. 506. not. 1.). Verum Dei libertas in determinandis contingentibus statibus rerum extra se positarum tantum poni potest, non vero extenditur ad constituendos in Deo status absolute contingentes, in quibus nempe potuit absolute non esse. Si enim Deus interius se quoad naturam, vel attributa determinaret, evanesceret ejus simplicitas, immutabilitas, infinitas, uti patet. Quare Deus potest tantum determinare *physice* res ipsas, quin determinet se nisi *logice*, seu novas assumendo externas *denominationes* (§. 929.). (*Disquisit. Nov. c.* 1. §. 1. *et* 2. *et not.* 1.)

que liber est in actibus externis libertate contrarietatis(§. 504.); quia seipsum, suasque nequit perfectiones negare; neque demum liber est revocare, quae voluit, quia summa ratione ab aeternitate voluit. 5. Tota itaque Dei libertas consistit in volendo, aut nolendo bonum finitum; hoc, vel illud volendo, vel nolendo prae ceteris. 6. Hinc patet, Deum potuisse velle; et quidem hoc aut alio modo velle suarum perfectionum manifestationem: velle hunc, aut alium gradum perfectionum manifestare; velle hunc, aut alium perfectionum numerum creaturis communicare (1). Quae omnia ex hucusque dictis quam facile colliguntur.

773. Actus divinae voluntatis, qui ad creaturas terminatur (§. 772. n. 3.), dicitur *decretum*, quod *positivum est*, si ipso Deus aliquid, quod vult consequi, absolute intendit; et *permissivum*, quo aliquid permittit, sed non vult, imo vetat. Primum est de mundo condendo, secundum de hominum peccatis. Porro *quodvis Dei decretum* est *immutabile*, et quia, quidquid Deus vult in tempore, ab aeterno voluit: et quia nec levitas, nec ignorantia in Deum, qui immutabilis, et omniscius est, cadere queunt. Quaedam autem Dei decreta sunt *sub conditione*, qua deficiente, illa deficiunt. Ex quo patet, inutilia non esse bona opera, vota, preces, conatusque omnes, quibus salutem consequi valemus, quam omnibus sincere Deus praebere cupit, *si conditionem*, sub qua illam praebere statuit, ponamus (2).

(1) Quaecumque enim creatura non est necessaria, neque essentialis felicitati Dei, qui proinde neque necessario potest creaturam quamcumque velle; praesertim vero, quia, antequam crearetur, nihil ipsa est, uti recte notat auctor operis *Esame del Fatalismo vol. 3. l. 4 sez. 2. c. 2. a. 2.*

(2) Quoniam veritatem propius tetigisse videtur Auctor *Disquisitionum Novarum de Deo* circa ea, quae Dei decreta respiciunt; ideo operae pretium ducimus strictim aliqua ab ipso excerpere. Itaque ipse (*c. 1. n. 5.*) notat, Dei *decretum* quadruplici sensu accipi posse, quia 1. aut est contingens a Deo, tamquam a causa efficiente vel permittente, dependens praeparatio possibilium ad existentiam, et reliquas mutationes, quarum subjectum sint entia finita, non Deus; 2. aut contingens actio existens in Deo, quam ipse poterat non ponere; 3. aut actio summae voluntatis Dei, in Deoque existens necessaria, et aeterna, aliqua tamen affecta physica, et contingenti modificatione; 4. aut demum actio summae voluntatis Dei, in Deoque existens necessaria, et aeterna, nullaque modificatione affecta. Hinc addit, in duobus primis sensibus decretum supponi in Deo aeternum, et contingens; in tertio supponi decretum in Deo cum accidentibus; in quarto decretum supponi aeternum, et non liberum. Quoniam porro tertio sensu acceptum decretum in Deo esse nequit, utpote qui est immutabilis, proindeque accidentibus non subditur; ideo tota quaestio est, utrum nempe decretum Dei aeternum contingens fuerit, an necessarium. His positis statuit sequentes propositiones.

## ARTICULUS TERTIUS

### DE DEI ATTRIBUTIS EX EJUS VOLUNTATE MANANTIBUS

774. *Deus est beneficentissimus.* Nam 1. beneficus est, qui aliis beneficia conferendi voluntatem habet constantem; Deus autem summa beneficia largitus est creaturis, et

1. *Repugnat, Deum libere ab aeterno aeterna volitione mundi effectionem decrevisse.* Nam 1. in causa finita libera decretum valet tantum ad disponendam ipsam causam ad *proxime*, vel *remote* operandum, non vero ad ponendum aliquid in re facienda, nisi alia accesserit actio. Sic. e. g. decretum meum de scribendo nihil de scriptione ponit, nisi vis activa animae meae moveat manum, haecque calamum stringat. Verum *causa summa* est *essentialiter* disposita ad operandum *ad extra*; secus enim aliquid aliud illi deberet, vel posset accedere, quo disponeretur ad operandum *ad extra*; quod certe cum ejus perfectissima omnipotentia pugnat. Jam vero, si Deus *libere ab aeterno aeterna volitione mundi effectionem decrevisset*, aliquid aliud, quo disponeretur ad operandum *ad extra*, accedere Deo deberet, vel posset. 2. Si Deus *libere ab aeterno aeterna volitione mundi effectionem decrevisset*, ipsemet Deus fuisset causa efficiens hujus decreti, quod objectum fuisset suae liberae voluntatis; sed objectum causae efficientis profecto non existit, antequam fiat; ergo laudatum decretum aliquando non extitit, utpote quod non existebat, antequam factum esset; ideoque repugnat... 3. In hac hypothesi Deus decreto suo divisisset possibilia creanda a non creandis; ideoque ante decretum possibilia erant non divisa neque in se, neque in mente Dei; ac proinde decretum supponendum foret posterius statu non divisionis; ac propterea repugnat... 4. Potuit, aut non potuit Deus se abstinere ab illo decreto aeterno edendo; si non potuit, liberum non fuit illud decretum, quod est contra hypothesim; si potuit, potuit certe Deus se abstinere vel in primo statu Dei, vel ante hunc statum; sed non ante, quia hic status fingi nequit; nun in ipso primo statu Dei et quia tunc fuisset necessarium, uti ipsemet Deus, et quia quod liberum est, est contingens, ideoque non aeternum. 5. Aut potuit, aut non potuit Deus mutare illud decretum aeternum; si potuit, Deus mutabilis fuisset, et decretum, quo primum decretum mutare statuisset, contingens, ideoque non aeternum fuisset; si non potuit, Deus post illud decretum liberum, et aeternum non potuisset aliud edere decretum, in quo decrevisset novum aliquod creare; ideoque Deus non potuisset, nec posset aliud novum creare, quod Dei omnipotentiam, et libertatem destruit (§. 781.). 6. Posito in Deo decreto libero, et aeterno, in Deo compositio *physica* probaretur, quia in ipso admitteretur decretum, quod certe est quid *physicum*, et *reale*, quodque Deum in primo statu distingueret a Deo in secundo statu, seu considerato cum decreto; sed haec compositio in Deo repugnat. Ergo...

2. *Sempiterna, maximeque necessaria summae voluntatis actio excludit a Deo decreta contingentia, quorum Deus sit subjectum.* In Deo *posse*, et *velle* aeque extenduntur. Porro, quidquid potuit, vel potest Deus facere vel sinere, potuit procul dubio et potest ex ordine naturae maxime necessario, et ex vi legis aeternae, contra quem ordinem, legemque proinde nihil potest facere, vel sinere. Finge enim, Deum potuisse, vel posse ali-

largitur, uti quisque e propria docetur experientia. 2. Quare Deus non foret beneficentissimus? Certe quia ab invidia,

quid facere, vel sinere contra hunc ordinem et legem; idem profecto erit possibile, et impossibile eodem tempore; possibile, quia supponitur, Deum potuisse, vel posse oppositum facere; impossibile autem, quia repugnat, *Deum* operari contra legem aeternam, quia repugnat, ipsum negare seipsum; negaret vero seipsum, si ageret contra sapientiam aeternam, quia est suae sapientiae dictatum. Lex aeterna antem est, *totam*, et *unicam* Dei actionem in amore sui, suorumque attributorum consistere. Igitur, quidquid potuit, vel potest Deus, potuit, et potest ex vi amoris sui, suorumque attributorum. Quare non potest, neque potuit Deus non amare amore *complacentiae* essentiali, et necessario suam omnipotentiam, quae est unum ex ejus attributis. Hic vero amor haberi nequit, quin simul complectatur, quidquid ipsi amori est essentiale. Quare eodem amore essentiali, et necessario non potuit, neque potest Deus non amare, et ideo non adprobare omnia jura sua, omnesque suae omnipotentiae relationes essentiales, et necessarias; atque proinde ipsissimam omnipotentiam, quatenus referebatur, et refertur ad faciendum, vel non faciendum; ad commutandum, vel non commutandum; ad permittendum, vel ad impediendum; ad reducendum in statum purae possibilitatis entia existentia, ad disponendum, ad condendum... Sed hic amor essentialis, et necessarius, haecque adprobatio est primitivum, amplissimum, universalissimum, aeternum, necessarium, immutabile decretum Dei *adaequate* sumptum. Ergo sempiterna, maximeque necessaria...

3. *In Deo non est decretum de faciendo exclusivum decreti de non faciendo.* Deus profecto potest modo omnes possibilium status facere, vel permittere, uti potuit ab initio. Si enim hoc negabis Deo, cogeris fateri, alligatam, coercitamque fuisse Dei potentiam, Deum fataliter duci, amplius liberrimum non esse, ideoque haud esse beatissimum. Sed qui ponit in Deo *decretum de faciendo exclusivum decreti de non faciendo*, hanc potentiam faciendi vel permittendi omnes possibilium status, uti potuit ab initio, modo negat Deo. Siquidem, qui hujusmodi decretum in Deo ponit, simul ponit decretum, quod *determinavit* potentiam Dei infinitam ad unum ex possibilibus oppositis; decretum nempe, quo Dei potentia fuisset probata quoad alicujus rei effectionem, et simul improbata quoad se abstinendum ab ejusdem rei effectione. Ergo .....

4. *Voluntas Dei necessitate metaphysica optimum absolutum, et universale sequitur.* Nam optimum sic acceptum consistit in eo omni, ad quod exporrigitur Dei omnipotentia. Sed Deus (ex prop. 2.) suae voluntatis sempiterna, maximeque necessaria actione adprobavit (ac proinde universali aeterno necessario decreto adaequate sumpto sancivit) omnia omnino, ad quae extenditur, et refertur ejus omnipotentia. Ergo....

5. *Voluntas Dei libere vult bona singularia, et relativa.* Nam adprobatio bonorum singularium includitur in adprobatione optimi absoluti, et universali (prop. 4.); ideoque et in aeterno, universalique decreto adaequate sumpto (prop. 2.), quae decreta omnia particularia includit. Sed decreta particularia nequeunt, singulatim sumpta, ad aequalitatem divinae omnipotentiae respondere; neque proinde horum decretorum objecta, quae sunt bona singularia, et relativa, totam Dei voluntatem exhaurire, vel explere possunt. Ergo voluntas Dei...

6. *Nequit admitti instans rationis, in quo Deus nihil decrevit, et post quod libere decrevit.* Nam 1. hoc *instans rationis* revera numquam

aut malevolentia, aut alia caeca cupiditate duceretur; haec vero absunt a perfectissima Dei natura. 3. Homines praeter

fuit; si enim fuisset, *reale* fuisset; quod certe Dei immutabilitati repugnat, utpote cui post illud *instans reale* aliquid accessisset. Sed indignissimum est, Dei libertatem tueri per chimaericam mentis nostrae fictionem. 2. Positu hoc *rationis instanti*, asserendum esset, Deum *in instanti* fuisse, in quo non amavit, neque probavit suam omnipotentiam, istiusque omnes relationes necessarias, et essentiales, quia nondum in illo *instanti* decrevisset; hoc vero pugnat cum dictis (prop. 2.). 3. Deus, posito illo *instanti*, fuisset aliquando *nihilipotens*, quia, cum in illo *instanti* nihil decrevisset, nihil facere potuisset. Ergo nequit...

Ex quibus omnibus plura deduci possunt hic inde collecta ex eodem c. 1. et not. subjectis. Itaque 1. in Deo admittendum est decretum primitivum, necessarium, aeternum, immutabile, universalissimum, infinitum adaequate sumptum. 2. Hoc proinde decretum neque liberum est; neque contingens, neque quaedam modificatio Deo superveniens; sed actio summae voluntatis Dei, in Deoque existens, necessaria, aeterna, nullaque modificatione affecta. 3. Hoc decretum adaequate sumptum comprehendit propterea omnia particularia decreta de faciendo, vel non faciendo, de permittendo, vel impediendo, de delendo, vel reproducendo usque ad infinitum. 4. Quapropter nihil fit, vel non fit, quod non sit a Deo ab aeterno decretum. 5. Ideoque Deus non indiget novis consiliis, vel decretis, neque illud decretum aeternum mutat, cum servat, vel delet hunc mundum; cum hunc rerum ordinem continuat vel evertit per miracula; cum creat, vel non creat alios mundos; cum millies exterminat, vel reproducit, quae sibi libent. 6. Ex hoc tamen non licet inferre, *mala moralia* fuisse quoque a Deo decreta, aut cum ordine metaphysico pugnare; Deus enim horum malorum decrevit *permissionem*, quae nequit cum metaphysicis naturae legibus pugnare, cum nequeat Deus contra legem aeternam, quae est dictatum suae sapientiae voluntatem dirigentis, operari. 7. Neque inde sequitur, ut necessario eveniat, quidquid illo decreto primitivo sancitum est, quia potest Deus, si sibi lubet, complere decreta particularia de *non faciendo*, uti fecit ante creationem. 8. Ceterum Deus non potest omnia omnino decreta *de faciendo* adimplere, quia plures effectus simul pugnant, uti pugnat, ut aliquid sit simul ante, et post aliud. 9. Verum illa decreta particularia, quae in illo uno aeterno primitivo decreto continentur, non sunt neque necessaria, neque aeterna, neque immutabilia, neque infinita, neque proinde adaequantia illud primitivum; sed hoc tantum *significant*, *symbolica* propterea dicenda. 10. Igitur quicumque effectus actuales nequeunt ad aequalitatem respondere divinae omnipotentiae, divinoque primitivo decreto, cum adhuc alia, et alia remaneant possibilia entia, modi, relationes, adfectiones... 11. Quare Dei libertas se exerit in *ordinationibus*, et *dispositionibus contingentibus*, quae sunt veluti decreta particularia, atque quaedam *publicationes* decreti aeterni inadaequate sumpti externae. 12. Quapropter Deus *non mutatur*, cum aliquid novi facit, quia facit vi *aeterni decreti*, neque est *impotens*, cum aliquid non facit vi ejusdem decreti, neque in sua *restringitur* libertate, utpotequi facit ex vi illius decreti, quia omnia ex illo decreto potest, quae vult, et quia, quidquid fecit, est bonum singulare, quod ejus omnipotentiam exhaurire, ejusque voluntatem explere non valet. 13. Idcirco erravit Leibnitius, qui docuit, Deum ferri *morali necessitate*, huncque mundum optimum creasse, quasi *necessitas moralis* in Deo non foret eadem ac me-

bona accepta alia concupiscunt animo irrequieto. Si Deus beneficentia summa non donaretur, nonne desiderium hominum foret fames, quam nullo cibo explere possent? 4. Nul-

taphysica, quasi bonum singulare posset esse optimum, atque Deus contingenti decreto aeterno statuisset hunc mundum creare. 14. Ac proinde errarunt, qui docuerunt, potuisse mundum a tota aeternitate libere creari, cum libera creatio supponat anteriorem statum, in quo mundus non efficiebatur, sed poterat effici (§. 620.).

Sed ulterius progreditur laudatus auctor. Nam Thomistas cum Molinistis conciliare adlaborans, veteribus novas substituit definitiones de decreto *absoluto*, et *conditionali*. Itaque (c. 4.) decretum *absolutum* est adprobatio mutationum quarumcumque sive *mediate*, sive *immediate* futurarum per Dei potentiam; *conditionale* vero est adprobatio mutationum *mediate* futurarum per eamdem Dei potentiam. Fuit decretum *absolutum* de mundi creatione considerati in primo statu futurorum variabili; *conditionale*, si illa creatio respiciatur post alios mundos conditos (§. 327.). Quare 1. potest idem decretum esse simul absolutum et conditionale, et magis, minusve conditionale, consideratum sub diverso respectu. 2. Decretum conditionale supponit multitudinem decretorum absolutorum, quorum quodcumque supponitur a quavis mutatione antecedenti respectu sequentis. 3. Quare multa poni possunt decreta absoluta, et conditionalia in serie continua, et successiva. 4. Quapropter quodvis decretum contingens, sive *symbolicum*, potest esse absolutum, et conditionale, atque respicere etiam potest causas et necessarias, et liberas, prout hae sine futuritione, vel cum futuritione oppositi ordinatae sunt ad quamcumque actionem.

Voluntas Dei est ipsius decretum. Haec voluntas dicitur *beneplacens*, si decretum sit aeternum; *signi*, si sit contingens; *consequens*, si sit de certo objecto explicite considerato; *antecedens*, si sit de objecto implicite considerato, veluti de objecto considerato in causa. Voluntas antecedens sine consequenti, et haec sine illa stare nequit. Sed haec voluntatis distinctio videtur inutilis. Ponit deinde has propositiones.

1. *Voluntas finis in Deo non est causa voluntatis mediorum.* Nam 1. in hac hypothesi voluntas finis determinaret voluntatem mediorum; ideoque voluntas mediorum non foret aeterna; quod repugnat (prop. 2. supra). 2. Tum finis, tum media ante ipsorum existentiam sunt intrinsece possibilia; sed Deus aeterno suo decreto probavit omnia possibilia facienda, vel non facienda (prop. 3.) 3. In hac sententia *instans rationis* admittendum foret, in quo voluntas finis, non illa mediorum fuisset in Deo; quod esse nequit (prop. 6).

2. *In Deo voluntas finis non praeit voluntati mediorum.* Nam 1. in Deo ordo, quo intelligit objecta, est idem ac ordo, quo vult objecta; uterque proinde ordo est aeternus, aeternaque voluntas finis, et mediorum. 2. Quidquid potest Deus, potest ex summo ordine naturae, contra quem nil facere, vel sinere potest. Quare simul videt et adprobat hunc ordinem, in quo finem, et media continentur. Hinc sequitur, in Deo voluntatem finium naturae ordine esse posteriorem voluntate mediorum.

3. *Nulla creatura potest agere contra totam divini beneplaciti voluntatem.* Nam divinum beneplacitum complectitur decretum primitivum universalissimum; ergo, quocumque se vertat creatura, numquam potest agere contra totam illam voluntatem. Hoc in sensu ait Deus per Isaiam: *consilium meum stabit, et omnis voluntas mea fiet.*

la perfectio est Deo neganda; beneficentia est perfectio. Ergo Deo tribuenda est. Quae opponunt, alias (§. 728. ad 731.) diluimus.

775. *Deus est justissimus*. Siquidem 1. justitia definitur Dei bonitas sapienter administrata; Deus vero est bonus (§. 774.), et sapientissimus (§. 763.). 2. Ut justus quis dicatur, noscere debet aequi, bonique leges, et actiones hisce legibus conformandas, atque voluntatem recte judicandi constantem habere; sed Deus illa prima noscit, quia est omniscius; hoc tertium in ipso reperitur, quia Deus nulla re indiget, nihil timet, a nullo dependet, nihil sperat, nullo abripitur studio. 3. In Deo omnes sunt perfectiones; justitia certe est aliqua perfectio. Deus itaque justissimus est.

776. *Deus est sanctissimus*. Nam 1. ille dicitur sanctissimus, qui omnibus caret imperfectionibus; sed Deus est infinite perfectus. 2. Sanctus est, qui nullo maculatur peccato; Deus vero peccato maculari nequit; cum deberet negare seipsum, quia peccatum est rebellio in Deum.

777. *Deus est veracissimus*. Quia 1. veracitas est constans voluntas numquam falsum dicendi; sed Deus hac constanti voluntate potitur; alias non esset perfectissimus. 2. Falsum dicere est certe peccatum; peccatum in Deo esse nequit, quia sanctus est (§. 776.). 3. Falsum dicere est negare propriam sententiam; hoc vero in Deo esse nequit, quia negaret seipsum, quum esse et intelligere idem sit in Deo.

778. *Deus est fidelissimus*. Certe fidelis ille dicitur, et est, qui constanter servat promissa; sed Deus promissa omnia servat; nam, cum sit verax et omniscius, et, uti mox demonstrabimus, omnipotens, sincere promittit, promittendi rationes cognoscit, promissa potest adimplere.

779. *Deus est beatissimus*. Deus omnibus omnino perfectionibus gaudet; intellectu infinito eas cognoscit; voluntate ordinatissima valet frui. Ergo habet bonum infinitum, quo fruitur. In hoo posita est summa beatitudo. Deus igitur est beatissimus.

780. *Deus est omnipotens*. Nam 1. in Deo esse debent omnes perfectiones in gradu infinito (§. 740. n. 3.); sed potentia est perfectio; ergo ipsa in gradu infinito in Deo reponenda est, ideoque et omnipotentia; 2. in Deo inesse debet ratio eorum omnium, quae fieri possunt; alias possent fieri sine causa, in qua eorum ratio inesset; hoc vero omnipotentiam arguit; 3. omnia, quae existunt, excepto Deo, sunt entia contingentia; ergo creata sunt. Sed a quonam potuerint

creari, nisi a Deo, qui ante omnia unus existebat? Igitur Deus ornatur potentia, quae, cum sit infinita, uti quaevis perfectio Dei, omnipotentia est (1).

781. Circa Dei omnipotentiam aliqua sunt notatu digna. Et 1. Deus nequit omnia simul facere, quia (§. 282.) faceret confusum, imo contradictorium chaos, cum eadem figura esset quadrata et rotunda, idem lapis calidus et frigidus, idem paries albus et niger. 2. Deus autem potest facere plura, quam effecit, et quia non omnia possibilia fecit, et quia omnipotentia ejus non est exhausta, imo exhauriri nequit, quia est infinita. 3. Deus potest facere meliora, quam effecit, relate ad eorum *entitatem*, non vero relate ad finem, quem sibi praefixit, cuique respondent, quae effecit (§. 665.). 4. Nequit Deus mori, fallere, mentiri, quae imperfectionem arguunt; neque potest innocentem damnare, neque alia patrare, quae suae sapientiae, bonitati, sanctitati, justitiae opponuntur, quia hisce attributis nequit esse contraria Dei voluntas, et omnipotentia. Quare reprobamus divisionem potentiae Dei in *absolutam*, et *ordinatam*, sive *physicam*, et *moralem*. Siquidem 1. *moralis* dicitur illa, quae operatur ex consilio summae sapientiae; *absoluta* vero, quae extenditur ad omnia, quae non repugnant; sed summa sapientia nequit vetare, quae sub quibuscumque rationibus permitti, fierique possunt, seu non repugnant; ergo amice una cum altera conspirat potentia. 2. Quod intrinsece repugnat, Deus nullimode potest facere sua *absoluta* potentia; sed intrinsece repugnat, ut valeat agere contra consilium summae sapientiae; quia hoc defectum in Deo argueret; ergo et repugnat potentia *moralis* diversa ab *absoluta* in Deo. 3. Nisi eadem foret haec utraque potentia, aliquid posset esse possibile et impossibile; *possibile*, quia Deus posset efficere sua potentia absoluta, *impossibile*, quia non posset morali potentia. Ceterum probari haec distinctio posset, si pro *absoluta* potentia intelligatur illa, qua Deus facit, vel permittit praeter vel contra naturae ordinem; pro *morali* vero, seu *ordinata*, qua Deus facit vel permittit juxta impositum ordinem, legesque naturae physicas. Haec dicta sufficiant de divinis attributis,

(1) Neque hic est praetereundum, Dei omnipotentiam adaequate sumptam referri tum ad creanda et annihilanda, centiesque denuo creanda possibilia, et annihilanda (§. 282.), tum etiam ad abstinendum se a creando, aut a delendo, etc. Si hoc non concedas, fateare oportet, Dei omnipotentiam esse limitatam, utpote quae omnibus entium possibilibus statibus non responderet, uti notat Auctor *Disquisit.* c. 2. n. 13.

quorum aliqua recensuimus. Qui plura cupit, adeat theologos, apud quos plura inveniet, quae cum istis cohaerent, aut ista explanant.

## ARTICULUS QUARTUS

### DE OPERATIONIBUS DEI EXTERNIS

782. Omnes Dei operationes externae, quas rationis lumine noscere, et expendere possumus, sunt creatio, conservatio, concursus, providentia. De hisce proinde hoc articulo est agendum. Verum de creatione satis superque loquuti sumus in metaphysica (§.354.), in Psychologia (§.458.), in Cosmologia ( §. 617. ), et etiam in primo hujus nostrae Theologiae Naturalis capite. Definitis enim vocabulis in Metaphysica, vidimus in Psychologia, animas esse creatas; et in Cosmologia mundum universum ex nihilo etiam conditum fuisse. In Theologia autem, mundi totius creatorem esse ens necessarium, improductum, aeternum, reperivimus, nempe Deum, qui unus est, et quidem a mundo distinctus, aliisque praeditus infinitis attributis. Creatio itaque est Dei operatio, et ita Dei propria, ut nullimode creaturis creandi vis possit convenire. Ex his tamen non licet inferre, *actionem creatricem esse infinitam.* Haec enim actio si *subjective* accipiatur, quatenus nempe est *immanens*, est certe infinita, quia est Deus, sed est finita, si *terminative*, seu quatenus est *transiens*, accipiatur, tum quia finitus est ejus terminus, tum quia finita est mutatio status rei possibilis in statum existentiae ejusdem rei, quae mutatio nequit ostendi superior omnibus possibilibus mutationibus. Neque recte dicitur, *inter non esse, et esse intercedere infinitam distantiam.* Nam haec distantia nihil aliud esset, quam contradictio inter *esse* et *non esse*; sed nulla datur contradictio infinita, quia contradictioni non competit infinitudo, et quia daretur contradictio major, minorque. Non autem ex his inferas, creaturam posse creare. Siquidem 1. inter possibilia nullum est ens, in cujus natura includitur vis creandi aliud possibile ; 2. possibilitas unius entis non praecedit, nec sequitur possibilitatem alterius, unumque est ab alio independens; ideoque unum nequit aliud creare; 3. quodvis possibile non habet aliam facultatem, quam eam, quae habetur post possibilitatem; ideoque *ex se* non habet creandi potentiam. Igitur vis creatrix est naturae crea-

tae *improportionata*, *haeterogenea*, *disconveniens*; ideoque neque communicari haec potest vis creaturis (*Fragm. Cosm. Dissert*. 1. *n*. 23. *et seqq. cum not. et* §. 355. n. 11. 12.). De creatione itaque nil superest tractandum in hac philosophia rationali.

783. *Conservatio* definiri solet actio divina, qua res creatae cum omnibus suis realitatibus in recepta existentia perseverant. Sic accepta conservatio dicitur *directa*; appellatur vero *indirecta*, si actione Dei tantum obstacula, quae res creatas possint destruere, removeantur; atque *negativa*, si nullam ponat Deus actionem, qua destrui, aut annihilari possint res creatae. Omnes, qui Deum non inficiantur, facile conservationem indirectam, et negativam confitentur. De directa conservatione proinde disputatur. Deistae fere omnes eam quoque negant, rati, Deum nullam amplius curam de rebus creatis habere, quibus vis inest, cujus ope sine alia Dei positiva actione in existentia semel accepta perseverare posse arbitrantur.

784. *Verum Deus directe, et positive omnes creaturas conservat*. Et re quidem ipsa 1. res creatae existunt, quia productae sunt; et adeo existunt, ut ipsis non repugnet non existere. Haec earum natura est. Porro haec natura ipsis inest in quovis existentiae momento; aliter ex contingentibus fierent necessariae. Quare in secundo, in tertio, in sequentibus existentiae momentis possunt non existere, uti poterant non existere in primo momento, quod cum sequentibus nullam habet necessariam connexionem. Ratio itaque quaerenda est, cur in existentia perseverent. Haec ratio certe in ipsis esse nequit, et quia jus ad continuatam existentiam non habent, et quia forent causae suae existentiae in momentis, in quibus nullum jus habent ad existendum. Igitur haec ratio in Deo reponenda est, qui omnia creavit, ne progressum infinitum, qui repugnat, statuamus. Quoniam vero secundum existentiae momentum primo aequiparatur, quia est utrumque contingens; atque primum habetur actione Dei positiva, quae creatio dicitur (§. 782.); patet, et actione Dei positiva poni momenta, quae primum sectantur; ideoque Deum directe et positive res omnes conservare. 2. Deinde res creatae aut in existentia perseverant, quia Deus vult, ut existant: aut in existentia perseverant, licet Deus non velit, ut existant. Hoc certe esse nequit, alioquin aliquid existere posset contra infinitam, et omnipotentem Dei voluntatem; quod certe repugnat. Ergo in existentia perseverant, quia Deus vult, ut exi-

stant. Hoc vero est conservare directe (§. 783.). 3. Insuper finge paulisper absurdum, Deum nempe deficere, postquam res creavit. Si eas Deus non conservet, profecto ipsae in accepta existentia, atque in omnibus viribus suis perseverarent. Hoc vero repugnat, quia omne Dei dominium in res creatas, atque ipsarum a Deo quaevis dependentia auferretur, cum creaturae, Deo existente, possent existere sine Deo. 4. Deus in decreto creationis tria complecti debuit, scilicet rerum existentiam, modum existendi, durationem existentiae. Igitur si res in existentia perseverant, vi illius decreti, quod certe est actus positivus divinae voluntatis (§. 773.), perseverant in existentia. Ipsa scriptura hanc veritatem declarat, dicens ( Sap. 11. 26.): *quomodo posset aliquid permanere, nisi tu voluisses?* Permanent nempe res creatae vi actus voluntatis Dei efficacissimi.

785. Ex quibus plura eruuntur. 1. Ad *annihilationem* non requiritur nova Dei actio positiva, sed sufficit divinae actionis, qua res conservantur, cessatio, seu subtractio, quod pulchre exprimit Augustinus (*De Gen. ad litt. l. 4.*): *Creatoris potentia et omnipotentis virtus causa subsistendi est omni creaturae, quae virtus ab eis, quae creata sunt, regendis si aliquando cessaret, simul et illorum cessaret species, omnisque natura concideret.* 2. Recte dicitur conservatio *continuata creatio*, quia actione Dei positiva et creantur res et conservantur; creatione existentiam recipiunt, conservatione in existentia jam accepta perseverant. 3. Quare merito Cl. Mancino (*Elem. di Filos. Teol.* §. 795.) reprehendit Crousazium, et alios, qui negarunt, conservationem esse continuatam creationem; atque merito Dmowski (*Theol. Nat.* §. 81. ) redarguit Baylium, qui hac doctrina abutitur, quasi res creatae singulis momentis in nihilum redirent, et iterum per novam creationem ad existentiam reverterent. 4. Ex eo autem, quod Deus omnes conservet res, haud sequitur, Deum et conservare sua actione positiva creaturarum limitationes, privationes, negationes, actionesque moraliter malas; haec enim omnia realitatum negationem exprimunt, Deus vero actione sua realitatem largitur. *Quemadmodum, ut nihil habeas in marsupio, aut ut nulla accedant ad ea, quae forte habeas, non opus est tua cura, et parsimonia, sed ut aliquid in eo sit et maneat,* uti hanc rem declarat Boehmius ( *Theol. Nat. t.* 2. *c.* 1. §. 229. *nota* ).

786. Contra Dei conservationem haec militare videntur. 1. Res creatae possunt viribus suis retinere, quod acceperunt,

uti humana artefacta: alias sapientissimus Deus non fuisset. 2. Nulla res seipsam destruit, imo ad existentiam perenniter tendit; ergo ex seipsa in existentia potest perseverare. 3. Existentia, quia est quid positivum, nequit destrui, nisi positiva Dei actione; ergo a nulla actione subtrahenda res est, ideoque actione positiva non conservatur. 4. Si Deus conservaret omnes res, et etiam hominum voluntates, libertatem destrueret: ergo repudianda est directa conservatio.

787. Ad 1. Res creatae sunt contingentes in primo existentiae momento, et contingentes quoque sunt proprietates, qualitates, modificationes, quas habent. Quare ex se haud valent ad secundum transire existentiae momentum, quod cum primo nullam habet necessariam connexionem. Igitur rerum creatarum natura requirit, ut eas Deus conservet, qui proinde nequit efficere, ut ex se in existentia sine ipsius positiva actione perseverent. Non ita autem de artefactis est dicendum, quae materiam praeexistentem supponunt, circa quam homo modificationem affert, ac conficit artefacta. Dummodo artifex actione positiva non destruat superinductam modificationem, aut alia causa in ipsam non agat, illa superinducta modificatio perseverabit; et ratio est, quia et ipse Deus eam conservat, cum sine Dei actione, utpote quae est contingens, haud perseverare possit in existentia. Non artifex itaque modificationem in materia superinductam servat, sed Deus, qui et materiam quoque conservat. Quare igitur Deus non foret sapientissimus? Creatura, quaecumque sit, a Deo pendere debet in existendo, neque Deus ab hac eam valet dependentia liberare.

Ad 2. Quaevis res creata nequit seipsam destruere, quia nescit, quomodo ipsamet existat, et quia vis deficeret se destruendo, et ideo terminum destructionis nequiret pertingere. Tendit vero quaevis res perenniter ad existentiam eo in sensu, quod nequeat seipsam destruere, non vero quod propriis viribus in existentia perseveret. Hoc Dei opus est, et sine Deo agente nulla res, nulla proinde modificatio in existentia, ad quam nullum jus habet, potest manere.

Ad 3. Licet existentia sit quid positivum, non inde tamen sequitur, positivam Dei actionem requiri, ut destruatur. Certe, ut cesset sonus, sufficit ut actio, qua sonus producitur, desinat, neque alia actio positiva requiritur. Quare satis est, ut Deus cesset ab actione positiva, qua res in existentia conservatur, ut res in nihilum redigatur. Neque te moveat, quod alias diximus de anima humana (§. 528.), nem-

pe Deum non posse animam in nihilum redigere. Ibi enim de Deo, ut auctore naturae, loquuti sumus, ac suis praedito attributis; contra leges a se latas, ac contra sua attributa ageret, si animas in nihilum redigeret. Eas igitur servat positiva actione, a qua numquam cessabit.

Ad 4. Libertatem non destruit Deus hominum animas, istarumque conservans facultates; quia Deus omnia conservat nil mutans circa rerum proprietates, quas ipse donavit. Liberas animas fecit, liberas quoque conservat, uti conservat in motibus suis necessarias causas, quas necessitatis legibus subjecit (1).

788. Ad Dei *concursum* gradum facimus. *Concursus* habetur cum duae, pluresve causae unum, eumdemque effectum producunt. Relate ad Deum duplex recensetur concursus, *generalis* nempe, qui omnes omnino res respicit, et *specialis*, qui ad actiones moralis bonitatis capaces tantum refertur. *Generalis* vocatur *physicus*, quatenus complectitur actiones rerum physicas: *specialis* dicitur *moralis*, quatenus in effectum influit legum sanctione, suasione, hortatu, praecepto, praemio, ac poena. Concursus physicus est *immediatus*, si Deus sua actione immediata quidquam cum creatura efficiat; *mediatus* vero, si ope causae secundae effectum gignat. Immediatus dicitur etiam *simultaneus*, quia *simul* cum creaturis illo Deus agit. Hinc docent philosophi, Deum *immediate concurrere*, si causae existentiam largiatur, et cum ipsa concurrat ad effectus existentiam; *mediate* vero, si causae tantum existentiam, viresque agendi praebeat.

789. Omnem Dei concursum negant cum Atheis ii, qui materiam increatam commenti sunt (§. 599. 2.). Concursum *immediatum* negant Deistae, qui Deum creantem dicunt, sed nulla cura detentum erga creaturas, quas viribus suis agere sine Dei concursu dictitant. Malebranchius e regione his opponitur, cum creaturas reddat causas occasionales, Deumque praedicet omnium effectuum operatorem. Nec desunt alii, qui Dei concursum simultaueum inficiantur.

(1) Verum nulla esset in homine libertas, si conservatio esset eo in sensu *continuata creatio*, quod creaturae continuo in nihilum redigantur, et continuo creentur (§. 785. 3.); tunc enim anima esset passiva in quovis momento, uti fuit in primo creationis momento. Salva e contra remanet animae activitas, si eo in sensu conservatio dicitur continuata creatio, quod eodem actu simplicissimo, et omnipotenti Deus creet, servetque creaturas. Vide Galluppi (*Filos. della volon. vol* 2. §. 58. *ad* 41).

790. ***Jam vero Deus ad omnes creaturarum actiones immediate concurrit.*** Siquidem 1. Deus conservat res omnes (§. 784.). Conservatio vero est actio, qua res in accepta existentia perseverant (§. 783.). Ergo conservatio refertur etiam in modum existendi, quia nihil potest in existentia perseverare, nisi simul in aliquo existendi modo servetur. Quare Deus conservando facit, ut res existant, existant viribus suis, attributis, affectionibus. Igitur si res agant, ratio existentiae effectuum est etiam in Deo. Hoc vero est concurrere (§. 788.). 2. Si Deus ad creaturarum actiones omnes non concurreret, aliquid existeret, quod a Deo non penderet, quia existerent actiones creaturarum sine actione Dei. Hoc repugnat cum supremo dominio, quo Deus fruitur in omnia. 3. Si Deus non concurreret in omnes physicas, ac materiales rerum actiones, posset aliqua causa non libera effectum producere, Deo nolente, quod pugnat cum Dei omnipotentia.

791. Ex quibus haec inferimus. 1. Deus, in miraculis patrandis, suspendit actionem concursus sui in aliqua creatura, quae proinde suum effectum naturalem non gignit, licet eadem remaneat, uti in miraculis *contra naturam*; adjungit vires viribus in miraculis *praeter naturam*; sola virtute sua divina agendo in miraculis *supra naturam*. 2. Deus concurrit speciali, et morali concursu ad actiones moraliter bonas, quia eas Deus suadet et praecipit, atque alia praebet adjumenta ad eas perficiendas. 3. Quare rejicimus systema illud, in quo probatur Dei praevius, positivus, physicus, intrinsecusque influxus in animas hominum, quasi nempe Deus actualem efficacitatem inspiret, easque physice et active moveat. Vide Del Giudice (*Theol: Nat. q.* 10.). In Theologia revelata dicetur de gratiae efficacia; hic enim de actibus naturalibus loquimur (1).

(1) Non abs re putamus aliqua hic exscribere ex Auctore *Frag. Cosmol. dissertatione* de physico, et praevio influxu Dei, quem praemotionem *physicam* vocant Thomistae. Vocat iste acutissimus metaphysicus *praemotionem physicam* sempiternam Dei actionem, qua causae factae ad producendas in seipsis, vel aliis entibus aliquas mutationes *physice* praedeterminantur. Sume exemplum a corpore in motum ab alio percito. Ipse considerari potest respectu substantiarum vi praeditarum motrici, sive hujus mundi materialis, et respectu substantiarum intelligentium, et spiritualium. Hinc *praemotio* est *physica*, et *moralis*; *physica* ens praemotum ex efficientia causae liberae adducitur in statum, ex quo potest *immediate*, et *proxime* progredi ad agendum; morali ens praemotum liberum inclinatur ad liberam operationem, aut ab ea retrahitur perceptionibus, vel affectibus, quos in ipsa excitat causa libera. *Praemotio* in eo a *concursu* simultaneo (§. 788.) videtur differri, quod

792. Quae opponunt deistae ad haec reducuntur, 1. Si Deus con curreret ad omnes creaturarum actiones, foret causa peccatorum, quod pugnat cum ejus sanctitate. 2. Artifex sa-

causa *praemovens* praeparet, et praeordinet entis praemota ad aliquas mutationes; *concurrens* vero totam producat mutationem, quam tamen ipsa simul cum eodem ente producit. Pro *mutatione* intelligimus quamcumque actionem, vel passionem; et pro *determinatione* id, ex quo mutatio quaecumque sequitur. His positis, sequentes ponimus propositiones.

1. *Nulla operatio Dei ad extra praecedere potuit creationem finitarum substantiarum.* Si enim praecessisset, illius operationis Dei *ad extra* extitissent termini *extra Deum*, et quidem ante creationem finitarum substantiarum. Hoc vero repugnat. Nam hi termini fuissent aut substantiae, aut modi; sed substantiae finitae nequeunt existere ante creationem (§. 113. 4.), modi vero nequeunt existere absque substantiis Ergo...

2. *Quaecumque causae, ut ex ipsis sequantur quaevis mutationes, debent praehabere determinationes, per quas ex ipsis causis sequuntur mutationes.* Nam, ut aliqua mutatio sequatur ex quavis causa, necesse est, ut prius *proxime* sit *futura* (§. 334. ); sed esse nequit *proxime futura*, nisi causa, ex qua illa sequitur mutatio, habeat id, per quod ipsa operatur; sed hoc dicitur *determinatio*. Ergo...

3. *Solus Deus est causa efficiens determinationum, per quas ex entibus finitis sequuntur primae mutationes, ante quas in rerum universitate nullae aliae sunt ex ipsis entibus finitis secutae.* Nam primas mutationes habuerunt entia extantia finita, cum ex non extantibus facta sunt extantia. Ergo ante existentiam habere aliquam determinationem debuissent ( prop. 2. ). Sed ante existentiam nullam determinationem habere poterant tum quia nihili nulla sunt attributa, nullique modi ( §. 277. ), tum quia *determinatio* est affectio substantiae existenti superveniens ( §. 286 n. 2. ), tum quia primus status variabilis in entibus possibilibus habetur cum existentia ( §. 327. prop. 2 ). Ergo determinationes per quas primae sequuntur mutationes ex entibus finitis non sunt effectae ab ipsis causis finitis, idenque solus Deus. ( n. 3 )....

4. *Deus creavit finita extantia cum determinationibus, per quas ex ipsis secutae sunt mutationes primae omnium, quae ex ipsis sunt secutae.* Nam primae mutationes omnino ponantur oportet, ex quibus aliae sunt secutae tum quia in serie successiva debet poni status contingens absolute primus (§. 327. prop. 3. ), tum quia nulla series successiva constare potest infinito numero terminorum ( ibid. prop. 4. ). Igitur praesupponendae sunt determinationes, per quas illae primae mutationes sunt secutae (hic prop. 2.). Sed Deus est causa efficiens determinationum, per quas ex entibus finitis primae sunt secutae mutationes ( hic prop. 3. ). Ergo Deus...

5. *Determinationes, cum quibus Deus creavit finita extantia, supponunt Dei decretum, ut nempe per illas determinationes sequerentur ex entibus finitis extantibus certae mutationes.* Nam creans Deus finita extantia cum determinationibus ( prop. 4 ), certe voluit, ut ex ipsis finitis entibus per illas determinationes certae sequerentur mutationes; ideoque *decrevit*, ut reapse per illas determinationes hae sequerentur mutationes. Igitur determinationes....

6 *Deus est causa immediata omnium mutationum, quae sequuntur ex entibus mundi corporei.* Nam, si Deus *decrevit*, ut per illas determinationes, cum quibus creavit finita extantia ( prop. 4. ), sequerentur certae

piens non concurrit cum suo artefacto; Deus vero est sapientissimus. 3. Concursus simultaneus explicari nequit, praesertim autem in hypothesi, quod influeret in actiones morales, quia tunc foret omnino indifferens ad earum bonitatem, vel malitiam.

mutationes; procul dubio Deus est causa *immediata proximae futuritionis* mutationum, quae sequuntur ex entibus existentibus. Sed series successiva mutationum in entibus mundi corporei sequitur per easdem determinationes a Deo in ipsis entibus creatas, quia quaecumque series successiva est continua (§. 327. prop. 1), et quia universitas mutationum successivarum supponit statum contingentem, quem nullus alius praecessit (ibid prop. 2.). Ergo Deus est etiam *causa immediata remotae* futuritionis mutationum, quae ex entibus mundi corporei extantibus sequuntur. Quapropter Deus est causa...

7. *Deus physice praemovet entia materialia extantia.* Nam Deus est causa immediata omnium mutationum, quae ex entibus mundi corporei sequuntur (prop.6.), quaeque Dei decretum supponunt, ut sequerentur (prop 5.). Sed praemotio physica in hoc Dei decreto consistit, qua causae finitae ad producendas mutationes a Deo reapse praeordinantur Deinde entia materialia sunt inertia. Ergo ex se nequeunt agere posita in existentia. Igitur, ut agant, principio aliquo extrinseco indigent, quo a motu ad quietem, et a quiete ad motum determinentur. Porro, ne infinitum admittamus progressum, hoc principium debet esse Deus. Ergo...

8. *Actiones liberae supponunt intellectum praelucentem, et voluntatem sese determinantem.* Nam qui sine cognitione objecti, quae per intellectum praelucentem exhibetur, ageret, quid ageret, nesciret; qui vero sine vi suae voluntatis determinaretur ad aliquid, ex alia causa necessario determinaretur, ideoque non *libere* ageret Igitur ... (§§ 343. 1. 506. 5).

9. *Praemotio moralis in causis liberis dicenda est physica.* Nam causa moralis (§. 345.) facit, ut actione sua, seu sua praemotione, quae habetur consiliis, suasionibus, precibus, minis, causa libere adducatur in statum, ex quo potest proxime progredi ad ponendam actionem liberam, ad quam ponendam antea poterat tantum *remote* progredi. Sed aliquod ens dicitur *physice* praemotum, quando ex efficientia alterius causae ad hunc statum adducitur. Ergo...

10. *Causae liberae physice a Deo praemoventur ad omnes actiones libere elicitas tum in genere, tum in individuo.* Nam, ut causa libera vel necessaria ponat suas actiones, debet habere potentiam completam, et proximam eas actiones ponendi (§. 334. et hic prop. 2.). Sed haec proxima completa physica potentia ad actiones liberas ponendas *immediate*, et *physice* producitur a Deo. Nam aut a Deo, aut ab ipsis causis liberis, aut ab aliis causis necessariis externis derivanda est haec potentia ponendi actiones liberas, ante quas aliae non fuerunt. Sed Deus dumtaxat est causa immediata mutationum, quae independenter ab usu causarum liberarum in mundo contingunt (prop. 6). Ergo a Deo praemoventur *physice* causae liberae ad ponendas actiones liberas, ante quas nullae aliae fuerunt liberae actiones ab ipsis causis factae. Verum idem est dicendum de ceteris actionibus liberis secutis, vel secuturis. Nam potentia excurrendi ad alias actiones liberas post illas primas fluit vel a causis factis necessariis; vel a primis actionibus liberis; vel a causis necessariis simul, et actionibus primis liberis; vel a Deo. Sed in prima hypothesi actiones liberae a Deo *physice* praemoverentur, uti omnes causae materiales (prop.7.);

793. Ad 1. In quavis humana actione duo distinguunt morales philosophi, quod nempe in ipsa *physicum* et *materiale* peccati est, et quod est *morale*. Et recte quidem. Nam in actione e. g. furti, potest considerari *apprehensio* rei manu facta, et malitia furis, qui rem *alienam* carpit. Apprehendere rem aliquam est *physicum* actionis, *malitia* furis est morale. Si actionem primo inspiciamus sensu, bona est, quia illa actio est evolutio vis causae secundae, quae dirigi poterat ad bonum aeque ac ad malum. In sensu secundo accepta actio furis est mala, quia legi morali, quae jubet neminem esse laedendum, opponitur. Deus autem in *physico* peccati concurrit, neque potest non concurrere, si velit, ut causae secundae juxta vires sibi donatas ac ordinem praestitutum agant. In *morali* peccati neque concurrit, neque potest concurrere, quia hoc est defectus, privatio, nihil, in quod certe Deus nequit concurrere (§. 785. n. 4.). Neque dicas *moralitatem* actionis cum ejus physico connecti; ideoque Deum etiam in illa concursurum, si in isto concurreret. Nam qui usus rationis non est compos, certe nullius criminis reus censetur, quamvis turpissimam patraret actionem. Quod profecto demonstrat, malitiam actionis a materiali posse separari. Deus itaque concurrens ad omnes creaturarum actiones,

in secunda a Deo quoque praemoverentur, a quo habent causae liberae potentiam proximam ponendi primas actiones liberas; tertia ad has duas reducitur hypotheses. Ergo a Deo, idenque causae liberae...

11. *Praemotio physica, atque Dei decretum* ( prop. 5. ) *non aufert libertatem in causis liberis*. Siquidem Deus sua praemotione, suoque decreto nihil aliud facit in causis liberis, nisi quod ipsas jubeat, ut libere eligant, vel omittant eligere; atque simul libere eligentes, vel omittentes impleant decretum, quo ordinantur ad eligendum, aliudque decretum, quo ipsis permittitur non agere, aliudque decretum, quo ordinantur ad libere eligendum. Sed in hoc casu libertas illaesa remanet in causis liberis. Ergo....

Quare 1. impossibile est, ut causae secundae concurrant simul cum Deo ad aliquos producendos effectus, nisi simul ad hoc sint a Deo *physice* praemotae. 2. Entia mundi materialis sunt *instrumenta* Dei, a quo constituta sunt in statu producendi aliquos datos effectus. 3. Nos necessario affectu amoris, necessarioque aversationis affectu prosequeremur bona et mala, si clare, cumulateque ea cognosceremus; quia a cognitione, et affectu *physice* praemoveremur. 4. A Deo vero esset hic affectus, haecque cognitio, si respse vera bona prosequeremur, veraque mala aversaremur tanta vi, quanta non repugnat. 5. Sed a Deo non tamquam causa *physica*, verum tantum *permittente* derivatur, ut non perfecta sit cognitio nostra, quae ad essentiam mentis finitae non pertinet; ut minori vi in prosequendis veris bonis ducamur; ut sequamur, quae intelligimus esse mala; ut causae factae intelligentes ad malum nos pelliciant. 6. Noluit vero Deus majori, validiorique praemotione mentes humanas ad bona movere, atque a malis retrahere, ne libertatem, meritumque auferret.

minime extitit causa peccatorum (1). Non idem autem de bonis actionibus est dicendum, quia Deus in istis tum generali concursu, tum speciali (§ 788.), ideoque suasione, praecepto, hortatu, aliisque auxiliis, nec non praemii promissione et poenae minatione concurrit. Neque demum te moveat, quod peccet homo, qui in alterius influit crimen. Siquidem homo vi legis moralis tenetur praepedire peccatum alterius, si tamen possit et debeat; non item Deus tum quia nulla lege tenetur, tum quia legem sibi praestitutam everteret.

Ad 2. Neque hic valet comparatio. Insipiens foret artifex, qui machinam, quae per leges a Deo statutas circa vires causarum secundarum, et per Dei concursum capax est ad peragandos suos motus sine artificis actione, ita construeret, ut ejus indigeret continua, et immediata actione. Non ita Deus, a quo necessario debent creaturae tum in existentia, tum in viribus dependere. Imperitus foret artifex, quia machinae juxta artis precepta non adderet perfectionem, cujus illa capax est; non imperitus Deus qui nequit creaturas a suo subtrahere influxu, quin aut evertat, aut ad agendum impares reddat.

Ad 3. Licet explicatu difficilis foret Dei concursus, non ideo foret negandus, quia satis superque ipse elucescit (§. 790. ). Sed difficultas nulla est, si consideretur, Deum ita una cum creatura agere, ut actio inde sequens sit Dei, creaturaeque effectus. Neque indifferens est Dei concursus generice inspectus, quia nullae sine eo forent secundarum causarum, quae contingentes sunt, actiones. Ad actiones mora-

(1) Hanc tamen distinctionem *physici, seu materialis, et formalis*, quae, posuimus in peccato, non probat auctor *Fragmentorum Cosmol.* (*dissert.* 5. *p.* 5. *n.* 11. *et not. sexta.*). Notat enim 1. illum, qui vult *physicum* in peccato, velle et *formale*, seu malitiam, quae ab illo sejungi nequit; sic e. g. fornicarius est reus patrati criminis, quia voluit actum integrum, nempe actum physicum infectum malitia. Notat 2. illum qui legem frangit, ponere procul dubio *physicum* cum *formale*, neque voluntatem humanam efficere posse, ut mala sit lex, quae est bona. Ex quibus infert, dici non posse Deum concurrere in actiones malas quoad *physicum*, quin dicatur concurrere etiam quoad *formale*. Notat 3. Deum concursu suo facere integram actionem, quam et integram facit causa secunda, cum qua concurrit (§. 751. 788. ); ideoque si actio creaturae est mala, hanc malitiam quoque poneret Deus, si ad *physicum* peccati concurreret. Notat 4. hanc distinctionem *physici, formalisque* peccati viam latam relinquere criminibus, cum sceleratissimus quisque posset se excusare, dicendo, se physicam actionem, non autem ejus malitiam habuisse in mente, cum aliquod crimen patraverit, utut atrocissimum. Quare dicendum est, Deum *permissive* tantum concurrere in malam actionem (§. 797. not. prop. 11. cor. 5. ).

liter bonas Deus concurrit, ad malas vero nequit concurrere (§. 793. res. 1.). Itaque indifferens ad actiones morales dici nequit Dei concursus.

794. Ultimo loco de Dei providentia agendum est (§.782.). *Providentia a procul videndo* dicta, est libera omnium rerum dispositio, et gubernatio, qua res ipsae ad praestitutos fines vel necessario, si necessariae, vel libere, si liberae sunt, diriguntur. Sic definita providentia a fato quocumque (§.596.), et a casu ( §. 589. ) distinguitur, cum fatum saltem libertatem, casus saltem fines destruat. Breviter providentia ab Angelico (1. *p. q.* 22. *a.* 1) definitur, *ratio ordinis rerum in finem in Deo existens*; et a Seneca ( ep. 71. ), *aeterna ars cuncta temperantis Dei.*

795. Providentia est *generalis*, quae porrigitur aeque ad res omnes; et *specialis*, qua quibusdam rerum generibus singulari modo consulitur. Generatim sumpta providentia supponit 1. causae providentis libertatem, ipsius causae praescientiam omnium finium, et rerum virium; 2. prudentiam media ad fines apta adhibendi, et dirigendi 3. ordinem rerum; 4. gubernium, seu directionem entium ad finem communem. Porro in Deo est rerum scientia (§. 761.), et libertas (§. 770.). Estne et prudentia et gubernium? Negant Athei, negant Pantheistae, negant Fatalistae, negant Manichaei, licet et vires rebus creatis tribuant, ordinemque in ipsis confiteantur. Stoici majorum rerum curam Deo demandarunt, non vero minimarum, quasi haec esset illo indigna. Idem sentit Cudworthus, Rousseau, Bolinghbrokius, aliique. Providentiam Dei propugnarunt Synetius Episcopus Cyrenes, qui de hoc argumento duos scripsit libros, Salvianus Massiliensis Episcopus in libris octo *de vero judicio et providentia Dei*, Theodoretus in decem de *Providentia Dei* orationibus, Lessius in opusculo *de Providentia Numinis*, Le Maistre in suis *soirées de Saint-Petersbourg*, Rosmini in primo opusculorum volumine *Della Divina Providenza*, multique alii.

796. *Deus itaque omnibus omnino creatis rebus providet.* Nam 1. Deus est sapientissimus, omnipotens, omniumque rerum causa ( §§. 763. 780. 782. ). Ergo omnia scivit. et potuit ad fines a se praestitutos dirigere, imo direxit. Haec vero est providentia ( §. 795. ). 2. Deus reapse in mundi creatione sibi finem praestituit ( §. 650. ), omnia ipse conservat ( §. 783. ), imo ad omnes rerum actiones concurrit ( §. 790. ). Igitur providet. 3. Deus omnia creavit. Verum dedecet Dei

sapientiam, et bonitatem mundum deserere, caecoque casui committere. Neque enim homines opera manuum suarum negligunt, aut spernunt, aut deserunt, imo neque bruta partus suos derelinquunt. 4. Ipse ordo, dispositio, harmonia, concentus rerum hujus universi demonstrant, Deum sua providentia omnia complecti. Quis enim exercitum sine duce dirigente, navem sine nauta per maris fluctus gubernante, urbem summa fruentem pace sine capite prospiciente supponet? *Quis hunc hominem dixerit, qui cum tam certos caeli motus, tam ratos astrorum ordines, tamque omnia inter se connexa, et apta viderit, neget in his ullam inesse rationem, eaque casu fieri dicat, quae quanto consilio gerantur, nullo consilio assequi possumus?* ait Tullius (*lib.* 2. *de nat. deor. c.* 38.). 5. Omnes homines aliquam probavere religionem, et ideo templa, altaria, sacrificia, ritus, vota, preces ubique terrarum reperiuntur. Haec vero sine Dei providentia nequeunt intelligi; quia, sublata providentia, *simul et sanctitatem, et religionem tolli necesse est*, ait Tullius (*ibid. l.* 1. *c.* 2.). 6. Demum quisque seipsum scrutatus, variosque suae vitae status attente respiciens, sedatis omnino affectibus, Deum omnia providere cogitur confiteri. Hinc in aerumnis ad Deum quisque confugit, iram Dei lenire studet, Deumque propitium sibi reddere conatur.

797. Quare 1. Illi Dei providentiam negare possunt, qui directe, aut indirecte sunt Athei; 2. aliqua quidem sunt in hac rerum universitate, quae Dei providentia minime regi videntur; sed nostra ignorantia non est ratio eam, quam mirabilem in multis suspicimus, negandi; 3. in quovis Dei opere judicandu ad finem a Deo praestitutum de suarum perfectionum manifestatione respiciendum est, ut rectum formemus judicium; 4. omnia omnino, facta politica, eventus belli, foedera pacis, felicitas ac calamitas nationum, variae circumstantiae, in quibus singuli constituuntur homines, ac minima quaeque jugi providentiae divinae imperio, modo humanae libertati accommodato, subjiciuntur; 5. neque Dei providentiam fallunt, qui libertate abutuntur, quia Deus semper, et infallibiliter finem consequetur, libertate humana prorsus illaesa.

798. Multa sunt, quae opponunt providentiae divinae hostes, cujus in dies experiuntur argumenta. Aliqua alibi (§. 661. 728. 731.) praeoccupavimus. Alia haec sunt 1. Si Deus providentia sua nostra respiceret, omnes homines forent felices, aut saltem qui sunt probi, praesertim ii, qui-

bus nil luendum superest; neque homines aliqui praecellentis ingenii, alii vero hebetes existerent; experientia autem contrarium docet. 2. Si justorum infelicitas ex virtutis probatione oriretur, uti dicitur; probi semper infelices forent, felicissimi vero homines perditissimi. 3. Plura in hoc mundo sunt noxia, et inutilia, quae minime divina permitteret providentia. 4. Vilissimorum, ac minimorum cura Deum irrequietum redderet, atque summa ejus majestate foret omnino indigna.

799. Ad 1. Omnes profecto homines forent felices, si sua usi libertate in Dei legem numquam peccassent. Deus certe beneficentissimus est ( §. 774. ). neque hominem creavit, nisi rectum. Quoniam autem homo libertate abusus est, ideo in ordinem incidit a Dei justitia praestitutum. Adde, quod aliae possint esse causae, cur homines sint infelices ( §. 729. ). Insuper nemo tam bonus est, qui interdum non delinquat, nec tam malus, qui bonum aliquod non operetur. Cum vero Deus nullam bonam actionem sine remuneratione, vel malam absque punitione deserat; ideo justorum peccata hic temporali poena castigat, et bona impiorum opera temporali prosperitate remunerat; reservans in altera vita vel praemium, vel poenam eorum operibus pro meritis rependendam. Neque credimus, aliquem adeo justum esse, ut nil culpae, nihilque luendum supersit. Homines enim sumus, et humanum nihil a nobis alienum putamus. Verum quanam tandem felicitate improbi homines fruuntur? An felices tu dices, qui honoribus, divitiis, voluptatibus potiuntur? Nescisne hujusmodi homines conscientiae latratibus, supplicii timore, vitii turpitudine, ac saepe ipsa numquam explenda cupiditate torqueri? Quanam vero infelicitate premuntur probi? Licet bonis terrenis expoliati, feliciores sunt certe illis improbissimis, quos mundus colit: nam pacata conscientia Deum, proximumque diligunt, virtute delectantur, in ipsisque aerumnis maxima perfunduntur laetitia, gaudioque superabundant. Vide Boetium in *consolatione philosophiae*, et Iosephum Capocasale in dialogo italice scripto *super divina providentia.* Sunt equidem diverse distributa hominum ingenia; ast ecquis potest regulas figere divinae largitati? An conqueri possunt mineralia, quod non sint facta vegetabilibus similia? An vegetabilia cuperent esse animalia? Nonne potest Deus uni homini possibili aliquos, alios alii tribuere perfectionis gradus? In quonam Deus peccavit, si Tersites non fuerit Achilles? Si Newtonus non

fuerit homo crassae minervae? Nonne aliquam potuit Deus statuere in rebus ejusdem classis progressionem? Et nonne pulchrior societas, atque commodior fit ex diversitate ingeniorum, et inclinationum ( §. 728. )? Verum haec refutare est tempus frustra terere.

Ad 2. Plures esse possent rationes, cur non semper infelices hac in vita sint probi, felices vero scelesti. Et 1. potest fieri, ne virtus aspera nimium, atque oppressa videatur, ideoque, uti res noxia, fugiatur; impietas item ne nimium se extollat, dulcis appareat, ac homines alliciat; 2. ne temporalia haec bona cupidius appetantur, cum mali quoque possideant; et ne mala turpiter vitentur, cum plerumque iis probi afficiantur; 3. ne probis aliquando medium desit pauperes adjuvandi, utque improbis malis vexatis via offeratur redeundi ab iniquitate sua, 4. denum non semper Deus miracula patrare tenetur; cum saepe tales dentur circumstantiae, ut sine Dei miraculo a felicitate probi, ab infelicitate improbi erui nequeant. Qui vero de totali, ut ita dicamus, Dei providentia recte judicare optat, hanc cum altera vita connectat oportet, et procul dubio inveniet, Deum esse providentissimum.

Ad 3. Quaenam vero sunt illa noxia, illaque inutilia, quae buccis crepantibus contra providentiam Dei opponunt gemebundi veritatis hostes? Suntne noxia ferae voraces, venena, grandines? Suntne inutilia muscae, vermiculi, monstra, montesque praerupti? Ecquis umquam omnes mundi partes, fines omnes, ordinem, singulorumque entium concentum ad communem finem detexit? Attamen haec omnia forent cognoscenda, ut aliquid inutile aut noxium diceretur. Nonne dementem tu diceres aliquem, qui officinam ferrariam ingressus inutilia aestimaret ea instrumenta, quorum ignorat usum? Neque noxia dicenda sunt venena, ferae, grandines, si cum aliis entibus, aliisque mundi partibus, quibus connectuntur, accipiantur, uti procul dubio sunt accipienda, ut recte de ipsis judicemus. Revera olim cordis ignorabatur usus, et modo ad sanguinis circulationem necessarium est inventum; oculorum aliquarum partium finis nesciebatur, et hodie ad visionem illas inservire decretum est; multae herbae hominibus forsan noxiae, aliis sunt utiles viventibus. Quare credendum est, nil inutile, nil noxium in hoc orbe terrarum reperiri, ac tempus forsan esse futurum, in quo usus et finis omnium illorum, quae modo ignorantur, retegentur.

Ad 4. Deus non est, uti homo, qui minima curans molestis, et operosis negotiis implicatur, defatigatur, agitatur. Nam Deus est omnipotens, et omniscius, ideoque potest unico actu omnibus providere, quin longo labore ad plura dividatur. Imo hoc ipso, quod Deus omnibus prospiciat, beatus omnino est, quia suis utitur perfectionibus. Homo vero finitus est, ideoque nequit ad minima descendere, quin omittat majora. Hoc idem probat, Dei majestate indignam haud esse minimarum, et vilissimarum rerum curam. Si enim Deo non fuit indignum res minimas condidisse; eccur indignum erit easdem sua providentia moderari? Sed quae minima et vilissima videntur, talia haud sunt, quia nexu inviolabili cum ceteris rebus connectuntur, atque, uti vermiculi, ita mire sunt fabricata, ut perfectiora hominum opificia longe antecellant. Omnia itaque mundi entia Deus providet majora, et minora, et quae ab hominibus minima, aut vilissima dicuntur.

800. Ad finem tandem, Deo opitulante, perduximus, Juvenes Minoritae, tria magna illa objecta, quae in Philosophia rationali tractanda, et explicanda suscepimus (§. 359.). Expositis siquidem animae facultatibus, natura, et ortu, viribus, et nexu cum corpore, proprietatibus, vitaque perenni, primum explevimus objectum. Deinde, huc, illucque circa varias Cosmologiae veritates, refutatis Idealistis, Fatalistis, Aristotelicis, Stoicis, Democriticis, Leibnitianis, Manichaeis, aliisque errantibus philosophis, secundum objectum absolvimus. Haec duo objecta statuta, quantum institutionum elementa ferre poterant, ad summi Numinis, quod tertium objectum constituit, constabiliendam existentiam recto veluti itinere nos perduxerunt. Hinc ipsum supremum Numen, quod Deus est, contra Pantheistas a mundi rebus distinximus, ei pares rejecimus, ipsumque unicum, Manichaeismo oppugnato, defendimus. Ejus deinde infinitas perfectiones demirati, docuimus, Deum esse ex se existentem, independentem, infinitum, immutabilem, immensum, simplicem, aeternum, exsufflatis circa haec attributa divina hominum inventis. Altius praeterea veluti ascendentes, Deum ipsum omniscium praedicavimus, liberrimum, beneficentissimum, sanctissimum, veracissimum, fidelissimum, beatissimum, omnipotentem. Et hoc non fuit satis. Nam ad priora illa duo objecta nostra redeuntes cogitatione, Deum mundi totius creatorem, creata conservantem, cum creatis causis concurrentem, et creatis omnibus, speciali modo homini-

bus, maxime prospicientem, sumus contemplati. Huic itaque Numini, quod infinitis perfectionibus potitur, quodque speciali cura homines regit, ac providet, sit decus, et honor, gloria, et obsequium, et gratiarum actio in saecula saeculorum; nobis vero omnibus pax et charitas in Christo Jesu Domino nostro.

FINIS TOMI SECUNDI.



# INDEX

## PHILOSOPHIAE RATIONALIS

### PARS ALTERA



## DE IDEOLOGIA SPECULATIVA

### PARS PRIMA

SECTIO II.



CAPUT PRIMUM



CAPUT SECUNDUM



CAPUT TERTIUM



CAPUT QUARTUM



CAPUT QUINTUM



CAPUT SEXTUM



CAPUT SEPTIMUM



CAPUT OCTAVUM



APPENDIX



DE IDEOLOGIA SPECULATIVA

PARS SECUNDA

SEU

COSMOLOGIA

CAPUT PRIMUM



ARTICULUS PRIMUS



ARTICULUS SECUNDUS



ARTICULUS TERTIUS

CAPUT SECUNDUM



CAPUT TERTIUM



CAPUT QUARTUM



**SECTIO II.**



CAPUT PRIMUM



ARTICULUS PRIMUS



ARTICULUS SECUNDUS



ARTICULUS TERTIUS



CAPUT SECUNDUM



CAPUT TERTIUM



ARTICULUS PRIMUS



ARTICULUS SECUNDUS



ARTICULUS TERTIUS



ARTICULUS QUARTUS

**ERRATA** *Relicta in I. T.* **CORRIGE**

| *pag.* | *lin.* | | |
|---|---|---|---|
| 12 | 32 | et *in* | et |
| 16 | 4 | aetati | aetatis |
| 25 | 6 | dieitnr | dicitur |
| 25 | 14 | Heraclius | Heraclitus |
| 28 | 25 | Eelec-tieismi | Eele-cticismi |
| 39 | 41 | eribravarit | cribraverit |
| 42 | 43 | vestigia | vestigia |
| 44 | 40 | diitinxit | distinxit |
| 58 | 38 | raciocinii | ratiocinii |
| 64 | 33 | atqne | atque |
| 87 | 38 | -+5-12, e tin | 7 + 5 = 12, et in |
| 110 | 13 | syntesim | synthesim |
| 112 | 24 | digradiatur | digrediatur |
| 124 | ult. | niei | nisi |
| 137 | ult. | ipsae | ipsa |
| ibid. | 34 | (§. 231) | (§. 231. nota) |
| 139 | 28 | probabilitatem | probabilitatem, |
| 144 | 10 | *subjectivum* | *objectivum* |
| ibid. | 11 | *objectivum* | *subjectivum* |
| 170 | ult. | natura | natura, |
| 171 | 33 | statuas | statues |
| 172 | 42 | distinguitnr | distinguitur |
| 174 | 33 | possunt | possint |
| 182 | penult. | simpilcissimam | simplicissimam |
| 190 | 35 | coexistsrent, | coexisterent |
| 191 | 37 | quia, | , quia |
| 192 | 26 | muta-tii | muta-tio |
| 196 | 20 | effectum *partialis* | effectum ; *partialis* |
| in errata corrige lin. 5. | | philosophiei | philosophi |

*In II. T.*

| | | | |
|---|---|---|---|
| 13 | 4 | adherent | adhaerent |
| 14 | 36 | quaecumque | qnaecumque |
| 22 | 17 | 362. Nos | 382. Nos |
| 44 | 19 | cogita- | cogitatio- |
| ibid. | 31 | quaedam | qnemdam |
| ibid. | 42 | vidit | videt |
| 58 | 26 | daberent | deberent |
| ibid. | 29 | deberentnr | haberentur |
| 59 | 13 | propositones | propositiones |
| 63 | 15 | (§. 771. 386) | (§. 381. 386.) |
| 91 | 26 | Ad quid anima | Ad quid in anima |
| 95 | 27 | profecto, | , profecto |
| ibid. | 37 | cateoriarum | categoriarum |
| 106 | 33 | faecultas | facultas |
| 125 | 7 | quia | quod |
| 132 | 30 | ingressi | ingressa |
| ibid. | ibid. | pervenientes | pervenientia |

| | | | |
|---|---|---|---|
| 155 | 8 | irritatae | irritata |
| 148 | 34 | Physico-Chimicis | Physico-Chymicis |
| 166 | 26 | essentiae | essentiae, |
| 168 | 4 | Domocritis | Democritis |
| iuid. | 20 | destruissent | destruxissent |
| 171 | 8 | qer | per |
| 175 | 16 | erat Deus | erat Deus, |
| 178 | 39 | cogerunt | congerunt |
| 192 | 12 | 677 | 676 |
| 193 | 29 | physicas | physicae |
| ibid. | 11 | faecunda | foecunda |
| 209 | 41 | aetati | aetati - |
| 221 | 29 | (§. 305. nota 3 ) | (§. 305. nota). 3. |
| 228 | 2 | (§. 721.) | (§. 722) |
| 229 | 36 | *nihil* ab illis | nihil, ab illis |
| 231 | 41 | rerum creaturarum | rerum creatarum |
| 231 | penult· | (§. 929) | (629) |
| 264 | 41 | quae decreta | quod decreta |

**NIHIL OBSTAT**

Fr. Antonius Maria ab Arignano Ordinis Minorum Procurator Generalis Censor Theol. Deputatus.

**REIMPRIMATUR**

Fr. Dom. Buttaoni Ord. Praed. Sac. Pal. Ap. Mag.

**REIMPRIMATUR**

Joseph Canali Archiep. Coloss. Vicesg.

